Madison University
LIBRARY.
No. 17034
GIFT
OF
PRESIDENT DODGE.

Class 246 Book .C48
Colgate University Library
HAMILTON, N. Y.
*Beside the main topic, this book also treats of*

| *Subject No.* | *On page* | *Subject No.* | *On page* |
|---|---|---|---|

2 vols

Complete
in all parts

Arnoldo van Westerhout Sculp.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/veteramonimentai00ciam

# VETERA MONIMENTA,

In quibus præcipuè

## MUSIVA OPERA SACRARUM,

PROFANARUMQUE ÆDIUM STRUCTURA,

*Ac nonnulli antiqui Ritus, Diſſertationibus, Iconibuſque illuſtrantur.*


JOANNIS CIAMPINI ROMANI,

MAGISTRI BREVIUM GRATIÆ,

Ac literarum Apoſtolicarum Majoris Abbreviatoris, necnon in utraque Signatura Referendarii.


## *PARS PRIMA.*

ROMÆ. MDCXC.

Ex Typographia Joannis Jacobi Komarek Bohemi, apud S. Angelum Cuſtodem.


---

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# SANCTISSIMO, ET BEATISSIMO PATRI, ET D. N.

# ALEXANDRO OCTAVO PONTIFICI MAXIMO.

*JOANNES CIAMPINUS MAGISTER BREVIUM*
*Sempiternam Felicitatem.*

OL oriens ex alto à Patre luminum, & misericordiarum DEO, ut luctuosas decurrentis ævi tenebras dissipet, & auspicatissimo vitalium radiorum fulgore Urbem, atque Orbem Christianum illustret, ipsa SANCTITAS VESTRA est, BEATISS. PATER, quam

*Iacob.* 1. 17. *Paul. ad Corint.* 1. 3.

quam ab æterno Antiquus dierum arcano ſapientiæ ſuæ decreto ad hęc tempora reſervavit, ut innumeris meritis plena, Chriſtianam Rempublicam in pacis amænitate regeret, & gubernaret. Et equidem, ſi nobilitatem, profundam doctrinam, rerum agendarum experientiam, ſumma cum prudentia conjunctam, & per tot annorum curricula comprobatam ſpectemus, quis SANCTITATE VESTRA melior, ac dignior inveniri potuit, qui ad altiſſimum proximumque Divinitatis faſtigium elevaretur? Noverat profectò Urbs tota, noverat Orbis Terrarum Magiſtrum inter Magiſtros, Patrem pauperum, verumque Petrum temporis noſtri, necnon nomine, & prænomine Petri digniſſimum; atque adeò ſollicitâ prece Cœlum fatigabat, ut ſe tanto bono frui tandem aliquando pateretur. Quibus fidelium votis non ſine præſenti, atque etiam perſpicuo Summi Numinis ductu impletis, quàm egregiè SANCTITAS VESTRA reſpondit ſtatim, atque Imperii habenas ſuſcepit. Gemebat, infimę præſer-

*Caſſian. 3. de Incarnat. cap. 12.*

*Patriarch. Neſtorianor. Orient. in profeſſ. fid. quem Rom. miſit ann. 1553. interprete è Syriaco Andrea Maſio. Epiſc. Germaniæ ad Ioan. VIII.*

tim

tim conditionis, populus carnis, ſic temporum neceſſitate cogente, frumentique molituræ vectigali gravatus: Sed hoc paternâ SANCTITATIS VESTRÆ miſeratione, onere mitigato, mirum in modum eſt ſubleuatus, atque in dies majora ſperat, nec ſperat modo, ſed experitur, dum annua frumenti comparatio, quæ annona denominabatur, & omni poſtpoſitâ Pontificii ærarii utilitate, ne quid inde Populi detrimenti paterentur, è medio ſublata eſt. Quinimò aureum quoque ſæculum omnium vocibus celebrandum fore ſperamus, in quo Juſtitia, & Pax ſeſe ad inuicem oſculentur, ac omnigenæ Virtutes, bonæque artes, præcipuè vero literæ nova ſplendoris ſui incrementa ſuſcipiant, dum ſuus illis Mœcenas non deerit, à quo peculiari curâ, & munificentiâ foveantur. Præterea SANCTITAS VESTRA, divinam ad exorandam Majeſtatem converſa publicum Jubilæum indixit, ut lethalibus populi culpis pœnitentiâ ſalutari dilutis, faciliùs à Deo pax, atque unitas Eccleſiæ, ejuſdemque inimicorum con-

fuſio impetretur. Quapropter quis umquam non credat, SANCTITATE VESTRA in Petri Solio ſedente, Græcorum unionem Eugenii IV. Veneti tempore factam, quo ſcilicet diſperſæ oves ad proprium ovile reductæ fuere, iterum Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ victricibus armis, eſſe renovandam? Plura in SANCTITATIS VESTRÆ laudes effundere deberem; ſed nimium longè excedit eloquii facultatem Pontificis Majeſtas, & inde oritur difficultas fandi, unde adeſt ratio non tacendi, & ideò nunquam deficit materia laudis, quia nunquam ſufficit copia laudatoris. Hæc autem, BEATISSIME PATER, matutina crepuſcula ſunt, quæ ſerenum, ac tranquilliſſimum diem promittunt. Ego igitur, quem innumeris SANCTITATIS VESTRÆ beneficiis cumulavit, & cumulat, cuique honorum meorum primitias, Prælatitiam ſcilicet dignitatem acceptam referre debeo, quidni inter publica lætitiæ argumenta Leonis Magni, SANCTITATIS VESTRÆ Prædeceſſoris verba uſurpem? *Laudem Domini loquatur os meum,*

*S. Leo ſerm. 9. de Natiu. Dom.*

*meum, & nomen ſanctum ejus anima mea, ac ſpiritus, caro, & lingua benedicat; quia non verecundiæ, ſed ingratæ mentis judicium eſt beneficia tacere divina, & ſatis dignum eſt à Sacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis orare.* Pſal. 144. 21. S. Leo ſerm. 1. in anniverſ. die Aſs. ſuæ.

Sed hæc privata ſunt gratitudinis, & venerationis munia, BEATISSIME PATER; maxima beneficia accepiſſe profeſſum publicam grati animi teſſeram proferre decet; quod ego, cum exſolvere nullo alio umquam modo poſſim, haſce meas lucubrationes, quæ vetuſta monimenta, præſertim Sacra in ſe continent, & ad impias antiquorum, recentiorumque Iconomachorum opiniones retundendas directæ ſunt, glorioſiſſimo SANCTITATIS VESTRÆ nomini dicare audeo, futurum quoque ſperans, ut ſub tanti Pontificis. Principiſque tutela in lucem prodeuntes, majora æſtimationis incrementa accipiant, mihique ad alia proſequenda, quæ lucubrantur in dies validiſſimum ſint incitamentum. Precor interim Deum Opt. Max. ut SANCTITAS VESTRA ad commiſſum ſibi gregem,

quàm feliciſſimè gubernandum, diù incolumem ſeruet, ac ad ejuſdem SANCTITATIS VESTRÆ pedes humiliter provolutus, illoſque deoſculans Pontificiam benedictionem imploro.

Eminentiſs & Reverendiſs. D.
CARDINALI
# PETRO OTTHOBONO
S.R.E. VICECANCELLARIO.

Literarumque Apoſtolicarum Summatori
Domino Colendiſſimo

*JOANNES CIAMPINUS*
*Felicitatem*

*Onſuevit*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Parens Cardinalis Baronius in ſingulis fermè Annalium ſuorum Tomis, poſt epiſtolam Summo Pontifici nuncupatam, alteram alicui ex presbyteris, ſeu Diaconis Cardinalibus inſcri-*

*bere, ut ipſemet in quinto eorundem Annalium Tomo teſtatur. Tanti ergo, ac tam præclari viri exemplo adductus, poſt beatiſſimorum pedum oſcula, accedo ad* EMINENTIAM VESTRAM, *Eccellentiſs. Familiæ Otthobonæ digniſſimum germen, quam in publicum bonum à D.O.M. Terris donatam fuiſſe in confeſſo apud omnes ſemper erit. Enimvero, ſi Aldobrandinum Otthobonum ſpectemus, Virum in Republica Florentina clariſſimum, & Apoſtolicæ Sedi quàm maximè addictum, adeo propter ſingularem in Patriam pietatem, ac ſolicitudinem Reipublicæ carus fuit, ut extincto, Populus Florentinus ingrati animi teſtimonium publico ſumptu, ac ſplendidiſſimâ pompâ juſta perſoluerit, & in Eccleſia S. Reparatæ auguſtiſſimum monimentum excitaverit. Poſtmodum verò hæc Familia in Venetam Rempublicam tractata eâ curâ, ac ſtudio publica negocia ſemper amplexa eſt, ut jure inter primarias connumeretur. Romam denique cum Tuus Magnus Patruus, nunc glorioſiſſimus Pontifex ALEXANDER VIII. feliciter*

Io. Villan. hiſt. Florent. ad annum 1456, l. 7. cap. 64.

Ferd. Lorenz. del Miglior. in ſuo Florent. illuſtr. pag. 567.

*ter regnans pervenisset, primò inter Prælatos descriptus fuit, mox ad gubernandas Civitates profectus, hic juredicundo in Sacro Rotæ Auditorio præcipuo in Urbe Tribunali ascitus, atque inde inter Eminentissimos Patres connumeratus, postremò, cum Vir magnæ apud omnes æstimationis moribus integerrimis præditus, præstanti doctrinâ, ac probatâ in rebus agendis prudentiâ, necnon quacunque laude major haberetur, communi omnium voto, summoque Christiani Populi plausu ad illum gubernandum, Petrique Cathedram regendam electus est. Quæ autem ille supremâ hac inter homines dignitate conspicuus ad almæ hujus Urbis, Orbisque Christiani bonum, ad quod Otthobonam familian natam asserimus, in ipso etiam Pontificatus exordio gesserit, atque gerat, mirari quidem, quàm humiliter valeo, eâ verò; qua par est orationis facundiâ prosequi neutiquam possum. Hæc igitur satis supèrque ea, quæ diximus de Otthobona Familia comprobare mihi videntur,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *atque adeò in præ-*

*senti*

*ſenti longam laudum ſeriem prætereo* EXCELLENTISS. PRINCIPIS *ANTONI E.V. Genitoris, ad Apoſtolicæ Sedis, ac ſtatus arma regenda, ſummoque cum imperio adminiſtranda in Generalem electi, neque* EXCELLENTISS. PRINCIPIS *MARCI E.V. Patrui, qui ad ejuſdem S.R.E. maritimam Claſſem moderandam Generalis renunciatus eſt. Verùm quid ego alia argumenta quæram, & ab E.V. ut ita dicam, extranea, quamuis domeſtica, dum ipſa unicè maximum, ac nobiliſſimum eſſe argumentum poteſt? Dicant profectò omnes, quibus virtus, ac bonæ artes cordi ſunt, quantum admirationis, ac ſpei perceperunt, cum E.V. pueritiam vix ſupergreſſa in propria domo Lyceum aperuit, ubi literę amæniores, Muſęque tutò hoſpitarentur. Dicat ipſa Roma quantum ſibi promi ſit, cum E.V. purpurâ latè conſpicuam ſuſpexit. Stupuit quidem illa Juuenem tantę dignitati non imparem, immò non Juuenem, ſed vernum ſenem prævertentem annos ſapientiâ, religione, moribuſque graviſſimis, amabilem, ac deſiderabilem*

*omni-*

*omnibus humanitate, magnificentiâ, & in rebus agendis dexteritate, iis demum omnibus, quæ ſupremo in Principe deſiderantur. Has autem ego magni animi Tui dotes, ſi quis umquam alius, maximè demiratus ſum, & quod dulcius expertus, quum me E.V. in Proſummatoris, ac rerum Conſiſtorialium annotandarum muneribus motu proprio confirmavit, ac inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Laurentij in Damaſo Vicarium deputavit; quodue ſatis numquam commendaverim, in hiſce conferendis muneribus tam officiosâ verborum ſuavitate uſa eſt, ut Tuis ipſis utens verbis, veluti quadam aureâ catenâ, unionibus, gemmiſque interdiſtinctâ ad Tibi perpetuò quàm obſequentiſſimè famulandum obſtringar. Plura itaque, fateor, mihi, quem præter cæteros beneficiis devinxiſti, de Tuis laudibus dicenda forent; ſed, cùm illas tacere minus piaculum futurum arbitrer, quàm ineleganti, atque imparicalamo proſequi, finem dicendi faciam, humiliter E.V. deprecans, ut meos hoſce literarios labores, quos magno Patruo Tuo ALEXANDRO VIII. Pont. Opt. Max.*

*dedi-*

*dedicavi, Tui etiam ſub nominis auſpiciis, ac patrocinio prodire, & per Eruditorum manus feliciùs ſecuriùſque vagari patiaris. Excipe illos,* PRINCEPS EMINENTISS. *eâ vultus hilaritate, qua jamdiu me eorum Auctorem excipere ſoles: id enim ab humanitate Tua ſi aſſequar, animum ad jam incepta ſtudia proſequenda promptiorem adijciam, quæve E.V. non ingrata futura eſſe ſpero, quippe quæ literas adeò deperit, ut omnes pro certo habeant, quod feliciſſima tempora, quæ ſingulari Dei munere, Tuique Patrui magni beneficia adeſſe conſpiciuntur, majora in dies incrementa ſumptura ſint, E.V. gubernij clavum moderante, utpote quæ ſub tanto Principe educata, illiuſque moribus imbuta virtutes omnes, boneſque artes propriæ munificentiæ radijs fovere ſtupebit. Interea Sacram Purpuram quàm humiliter deoſculans, longævam communi causâ incolumitatem à divina majeſtate enixè deprecor.*

# PRÆFATIO.

EA eſt Mentis Divinæ benemerendi voluntas, eaque rerum utilitatem promovendi paterna ſolicitudo, ut ab exiguis ſæpè corporibus fœcundiſſimam eruat, traducatque beneficiorum propaginem. Ingentem arborum molem, exiguo ſemine incluſam, ad fructum ita componit, ut apprimè tenuitatis ſtudioſus Deus videri poſſit, & ubertatis magnificentiam, coarctatâ prius largitate, majorem faciat. Suaviſſimâ eadem lege univerſam propemodum vitæ noſtræ rationem concinnat. Unde, ſi ſedula animaduerſio ita paratos ad recipiendum nos redderet, ut Deus ipſe ad donandum facilis eſt, nihil tam humile, nil tam exile nobis occurreret, à quo uberem proficiendi copiam elicere non poſſemus. Quid verbo tenujus, quid fugacius, videri poteſt? At hoc ſæpiùs inconſultò inter loquendum elapſum, ſi animadverſione Auditorum cultum veluti, ac nutrimentum nanciſcatur, adeò fœcundum eſt excipientibus, ut vitæ totius rectiùs inſtituendæ, adipiſcendæque æternæ ſalutis aliquando principium ſit, & manuductio. Simile quidpiam incitamentum ſortitum hoc opus fuit, quòd apertiùs expedire non Jus modò ſcribentis arbitror eſſe, ſed & neceſſitatem. Cum enim Auctorum mos ſit operis ſui propoſitum, diviſionem, & compendiariam imaginem præſeferre Lectoribus, piaculum fortè reputaretur, niſi Operis principium, progreſſum, ac finem exponerem. Accipe igitur, Lector candide, quæ olim me ad iſta, quæ proponuntur, ſcribenda excitavere, excitatumque impulerunt.

Quidam genere, & ingenio prænobilis Vir, cujus nomen æquis de cauſis reticendum duco, animi, ut fit, levandi cauſa, moreſque & alia id generis addiſcendi, quæ apud Exteros eſſe in pretio ſolent,

Italiam peragrans, Romam acceſſit, ubi, ut accuratiùs univerſa luſtraret, tum Sacræ, tum profanæ antiquitatis Monimenta, neceſſitudinem coluit Joannis Lucii Viri, cujus dignitatem, cùm in aliis, tum in hoc potiſſimùm ſtudiorum genere præſtantiam abundè teſtantur Hiſtoriæ Regni Dalmatiæ, & alii quamplures libri, quibus, dum Literariæ Reipublicæ conſuluit, æternum nomini ſuo Monimentum conſtituit. Temperabo à cœteris ejus virtutum laudibus, cum hæc laudandi officia neceſſitudinis meæ erga illum jam publicus rumor prævenerit; & grati animi teſtimonia paucis indigeant apud eos, quibus ante beneficia conſtiterunt, quàm Viri nomen. Hunc itaque cum frequentior adiret Vir ille, & eruditos ſermones de more haberet, quadam die fortuitò de Muſivis operibus quæſtio orta eſt, ac de iis potiſſimum, quæ in Urbis Eccleſiis hodie viſuntur. Hanc nactus occaſionem Lucius quotquot ibi præſto erant, quotquot erudita exercitatio ſuggerebat, teſtimonia recitavit, pollicitus plura, ſi cuperet, ſe allaturum ex probatiſſimis Scriptoribus excerpta, qui de nonnullis Urbis Eccleſiis aliquot retrò ſæculis conſcripſiſſent. Ideoque eo tempore diligenter perſcrutatus Auctores illos, qui de hujuſmodi rebus plura tradiderant, & aliorum ſcripta cum Imaginibus, quæ ad hunc diem ſtetere, attentè conferens, Exteri ſtudium illius oculari experimento excitare curabat. Sæpiùs & ipſe hujuſmodi inſpectionibus adfui; cum enim locorum diſtantia, & Lucii gravis ætas vehiculi opem expoſceret, meo ut plurimùm utebatur, rependebatque gratiſſimam mihi collocutionis ſuæ vicem, quam & Exterus interrogationibus ſuis utiliſſimam experiebatur. At, ne fruſtraneus docto ſeni tam incommodus labor evaderet, digerebat in Codicem, quæ in Muſivis operibus repererat, prout eo tempore, quo ſcribebat, conſpiciebantur. Lucii exemplo allectus, qui tantùm deſcriptione contentus, Imaginum faciem, ſtatumque, qualem nunc obtinent, paucis expreſſit, in memoriæ potiùs auxilium, quàm in hiſtoriæ rudimentum præſentia proſecutus ſum; animum tamen longiùs intendi, & tùm quæ ſuperſunt, digna cenſui, quæ diligentiùs, ac prolixiùs deſcriberentur; tum ea, quæ ab eis docemur, altiori indagine ab exordiis repetenda duxi. Hinc plura quandoque adnotavi ad Sacram eruditionem ſpectantia; plura interpretatus ſum, quæ Hieroglyphicorum ambagibus continebantur; plures adduxi calculos Auctorum, ſicubi aliquid probandum fuit; plures denique excitavi, ſi quando

è re videbántur, & ad rem facere quæſtiones. Hæc tamen operis extra limites, quos illi præſcripſeram, evagatio, diutinaque productio me ab evulgandi confidentia arcuiſſet, niſi Amicorum ſuaſionibus tutiús, quám privatæ judicii noſtri conſcientiæ morem gerere duxiſſem; Dulciſſimâ ii me violentiâ impellebant, ut ederem ea, quæ propriæ eruditioni ſedulâ obſervatione contuleram: quod ego ut detrectarem, ipſa operis difficultas, & Muneris mei curæ, vix otii brevioris capaces monebant. Vicit tandem reverentia Amicorum animum ſibi diffidentem, horaſque ſubſecivas, ac ſecundarias hoc in Opus impendens; expertus ſum, ſatis temporis unicuique ſupereſſe, ſi eo uti velit. Adieci itaque animum non modò Operi abſoluendo, ſed, ſi per me fieri poſſet, etiam ornando. Hinc è re cenſui facturum, ſi Picturarum Muſivarum Icones, prout modò viſuntur, adnecterem, illarumque deſcriptionem, & interpretationem adiicerem. Inde & cum aliquid de Templorum erectione agendum videretur, ut ſcilicet ex illorum ætate fideliùs colligeretur, tutiùſque conſtaret, æuum picturarum, id quoque proſequi conatus ſum; ac proinde in unaquaque Eccleſiarum deſcribere fundationem (ut vocant) & reliqua, quæ ad brevem ipſius Hiſtoriam pertinent, opportunum exiſtimavi. Mox ad Muſiva deſcendam, quæ laminis æreis inſculpta, exhibitaque ſub oculos, prævià deſcriptione, interpretor: ſi in poſterum ſimile quidpiam occurret, quo me utiliter exercere poſſim, ut hominum eruditorum expectatio, quæve ipſe concepi, vota impleantur, pro virili curabo: Hanc enim meam deſideriorum ſummam eſſe fateor, ut, prætèrquam quòd officioſus in Joannis Lucii cineres, & Amicorum ſuaſionibus obſequens videar, Catholicæ potiſſimùm veritati dilucidandæ ſtudeam inſeruire, dum apertiſſimè ex his, quæ ſcribuntur, elicitur, uſum Sacrarum Imaginum, quem hodie colimus, Orthodoxæ Religioni admodùm familiarem ſæculis anteactis fuiſſe.

Operis partitionem brevi expediam, quam in quatuor partes diſtinguo. In prima, ſpecies quædam eſt Prolegomenorum, ubi Sacrorum Ædificiorum varia genera proſequor, quæ cùm apud Ethnicos, tùm apud Chriſtianos in uſu fuere. Deinde operum Muſivorum originem, materiam, & compoſitionem explico; quorum nonnulla, quæ in ſequenti Capitum Tabula reperies, in quinto reparatæ ſalutis ſæculo concinnata fuere. In ſecunda autem parte de iis ſermo erit, quæ à ſexto uſque ad decimum totum ſæculum. In tertia

quæ undecimo uſque ad totum decimumquintum. In quarta denique ea, quorum ætas ambigua prorſus eſt, congeſta ſunt: & omnia ad hæc noſtra tempora partim ævo graviori paululùm afflata, pleraque illæſa permanent.

Primùm igitur id à te (Lector eruditè) mihi petendum eſt: Veniam voluntati ne deneges, ſicubi niſu ſalubriori præceſſit ingenium; deinde Scriptoris animum excites benignâ eorum tolerantiâ, quæ homini in pluribus occupato cum hæc ſcriberem, minus fortaſſe accuratè exciderint, immo & corrigas; acriùs etenim incitabis in hæc ſtudia ſuàpte naturâ propenſum, ſi caſtigationibus tuis ingenium docile, nec ſui tenax ad meliora formaveris. Si quæ tibi nova attuliſſe videar, opus: ſin minus, voluntatem tibi addictiſſimam, probabis. Præterea verborum delectum, & ſi quæ ſunt, quæ ab Inſtituto officii mei plurimùm diſtant, noli ſeveriùs à me requirere. Duriùs quippè agere videreris, ſi à viro, quem plura diſtrahunt, diſtinentque, quæ ſermonis nitorem, & elegantiam deterunt, & infirmant, omne verbum arceres, quod Tullium, Cæſaremque non ſapiat; Nam & vitibus folia detrahimus, ut illarum fructus citiùs ad maturitatem promoveantur. Ornatus operoſior diſquiſitio, quę nimiam moram operi attuliſſet, moleſta erat animo tibi citò inſerviri cupienti, memorique Tertullianeæ ſententiæ. *Compendium ſermonis, & gratum, & neceſſarium eſt. Quoniam ſermo lacinioſus, & oneroſus, & vanus eſt.* Vale.

Appro-

APprobatio operis, quod inſcribitur *Vetera Monimenta &c.* Primorum quinque ſeculorum Muſiva opera Religionis antiquæ tenuja illa quidem, ſed ſemper adoranda monimenta, temporum edacitati ſubducit, & ad veritatis amuſſim ſatis accommodè explicat, in ſuis hiſce elucubrationibus Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Joannes Ciampinus. Inſultant Acatholici, ut firmandis Eccleſiæ Romanæ ritibus, unus producatur teſtis Antiquitas. Auctor in hac arena decertat non minori gloria, quam in fermento Latino aſſerendo, Anaſtaſio Bibliothecario vindicando, Launojo Conſtantienſi caſticando. Magno quippè rei Chriſtianæ quæſtu, Judex oculus ipſe cognoſcit ſcelerata non eſſe templa, & Icones, quæ ad ſuam ſuperbiam, noſtram invidiam, novam ſemper, veritatis gloriam, æternum dudum Erroris opprobrium, innocenter, imò religiosè ſacravit Fides quantò ætate tenellior, tantò pietate robuſtior. Gratulandum propterea Illuſtriſs. Domino tot inter negociorum moles, hanc ſibi altiſſimam curam propoſuiſſe, ut Romanæ Sedis, cui tot annos inſeruit, pręclariora dogmata, ſemper inconcuſſa, magis ac magis ſuo labore ſtabiliret. Ad operis preſentis cenſuram obteſtor, ſuam diligen iam, ſuam ſollicitudinem ne manum admoveat, niſi in Orbis utriuſque litterarii, & Chriſtiani beneficium, collectis undique, quæ ſuperſunt, priſcorum dierum Muſivis conſtructionibus. Ita ſentio ego per Reverendiſs. P. Thomam Mariam de Ferrariis S.P.A.M. operi examinando præſtitutus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello, hac die 12. Januarii 1689.

*Franciſcus Maria Campionis Conciliaris Regularium Academiæ Præſes.*

*Impri-*

*Imprimatur.*
Si videbitur Reverendiſs.P.Magiſtro Sac.Palatii Apoſtolici.

*Stephanus Joſeph Menattus Epiſc.Cyrenen.*
*Viceſgerens.*

---

*Imprimatur.*
Fr.Thomas Maria Ferrari Ord.Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Mag.

INDEX

# INDEX CAPITUM
## TOTIUS OPERIS.


Cap.I. DE *Sacrorum Ædificiorum ſtructuris, tam apud Ethnicos, quàm apud antiquos Chriſtianos.* *pag.*1.

Cap. II. *De ſingularibus partibus intra Eccleſias ad ſacra peragenda ſpectantibus.* 12.

Cap. III. *De nonnullis antiquis ornamentis, ſive Hieroglyphicis, Eccleſiarum januis apponi ſolitis.* 26.

Cap.IV. *De Valvis æneis in Eccleſia S. Pauli extra muros Urbis, via Oſtienſi.* 35.

Cap. V. *De æneis Valvis, in Vaticana Baſilica nunc extantibus.* *pag.*43.

Cap.VI. *De antiquis Valvis æneis Primatialis Eccleſiæ Piſarum.* *pag.*46.

Cap.VII. *De nonnullis ornamentis, quæ erant in Baſilica Siciniana, poſteà S. Andreæ in Barbara appellatâ.* 52.

Cap.VIII. *Quomodò ex ſtructura, atque cæmentis conſtructionis ædificiorum tempus argui poſſit.* 65.

Cap.IX. *Quomodo ex numero, amplitudine, ac forma feneſtrarum, tempus, quo ædificia conſtructa ſint, deduci valeat.* 73.

Cap. X. *De Muſivorum operum origine, nominibus, & ſpeciebus.* 78.

Cap. XI. *Ex quanam materia opera muſiva componantur, & quomodo ipſæ materiæ præparentur.* 84.

Cap. XII. *Quid requiratur ad Muſivi operis pulchritudinem, & elegantiam.* 88.

Cap.XIII. *Diſſertatio de Monogrammate L., & de nonnullis aliis literis, ſeù ſignis in veſtium fimbriis antiquitùs pingi ſolitis.* 90.

Cap. XIV. *De Coronis, aliiſque capitis ornamentis.* 105.

Cap.XV. *De antiquo Baculorum uſu, & ſymbolo.* 116.

Cap. XVI. *De Evangeliorum Volumine, & quanta apud Chriſti fideles fuerit Evangelii veneratio.* 126.

Cap.XVII. *Diſſertatio, quâ contra Acatholicos demonſtratur, in tribus primis Eccleſiæ ſæculis, perſecutionum tempore, publica ædificia fuiſſe, in quibus Chriſti fideles Sacras Synaxes peragebant.* 137.

Cap.XVIII. *Eccleſiarũ Elenchus, in tribus primis Eccleſiæ ſæculis per univerſum Orbem à Fidelibus extructarum.* 154.


Cap.

Cap. XIX. *De formis Sepulchrorum, tam apud Ethnicos, quàm Hebræos, antiquoſque Chriſti Fideles. Deq; memoriis Martyrum, ſivè Martyriis, aut Confeſſionibus, ſeu Ciboriis, necnon de Baſiliculis.* 161.

Cap. XX. *De Eccleſia S. Agathæ Majoris in Civitate Ravennate, ac opere muſivo, in ea ab Exuperantio, ejuſdem Civitatis Epiſcopo conſtructo, Anno circiter CCCC.* 184.

Cap. XXI. *De Muſivis operibus, in Eccleſia S. Sabinæ à Celeſtino I. Summo Pontifice Anno circiter 424. conſtructis; ejuſdemque Eccleſiæ antiquâ fundatione.* 186.

Cap. XXII. *De Liberiana, ſive S. Mariæ Majoris Baſilica: ac de antiquioribus Muſivis operibus in ea extantibus à Xyſto III. Anno 433. concinnatis. pag.* 195.

Cap. XXIII. *De Eccleſia SS Nazarii & Celſi, vulgò Gallæ Placidiæ appellata in Civitate Ravennatenſi; ac operibus muſivis, ab eadem Galla Placidia Anno 440. conſtructis.* 224.

Cap. XXIV. *De Majori Arcu, Muſivo opere in Baſilica Sancti Pauli viâ Oſtienſi à S. Leone I. Anno 441. ædificato.* 228.

Cap. XXV. *De Eccleſia S. Joannis in fonte in Civitate Ravennatenſi à Neone ejuſdem Civitatis Epiſcopo Anno 451. muſivo opere ornata.* 233.

Cap. XXVI. *De Oratoriis SS. Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ in Lateranenſi Baptiſterio: ac Muſivis operibus in jiſdē Oratoriis contentis, Hilaro Papa jubente, Anno 462. elaboratis. pag.* 238.

Cap. XXVII. *De profanata Eccleſia S. Andreę in Barbara, ſeù Catabarbara Patritia, ac Muſivo opere, nuper in ea extante à Simplicio Papa Anno 643. decorata.* 242.

Cap. XXVIII. *Eccleſia S. Agathæ in Subura, ejuſque Muſivo opere, olim in ea à Fl. Ricimero circa Ann. Domini 472. conſtructo.* 250.

JOAN-

# JOANNIS CIAMPINI
## ROMANI
## MAGISTRI BREVIUM GRATIÆ
### AC LITERARUM APOSTOLICARUM
### MAJORIS PRÆSIDENTIÆ ABBREVIATORIS,
Necnon in utraque Signatura Referendarii.

# VETERA MONIMENTA

*In quibus Muſiva præcipuè Opera, Sacrarum, profanarumque Aedium Structura, ac nonnulli antiqui Ritus, Diſſertationibus, Iconibusque illuſtrantur.*

## CAPUT I.

*De Sacrorum Aedificiorum ſtructuris, tam apud Ethnicos, quàm apud antiquos Chriſtianos.*

OÆVA mundo Religio devotam ſe prodidit ſummo numini, ſtatim ac nata eſt cum primis humani generis parentibus. Quippè quid aliud mortalibus ingerebat maximum hoc mundi templum, niſi uninè colendum, adorandumque Deum, eumque eſſe Auctorem, quem prædicant univerſa? Accedebat iis vivida, ac luculenta divini conditoris imago, Adæ, & nepotum animis altè impreſſa, quæ Ars erigi poſcebat in hominum mentibus, non *ignoto Deo*, ut Athenis, ſed præſtantiſſimo illi, cujus, ipſe homo ſpecies erat, & imago ſimillima. Hinc uniuſcujuſque mens originis ſuæ conſcia, religionis ingentiæ præceptis, domeſtico veluti Architecto præeunte, privatas ædes in ſemetipſa numini eidem ſtatuit, & conſecrat. At quia monente Apoſtolo *ad Roman.* 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; idem animus, qui arcanum, & intimum Dei cultum nos docet, extimæ quoque adorationis officia expoſcit, quæ ut honeſtiùs, ac digniùs perficiantur, nonnulla eis loca conſtituit, deſignatque, profanis exempta commerciis, & nobiliſſimo humanorum operum, Deo ſcilicet adoratioi ni, tantùm patentia. Sub ipſum mund-

exordium Abel, & Caïn Deo munera primi obtuliſſe narrantur *Geneſ. cap.4.* Noë autem poſtquam ſubſidentibus aquis periculum, imò excidium orbis evaſit, Altare Domino ædificavit, ut habetur *Geneſ.* 8. Aram conſtruxit obſequentiſſimus Abraham, nobilitate victimæ, obedientiâ parentis, Divino miraculo abundè conſpicuam *Gen.*22. Altare Domino Moyſes erexit *Exodi* 17. heres avitæ religionis, dignuſque qui ſacræ ſupellectilis exemplar à Deo receptum tranſmitteret poſteris. Plures denique ſacrorum curam ſuſcepiſſe compertum eſt, quos omnes mirum quantum ſuperexcelluit unus Salomon, qui celeberrimum, ac omninò mirabile Hieroſolymis templum ædificavit, ut *Regum lib.3. cap.6.* fusè dilucideque narrat hiſtoria. Peſſima tamen peccati pediſequa impietas, ut in primi parentis labe divinas ſanctiones violare hominem malè ſuaſit, & intimum cordis Altare Deo ſuâpte naturâ dicatum excindere; poſteros quoque in id facinus impluit, ut effractâ pervicaciâ Diis mendacibus ea loca inaugurarent, quæ uni terrarum, Cęlique conditori, ac Domino ſacranda fuerant. Hinc ſacra in hiſtoria impias Aras falſis gentium numinibus erectas non procul ab inſtitutione divinorum offendimus, ut *Deuter. c.3.* ubi Moyſes manſiſſe dicitur contra Fanum Phogor, quod Moabitarum, & Madianitarum numen erat,ac Baalpeor, ſive Belphegor fuit appellatum. Plura de hoc falſo numine collegit recens Hofmannus, quæ brevitatis cauſâ omittuntur, cùm apud ipſum videri poſſint in voce *Baalpeor*.

Horum verò ædificiorum ſtructura qualis fuerit non ſatis conſtat. Multa quidem de Hieroſolymitano templo divinis literis ſunt conſignata, ex quibus aliqui abſolutum illius exemplar deſcribere conati ſunt, quo tamen eventu, alii judicent. De Moabitarum Fano nulla certè extat deſcriptio; qua propter irritus labor foret, ſi vetuſtiſſima hæc vellemus proſequi, ut aliquam veterum templorum Iconem Lectoribus exhiberemus.

Pedem itaque ab iis referentes, quæ ſua vetuſtas caligine involvit, & impervia prorſus reddidit, ad minus diſſita,nec tam altè ſepulta rudera divertamur, Græcorum, Romanorumque ſuperſtitionis, & impietatis monimenta. Græcos igitur ab Hebræis, Hebræos verò ab Ægyptiis, utpotè vicinis, multa deſumpſiſſe, facilè conjecturandum eſt, ut docet Annalium Eccleſiaſticorum Parens Baronius ad ann.44.n.80.& nos infra in Cap.XIX.

E Græco autem fonte hausêre Romani, qui eos non ſolùm in turpi, & innumero Deorum grege, verùm etiam in Ædificiorum venuſtate antecellere curârunt, ut oſtendit quintus ordo regulis architectonicis additus, qui *Latinus* ab Inventoribus ſuis, ſive *Compoſitus* tanquam ex aliis quatuor Ordinibus deſumptus, denominatur.

Cùm igitur de Sacris Ædificiis apud Romanos ſermo habendus ſit, in quot ſpecies iidem illa diviſerint, operæ prætium judicavimus præmittere, ut omnia deindè clariora ſint.

Hanc Aedificiorum diviſionem nobis ſuggerit Lex 25.Cod.Theodoſ.ſub titulo de *Paganis Sacrificiis, & templis*, ubi cuncta Paganorum Fana, Templa, & Delubra, ſi quæ integra reſtabant, deſtrui jubebantur. Singularum

larum verò iſtarum vocum etymon, ac ſignificatio perpendi debet, ut meliùs infra narranda noſcantur.

*Fana* igitur à *Faunis* dicta fuiſſe nonnulli exiſtimant, vel quia *Faunus* prima templa conſtruxit, vel quia *Faunis* error Gentium iila excitabat. Alii verò *Fanum* à *fando* duxiſſe originem autumant, quòd fata inde petebantur; ſive quia Pontifex loca iſtiuſmodi conſecrans certa verba fatur, ut videri poteſt apud Lilium Gregorium Gyraldum To. 1. Syntag. 17. *de Sacrificiis*, ubi fusè de Fanis, & aliis templis, falſis numinibus dicatis: ac apud Io. Gerardum Voſſium in ſuo Etymologico, ubi multorum Auctorum ſententias in unum congeſſit. Hujus vocis varias audivimus definitiones, ſed nullam Fani deſcriptionem invenimus. Eruditiſſimus Machaël Baudrand neceſſitudine mihi coniunctiſſimus, quem honoris causâ hìc nomino, in ſuo Lexico Geographico multas refert Urbes, & Oppida ſub nomina Fani, inter quæ ſunt *Fanum Fortunæ*, *Fanum Luciferi*, *Fanum Martis*, *Fanum Saturni*, *Fanum Vacunæ*, *Fanum Voltumnæ*. Hæc etiam vox in alio ſenſu quandoque accepta fuit, ut in Gruterianis inſcriptionibus legimus *Fanum Dianæ*, *Fanum Dominarum*, *Fanum Plutonis*, *& Fanum Matris Deûm*, *& Iſidis*, quæ ſub pag. 27. n. 2. ſic ſe habet.

MATRI. DEVM ET ISIDI.
C. MENATIVS. C. FIL. FAB.
SEVERVS. FANVM. REFECIT.
ET. PRONAVM. DE SVO FECIT
EX VOTO.

In hoc igitur lapide ſatis firma videbimur veſtigia ponere, ſi dicamus Fana eadem fuiſſe; ac templa. Vox enim illa *Pronaum*, quæ ex Græca præpoſitione πρὸ, ideſt *ante*, & nomine Ναός (quod *templum* latinè ſonat) componitur, junctim verò anteriorem templi denotat partem, apertè indicat *Fana* eadem fuiſſe, ac quæ nunc templorum nomine accipimus. Hanc noſtram ſententiam videtur confirmare *Strabo lib.* 17. *Rerum Geograph.* qui apud Aegyptios qualis eſſet *Fani* forma ita demonſtrat. *In ingreſſu Fani eſt pavimentum; latitudine quidem jugeri, aut paulò minus; longitudine verò triplâ, quadruplâve, & quibuſdam in locis etiam magis, atque hoc quidem Dromus* (*quod eſt* curſus) *dicitur, ut & Callimachus inquit,*

*Eſt Dromus hìc ſacratus Anubidi.*

*Per totam verò longitudinem deinceps ex utraque latitudinis parte ſunt poſitæ lapideæ Sphinges, vicenis cubitis, vel paulò pluribus inter ſe diſtantes: ut altera Sphingum ſeries ſit à dextera, altera à ſiniſtra. Poſt Sphinges veſtibulum ingens, & ubi proceſſeris ulterius aliud veſtibulum, rurſumque aliud. Sed neque veſtibulorum, neque Sphingum certus eſt numerus; ſed alius, atque alius pro diverſitate longitudinis, & latitudinis Dromorum. Poſt veſtibula eſt templum, quod ingens atrium habet, ac memoratu dignum, & delubrum mediocre: ſimulacrum verò, aut nullum, aut non ad hominis formam, ſed beſtiæ alicujus effictum. Ex utraque parte Artii projectæ ſunt, quæ pinnæ appellantur, ſunt autem duo muri, æquè alti, atque templum, in initio inter ſe diſtantes, paulò plus, quàm eſt latitudo crepidinis templi. Poſtea prorſum procedunt ad inclinantes invicem, lineas, uſque ad L.*

*aut LX. cubitos . Hi parietes ingentium ſimulacrorum ſculpturas habent, Etruſcis , & antiquis Græcis operibus perſimilium . Extat etiam ædes quædam multis columnis ſtructa , ſicuti Memphi , Barbaricâ fabricâ , nam præterquam quod columnæ multæ ſunt , & ingentes , & multiplici ordine conſtitutæ , nihil pictum , aut elegans habet , ſed potiùs inanem quendam laborem arguit .* Romani autem ſacros Etruriæ ritus , ut plurimùm , imitantes , non omnibus Diis in omni loco templa ponere conſueverunt ; nam qui Paci , qui Pudicitiæ , qui bonis artibus Dii præerant , eos intra mœnia collocandos exiſtimârunt : qui verò voluptatibus , rixis, incendiis præſidebant , ab urbibus excludendos , ut fusè Architecturæ Princeps Vitruvius docet *lib.* 1. *cap.*7. vbi plura Philander eruditiſſimè . Sicuti autem certa loca certis Diis antiqui aſſignare fuêre ſoliti , ita etiam certa ornamenta , videlicet uni Doricum ordinem , alteri Jonicum , ſublimioribus verò Diis Corinthium attribuerunt, ut ſedulò obſervavit Vincentius Scamozzi in ſua *Idea Architecturæ parte* 2. Italico idiomate ſcriptâ , in qua collegit ex antiquorum Scriptorum auctoritatibus , præſertim ex Pauſania , plura inſignia ædificia à variis Nationibus in honorem falſorum numinum , diverſis temporibus , diverſiſque Architecturæ ordinibus conſtructa .

Nonnulla exempla ex Vitruvianis regulis concinnata ſub oculos ponimus,quæ in Tabulis I.II.III. conſpici poſſunt . Nunc ad Templi vocem declarandam , in præcitata lege expreſſam , procedamus .

Templa propriè à *tuendo*, ſeu *contemplando* appellata , ea loca fuêre , quæ Augur vel in Cęlo , vel in terra notâſſet , quæque vel quamlibet Cęli partem videre poſſent , vel ipſa ab omni parte videri . Hinc Cęlum ipſum quandoque templum audivit , ut apud Ennium .

*Contremuit templum magnum Iovis altitonantis.*

Cæterùm Templorum partes quatuor ſunt ; ſiniſtra ab Oriente , dextera ab Occaſu , antica ad Meridiem , poſtica ad Septentrionem , ut demonſtrat Varro de Lingua latina *lib.6.*

Ex hac Templorum definitione colligimus templa ipſa abſque ullo tecto fuiſſe ; unde Cęlum facillimè aſpici poſſet . Hujuſmodi Templi exemplum non procul à Lacu Gabino ſuperioribus annis inſpexi , cum curioſitatis gratiâ ad inviſenda antiquorum Gabiorum rudera cum CCLL. VV. Emmanuele à Schelſtrate Vaticanę Bibliothecæ Præfecto , ac Raphaële Abbate Fabretto , nec non Abbate Franciſco Blanchino me contuliſſem . Ejuſdem Templi Ichnographiam , & Orthographiam exhibeo in Tabula I. ſub Fig. 1. & 2. Templum eſt ex lapidibus Gabinis quadrilateris formatum , quod apertum fuiſſe colligitur ex ipſo ingreſſu , cùm nullum ullius epiſtylii veſtigium , ſive arcus in Janua appareat , ſed ſit aperta , ut Icon ipſa demonſtrat , & ita omnes exiſtimavimus ; ſicuti & ante ingreſſum duas columnas Ordinis Corinthii ex illorum fragmentis , quæ in proximo reperta ſunt , olim ſtetiſſe cenſuimus .

Similium Templorum formam antiquiſſimam eſſe putamus ; in quorum deinde locum alia ſucceſſiſſe teſtudine , ſive fornice cooperta , ac in teſtudinis ſummitate , ſive medio , unicum, & ma-



Fig·1·

Fig·2·






Fig·3·

Fig·4·



Fig. 1



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 7.





Fig. 6.

Fig. 5.



Fig. 4.



Fig. 4.






Fig. 3.

Fig. 2.






Fig. 1.

Fig. 8.



Fig. 6.





Fig. 7.



Fig. 5.

& magnum foramen, ſive feneſtram relictam, unde unicè Cęlum intueri, & auguria capi poſſent; ut obſervare eſt Romæ in celeberrimo Pantheo, ac in templo Romuli, aut falſi alterius numinis, quod adhuc integrum extat, & cernitur in veſtibulo Eccleſiæ SS. Coſmæ, & Damiani in Foro Boario.

Quandoquidem Gabinorum lapidum mentionem fecimus, à rectâ via pauliſper deflectere nobis liceat, ne quid omittamus, quod explicatu vel eruditionis, vel etiam lucis neceſſariæ acceſſionem facere poſſit. Gabinus itaque lapis ejuſdem ſpeciei eſt ac Albanus, quem nos Itali vocamus *Peperino*, & ex Agro Oppidi Mareni noſtris diebus effoditur: quare ſi in denominatione placitum antiquorum ſequi velimus, lapis Marenus denominandus eſſet, cùm antiqui lapidibus, & lapicidinis nomina indiderint à proximioribus locis. Gabinus autem lapis differt ab Albano in duritie, quia iſte mollior, ille durior eſt, utpotè qui ſilicea quædam fruſtula diverſæ magnitudinis intercluſa, & inhærentia contineat. Præcitatus Scamozzius obſervat lapides, è propriis lapicidinis avulſos, aërique expoſitos alios indureſcere, alios verò temporis progreſſu ſe comminuere, ut ſe habet iſte Marenus. Hæc obiter. Iterum ad Delubri explicationem revertimur, de qua, ut diximus, voce in eadem lege fit mentio.

Delubrum nihil aliud eſſe, niſi Sacrarium, in quo Sacra repoſita aſſervabantur, arguere poſſumus ex D. Hieronymo, qui in Joëlis Proph. expoſit. hæc ait; *Veſpaſianus & Titus Romæ templo Pacis ædificato, vaſa templi* (Hieroſolymitani) *& univerſa donaria in* Delubro *illius conſecrârunt*. Sacra tamen illa ædificia fuiſſe communior ſententia eſt, quæ plures Deorum cellas templo additas, ad inſtar noſtrarum cappellarum continebant: illorum definitionem affert Quintus Aſconius, qui aſſerit Delubra eſſe multarum ædium conjunctionem ſub uno tecto à diluvio pluviæ munitarum. Plura, ſi libet, vide apud eruditiſſimum Gothofredum ad dictam l. 25. *de Paganis*.

Pro Delubri exemplari affertur à nobis præfatum inclytum Pantheon, quod Plin. *lib. 36. cap.* 15. Jovi Ultori ab Agrippa factum, Dion verò *lib.* 53. ab Agrippa perfectum aſſerunt, atque cum ſimulacris Martis, & Veneris, multas, & penè omnes Deûm imagines eundem poſuiſſe; ad quas conciliandas auctoritates cum Nardino *lib.* 6 *c.* 4. proferre valemus templum longè antiquiùs, quàm porticum, ædificatum fuiſſe, ut ipſe architectonicus ordo demonſtrat; nam porticus meliori formâ conſtructa, imò à templo diſjuncta intuentibus clariſſimè appareret. Viſuntur adhuc tam intus, quàm extra nonnullæ cellulæ, in quibus ipſorum Deorum imagines antiquitùs collocatas fuiſſe, credibile eſt: Iccircò non ſolùm Ichnographiam, & Orthographiam, ſed etiam Scenographiam ejuſdem exhibere voluimus, ut qui Romam non inuiſerunt, figuras obſervando, ſuæ curioſitati indulgere valeant, ut in Tab. II. ſub Fig. 1. 2. 3.

Coopertis igitur templis, ut ſupra narravimus, cùm nullum amplius fanum inter, & templum diſcrimen eſſet, fani vocabulum ſenſim obſoleviſſe, templique illud manſiſſe credo. Eorum verò templorum formæ à Vi-

truvio

truvio *lib.* 3. *cap.* 1. in octo dividuntur ſpecies, nempè in Antes, Græcè ναὸς ἐν παραστάσιν deindè Proſtylos, Amphiproſtylos, Peripteros, Pſeud odipteros, Dipteros, Hypæthros. Singulas has ædium ſpecies jam in annexis Tabulis expono.

In Tabula III. & Fig. 1. exemplar eſt Antis, quando ſcilicet in Ædificii fronte erunt ante parietem, & in medio duæ columnæ, ac ſuper iis tympanum. Eadem Fig. 1. denotat Ichnographiam cum Paraſtatis in fronte, & in angulis, ac duabus columnis in medio, videlicet ubi ſunt duæ literæ A A. eſt columnarum locus. B B. Paraſtatæ. Figura 2. repræſentat Orthographiam cum eiſdem Paraſtatis, & duabus columnis, ac tympano C.

Proſtylos ejuſdem ſtructuræ eſt cum Ante. Addendæ tantùm ſunt in utroque angulo anteriori binæ hinc inde columnæ, hoc eſt, altera, quæ ad frontem, altera, quæ ad latus ſpectet, locandæque ſunt ante angulorum paraſtatas, ut Figuræ 3. & 4. ſatis abundè indicant.

Si unica facies templi ita ornetur, vocatur ædificium Proſtylos, ut indicat Fig. 3. lit. A. ſi verò etiam in adverſa parte ſimile ornamentum excitetur, ut in eadem Fig. lit. B. ædes dicetur Amphiproſtylos.

Peripteros, quod latinè circumcirca alas habens ſonat, columnis quaquaverſum cingitur, itaut in fronte ſex aſſurgant, totidem in poſtica parte: in lateribus verò (excluſis duabus, quæ frontibus etiam communes ſunt, ut potè in angulis poſitæ) octo utrinque. Inter columnas, & parietem interjacet Ambulacrum. Dilucidè omnia videbis in Fig. 5. & 6.

Pſeudodipteros eſt, quando in fronte ſunt duo ordines columnarum, ac in unoquoque ordine columnæ num. 8. In lateribus verò quindecim, angularibus computatis, ut Figura 7. & 8. exhibent: Icnographia non eſt integra ob loci anguſtiam. Orthographia frontem, ac intercolumnii ſpatium, & ambulacra demonſtrat.

Dipteros duabus alis, hoc eſt duplici columnarum ordine circumdatur. Differt ab antecedenti eodem prorſus modo, ac Proſtylos diſtinguitur ab Amphiproſtylos; Dipteros enim tam in fronte, quàm in adverſa parte, hoc eſt in poſtica, octonas habet columnas. Pſeudodipteros verò tantùm in Antica parte, & in lateribus, columnis ornata eſt.

Hypęthros itidem duplici ordine columnarum conſtruitur, decem pro quolibet ordine in fronte; ſeruatque eandem regulam, ac Dipteros. In interiori verò parte duplicem habet ordinem columnarum à parietibus diſtantium; ita ut inter columnas, & parietes ambulacrum remaneat; medium verò ſub dio ſine tecto eſt, ut apparet ex Tabula II. ſub Fig. 4. quæ trunca remanet ob loci anguſtiam. Fig. 5. quæ Orthographiam repræſentat, frontem & deambulacra denotat.

Huc uſque Vitruvius templorum formas quadrilateras, ac ſimiles deſcripſit: in *lib.* verò 4. *cap.* 7. breviter differit de rotundis templis, quæ in duas dividit ſpecies, nempè in Monoptera, ac in Periptera. quorum primum ſine cella eſt, ſecundum cum cella; utraque verò columnis circumdata, uti Philander explicat in *annot. ad lib.* 4. eiuſdem Vitruvii *cap.* 7. eius hæc verba: *Cæli naturam imitati veteres*

*tres, in primis, rotundis ſunt delectati. Eorumque ſine cella ſunt, ſed columnis tantùm circumuallata, Monoptera dicuntur; quæ cellam habent Periptera vocantur* - Peripteri templi exemplar in hac Urbe viſitur B. M. dicatum, ſub denominatione Solis, olim S. Stephani *delle Carrozze* ad ripam fluminis. Tiburi etiam adiacet templum hauḍ abſimile *Sibyllæ Domus* vulgò indigitatum, quod Cluverius in ſua Italia antiqua exiſtimat Herculis Ædem fuiſſe.

Tabula II. exhibet utrumque ordinem in Fig. 1. 2. 3. 6. & .7 propterea ab explicatione facilè abſtineo.

De templorum forma apud antiquos Romanos recepta, hucuſque à nobis actum eſt. Supereſt ut de Baſilicarum ſtructura quidpiam addamus; ad priſcarum enim exemplar plures conſtitutæ ſunt ædes Sacræ à Chriſtianis, quæ etiam hodie nomen Baſilicæ retinent: quin imò quamplures quoque ex antiquis in ſacros uſus conuerſæ ſunt, & divino cultui ſacratæ.

De Baſilicis ſummatìm egit laudatus Vitruvius *lib.* 1. *cap.* 1. Ex recentioribus verò Andreas Palladius *lib.* 3. *c.* 19. Vincentius Scamozzi *lib.* 3. *cap.* 5. Leo Baptiſta Albertus *lib.* 7. *cap.* 14.

Cùm autem vocis iſtius etymon, illiuſque varia ſignificatio non omnibus nota ſit, ideò ab incœpto Laconico ſtylo aliquantulum non majorem Lectoris gratiam deflectere in injcundum exiſtimo.

Baſilicam igitur omnes conveniunt Scriptores à Græca voce Βασιλικὴ derivari, quæ Regiam denotat, cum Βασιλεύς Regem, ſive Imperatorem ſignificet. A principio Baſilicæ à Romanis ædificatæ fuêre, ut Populus in eis ad jus dicendum conuenire poſſet; illarum forma utplurimum ſic erat. Cingebantur porticibus, concameratis ex coaxatis contignationibus, immiſſis in paraſtata columnis, aut pilis adjunctis, ſuperque contignationem altera erat, & ſuperior porticus, cujus tectum teſtudinatum aliis poſtibus, paraſtatis, & arctariis ſuſtinebatur. Medium ſpatium, & quaſi ſuperior porticus, pluteus vocabatur, qui in utrumque latus per intercolumnia periſtyliorum liberum habebat proſpectum. Paraſtatæ verò duplæ erant ad rectitudinem porticûs, ſicut & columnæ perpetuò Scaporum ductu ad Baſilicæ latitudinem. Solebant enim in eiſdem quatuor adeſſe Tribunalia, in quibus ſtabant Oratores, ac in orbem Judices. Duæ aderant porticus, inferior, ac ſuperior; in inferiori Judices, Aduocati, ac aliorum litigantium turba. In ſuperiori verò ex una parte feminæ, ex alſa viri, qui judiciis intererant, ſtare conſueverunt, ut videre, & jusdicentes audire poſſent. Harum Baſilicarum Iconiſmum refert Spanhemius expreſſum in quodam Numiſmate, ubi viſitur Baſilica Aemilia. Et ne graveris Spanhemium adire, idem Numiſma exhibeo in Tab. XXI. ſub fig. 4. earundem. Baſilicarum itidem forma inuerſo tamen ordine porticûs, cùm intus ſint, adhuc videri poteſt Romæ in Baſilica Sanctę Agnetis extra Urbis mænia, & in Baſilica Sancti Laurentii in Agro Verano, ubi & porticus duplex eſt; uti & in Eccleſia Aquiſgranenſi à Reverendiſſimo Domino N. Vander Linden 1. vitiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Decano acc imus, cùm exemplari Muſivi operis illic à Carolo Magno con-

constructi nobis transmiserit, de quo suo loco. Interim audiamus Plinium easdem Basilicas describentem, qui lib. 6. epist. 33. *Sedebant* (inquit) *Judices centum & octoginta. ingens utrinque Aduocatorum, & Astanitum corona latissimum Judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum Tribunal, atque etiam ex superiore* BASILICÆ *parte, quà feminæ, quà viri, & audiendi quod erat difficile, & quod facile visendi studio imminebant*; Unde Seneca *de Ira* lib. 3. c. 33. *fremitu judiciorum Basilicæ resonant*. Postea cum à Senatoribus, qui illùc veniebant, vel à Judicibus, qui ibi omnis generis causas cognoscere, vel ab hominibus peritis, qui clientibus inibi de jure respondere solebant, locus vacaret, Mercatores ibidem, ac Nummularii negotiari cœperunt; quod innuit Basilica Argentariorum, in octava Urbis Regione, de qua meminit P. Victor; nisi potiùs dicendum, quod Mercatores ad Basilicarum formam construxerint loca, in quibus convenire possent, ut etiam hodie in aliquibus Civitatibus, & præcipuè maris Portubus obtinet.

Quare eisdem locis ad Basilicarum formam constructis Basilicæ nomen Priscos indidisse conjecturari haud temerè potest. Novemdecim Romæ Basilicas fuisse idem Victor narrat. Locus verò ubi Tribunalia stabant hemicycli formam retinebat, quare ab ipso Tribunali Tribunæ nomen sortitus est, qui etiam ab aliquibus Absida dictus fuit, de qua voce S. Paulinus in Epist. 12. ad Severum, ait: *Sed de hac Apsida, an Abside magis de re debuerim, tu videris; Ego nec re me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor.* Isidorus lib. 15. c. 8. *Absida* (inquit) *Græco sermone, Latinè interpretatur lucida, eò quod lumine accepto per arcum resplendeat. Sed utrum Absidam an Absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam Doctorum existimant*. Præbuit etiam hæc eadem vox altercandi occasionem inter Orthographiæ Professores, an cum B. vel P. scribenda sit. Joannes Gerardus Vossius in suo Etymologico asserit scribendam esse cum B. suamque opinionem variis rationibus sulcit, cui obstat Claudius Dausquius in sua Orthographia per P. pingendam contendens. Quare cum Grammatici certent, & adhuc sub Judice lis sit, Orthographiæ studiosis relinquimus dirimendã.

Verùm Basilicæ, unde diverteram, ut evaderet amplior, intus à lateribus antiqui addidêre unicam Porticum, deinde duplicem. Insuper & ante Tribunal transversam Navim, quam aliquando bifariam adinstar Porticûs cum columnis diviserunt, hancque Causidicam denominârunt; quia in ea Notarii, & alii Causarum Patroni conveniebant. Quare Navis hæc literæ T. figuram repræsentabat; & ut commodior evaderet, exteriores superaddidêre Porticus in Servorum usum. Has prope Forum Basilicas antiquis construere solenne erat, & in meridiem fronte aspicientes, ut in eas hyeme sine ulla temporis injuria Negotiatores se conferre possent. Earum latitudines nec minus quàm ex tertia, neque plus quàm dimidia longitudinis parte constare solebant. Fenestræ quoque ad lumen uberiùs excipiendum, satis amplè patebant, ut litigantium commodo in perlegendis, examinandisque tabellis consuleretur.

Pri-

TAB. IV.

*Ichnographia Basilicæ Sessorianæ*




pag. 9.

TAB.V.

# *Ortohographia Basilicæ Sesforianæ*



TAB. V.



pag. 9.

pag. 9.

Priſci etenim Chriſtifideles in ædificiis conſtruendis Gentilium imitatores, ad eorum ſimilitudinem ſacra templa erigebant, vel ab Ethnicis jam erecta, ab omni profanæ ſuperſtitionis labe expiata, divinos in uſus aptabant: ut innuit Auſonius in gratiarum actione pro Conſulatu: *Baſilicæ olim negotiis plenæ, nunc votis pro tua ſalute ſuſceptis*. Et Iſidorus *Originum* lib. 5. *Baſilicæ prius vocabantur Regum habitacula, nunc autem ideo Baſilicæ Divina templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur*.

Supradicta Architectonica præcepta obſervata animadvertimus in Baſilica Siciniana ab Ethnicis conſtructa, ac etiam in aliis Chriſtianorum Baſilicis, nempè Seſſoriana, S.Pauli, S.Laurentii in Agro Verano,& aliis, de quibus infra.

Ut autem quæ narravimus clariora ſint, ejuſdem Sicinianæ Baſilicæ Ichnographiam, & Orthographiam ſub oculos ponimus, ut in ſuperallata Tabula I. Fig. 3. & 4.

Iſtius Baſilicæ longitudo eſt pal. 85. latitudo verò 65. diameter, ſive chorda hemicycli, ſive abſidis eſt 44. ſemidiameter 28. Ejuſdem abſidis, quæ lit. A. denotatur, & retroacto anno diruta fuit, 24. Porticûs longitudo 68. latitudo 23. Tres in quolibet latere habet feneſtras: ſingularum latitudo pal. 15. altitudo ſeſquialtera, tres iſtarum ad Meridiem verſæ muro clauſæ ſunt.

Porticus Occidentem hybernum reſpiciens, quatuor habet januas, quarum prior Septentrionem verſus, aliis tribus minor eſt. In angulis quoque geminæ aliæ patebant, ſicuti Orthographia demonſtrat in dicta Tabula Fig. 4. Super porticum aderant quatuor feneſtræ, ſuperque tectum porticûs tres, quarum mediæ imminet feneſtra orbicularis.

Seſſoriana autem Baſilica in tria deambulacra, ſeu Naves diſtinguitur, ut in Tab.IV.quæ Baſilicæ Ichnographiam demonſtrat. Earundem Navium longitudo à liminibus uſque ad arcum triumphalem, ſive Navim tranſverſam eſt pal. 118. medianæ Navis 42. lateralium 22. tranſverſæ longitudo 86. latitudo 35. Ad ipſam per tres gradus aſcenditur. In medio Altare majus aſſurgit cum Ciborio incumbente quatuor porphyreticis columnis. Literæ A. & B. deſcenſum ad ſubterraneam Cappellam Sanctæ Crucis denotant; de qua ſuo loco diſſeremus.

Duodecim magnæ columnæ è Numidico marmore Naves diſtinguunt, pro qualibet parte ſex. Diameter abſidis eſt palm. 68. ſemidiameter verò 32. ex quolibet latere quinque magnas feneſtras habet, ut Tab. V. Orthographica indicat; & ſub eiſdem totidem ſunt arcus latitud. palm. 20. altitud. verò duplicatâ proportione. Feneſtrarum eadem eſt latitudo, altitudo ſeſquialtera. Lateralis feneſtra propè abſidam, quæ Boream reſpicit, bifariam dividitur à columna marmorea, qua interſecatur. Reliquæ verò tres muro obductæ ſunt,ſive,ut veriùs dicam,coarctatæ,reverâ enim totus feneſtræ hiatus oppletus non fuit, ſed ingeſtis hinc inde lateribus tantum ſpatii relictum eſt, ut in altitudine palmis viginti quatuor, in latitudine verò tribus tantummodò pateat. In quarta ſolummodò feneſtra nullus

aperturæ locus relictus eſt, ſed muro penitùs occupata fuit, quod contigit etiam arcubus, qui feneſtris ſubjacent, ut ex ipſa Orthographia colligi poteſt, quam ſimul cum Ichnographia contemplare.

Porticum ante faciem Baſilicæ ſex columnæ ſuffulciunt, quarum aliæ ex Numidico, aliæ verò ex Phrygio marmore conſtant. Hac olim in porticu duæ aderant Cappellæ : at hodie una tantùm. Neutram tamen illarum fuiſſe cum Baſilica inchoatam exiſtimo, ſed poſterioribus ſæculis additam. Supra porticûs tectum, feneſtræ olim amplitudinis non exiguæ laxabantur ; cum altitudine pal. 30. latitudine verò 20. æquarent. Hæ tamen hodie ducto muro occluduntur. Porticum autem ingredientibus à dextris occurrit turris campanaria, quæ maximam vetuſtatem præſefert.

Auguſtior eſt celeberrima Doctoris Gentium Baſilica cum mole, tum auctoribus. Magnus enim Conſtantinus illam primò conſtruxit; auxerunt verò, vel potiùs denuò à fundamentis in ſplendidiorem hanc formam, quâ modò viſitur, excitârunt Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius A A A. latiùs de illa differemus in noſtro tractatu, quem poſt præſentem in lucem edituri ſumus, *De ſacris ædificiis tam in Occidente, quàm in Oriente à Magno Conſtantino conſtructis*. Nunc enim ejus ſtructuram brevibus proſequi ſatis fuerit. Baſilica hæc ſeptem continet porticus, ſive Naves, quinque in longum, duaſque tranſverſas : ut Ichnographia demonſtrat in Tab. VI. Quinque Navium longitudo eſt pal. 404. latitudo verò medianæ 110. lateralium 40. In totum Baſilicæ latitudo, comprehenſo, quod occupant baſes columnarum ſpatio, eſt pal. 304. Aſcenditur ad tranſverſas Naves per quinque gradus, quarum longitudo eſt pal. 324. Singularum latitudo pal. 52. ambarum ſimul, comprehenſo columnarum ſpatio 120. In prima iſtarum Confeſſio eſt, ſive Altare majus, & Presbyterium, ſive Abſis, in qua aderant viginti culumnæ, inde à Xyſto V. occaſione reſtaurationis aſportatæ, ut ſcribit Severanus *De Septem Urbis Eccleſiis*; Navis medianæ columnæ ſunt numero quadraginta ; viginti videlicet à quolibet latere ordinis Corinthii, quarum ſexdecim non ſunt perfectè elaboratæ, ſed in aliqua parte rudes ; aliarum verò viginti quatuor, quatuordecim ex duabus marmoris partibus conſtructæ ſunt. In aliis Navibus totidem numero columnæ, ſed minoris magnitudinis, & altitudinis. Narrat idem Severanus nonnullas ex eiſdem columnis fuiſſe deſumptas ex mole Hadriana. Profectò in omnibus non apparet eadem Architectonica regula, quod etiam baſibus contigit. Hinc exiſtimo, illas, quæ politiores ſunt, ex eadem mole deſumptas, alias verò rudiores fuiſſe elaboratas ætate ſupradictorum Imperatorum Theodoſii &c. quo tempore bonæ artes in deterius labebantur.

Facies Eccleſiæ, quæ Occidentem hyemalem reſpicit, quinque habebat januas, quarum media tantùm aperta eſt ; aliæ verò muro obſtructæ ; tempore autem Jubilæi, ſive Anni Sancti ea reſeratur, videlicet quæ in Ichnographia ſignatur lit. A. Ad ſiniſtrum latus eſt turris campanaria ut lit. B. denotat. In quolibet Navis medianæ

latere


E
D
C
B
A
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100
Scala di p.mi 100 Rom.

*Orthographia Basilicæ S. Pauli*

TAB. VII.



TAB·VII·




pag·11·

latere, una & viginti feneſtræ, quarum latitudo, oculo judice, eſt duodecim circiter palm. altiiudo verò duplicatâ ; modò autem aliæ apertæ ſunt, aliæ clauſæ.

Nonnullæ bifariam diviſæ per columnam interpoſitam, ut in Eccleſia Sanctæ Crucis ſupra diximus: totidem feneſtris ornantur duæ reliquæ Naves laterales: magnitudo tamen, & altitudo illarum minor eſt, prout ex ipſa Orthographia argui poteſt, quam habes in Tabula VIII. In tranſverſis etiã Navibus, ad ſiniſtrum ingredientium latus, aderant tres aliæ maximæ feneſtræ, indicatæ per literas C.D.E. ſingularumque latitudo 20. circiter palmorum, altitudo verò 40. His imminebant tres aliæ orbiculares, quarum diameter eſt pal. 12. Item in facie, quæ turrim campanariam proſpectat, ubi ſunt lit. A. B. gemine aliæ ejuſdem cum ſuperioribus tribus, & longitudinis, & latitudinis, totidemque iis orbiculares ſupererant, quarum diameter eſt pal. 12. ut in aliis. Plagæ etiam Orientali ſex aliæ reſpondebant cum orbicularibus ſupraposſitis, numero & magnitudine æquantibus eas, quas in Occidentali pariete deſcripſimus.

Antiquas inter Baſilicas referri meritò poteſt vetuſtiſſima Eccleſia S. Clementis: licèt enim nomine Baſilicę Noſtrates illam minimè nuncuparent, attamen ob formam ſtructuræ Baſilicam refert. Inſignis eſt hæc ſacra Ædes titulo Cardinalis, referente Ugonio, ipſius S. Pontificis natalibus illuſtrior; aſſerit enim hanc olim extitiſſe paternam Domum S. Clementis, in qua & D. Barnabas, cùm Romam adveniſſet, ab eodem exceptus fuit.

In hac eâdem Eccleſia Cæleſtius Pelagii ſectator, præſente Zoſimo Summo Pontifice, erroneum dogma (licèt luſoriè) abjuravit; ut habetur in Epiſtola ipſius Pontificis *ad Africanos Epiſcopos*, data Honorio Auguſto XI. & Flavio Conſtantino Coſs. ſcilicet anno 417. Itidem de hac Eccleſia meminit D. Hieronymus in *Illuſtrium Virorum* libro, de eodem Sancto Clemente ita ſcribens: *Nominis ejus memoriam uſque hodie extructa Eccleſia cuſtodit*. Quòd autem titulo Cardinalis perantiquo nobilis ſit, patet ex Epiſtola S. Leonis Magni ad Flavianum Epiſcopum CP. in ordine 24. juxta nuperrimam ac eruditam Queſnelii editionem; in qua Epiſtola cujuſdam Romani Presbyteri tituli S. Clementis mentio fit. Ejuſdem autem Epiſtolæ data, eſt Idibus Junii, Aſterio & Protogene Coſs. qui floruerunt anno Chriſti 449. Hìc obiter notandum, quòd Aſterius præponitur Protogeni contra communem Conſulum catalogum à diverſis Scriptoribus concinnatum. Urbicum etiam Presbyterum tituli S. Clementis reperio ſubſcriptum in Concilio I. Romano, ſub Symmacho Papa Anno Domini 499. celebrato. In hac eadem Baſilica Divus Gregorius Magnus Homilias 33. & 38. recitavit; ac in quarto Dialogorum libro narrat, Servulum nomine, patrimonio pauperem, ſed meritis divitem, longâ correptum paralyſi jacuiſſe, quouſque ſupremum vitæ diem, morbo, & egeſtate patienter toleratis, ſanctiſſimè obierit.

Pompejus Ugonius ſupracitatus *De Stationibus Urbis*, autumat Baſilicam hanc à Nicolao I. Summo Pontifice fuiſſe reſtauratam, ſuamque elicit

conjecturam ex annexo monogrammate in quinque locis ſpeti marmorei inſculpto, quod explicat *Nicolaus*; fulcitque ejuſmodi conjecturam ſatis probabili ratio-



num apparatu. Datur tamen aliquis dubitationi locus ex ipſa literæ conformatione, quæ ad vocem *Nicolai* exprimendam trahi non poſſe videtur cùm litera principalis H. voci *Nicolaus* aptari nequeat. Deſiderantur præterea literæ C. & L. niſi Ugonius aſſerat L. formari à linea tranſverſa ſub S. compoſita cum antecedenti haſtula literæ N. utcunque ſit, invenienda adhuc erit in monogrammate litera C. Ugonii ſententiam ſequuntur Alemannus *de Lateranenſibus Parietinis* cap. 3. & eruditiſſimus Du Cange in ſuo *Magno Gloſſario* in hac voce *Monogramma* pag. 666. Ego verò divinare tento, ſi meam profero ſententiam, dum hoc monogramma JOHANNES denotare aſſero, qualis autem iſte Joannes fuerit, fateor me ignorare. Ejuſdem tibi Baſilicæ interiorem Scenographiam exhibeo, ac Orthographiam porticûs, nec non faciei lateralis, quæ Auſtrum reſpicit, ut in Tabulis VIII. & IX. Plura de partibus interioribus dicenda forent, ſed de his infra *cap.* 2. ubi Tabulam Ichnographicam exponemus.

Præterea pro coronide harum ſacrarum Ædium, faciem templi Sanctæ Mariæ in Coſmedin, aliàs *Schola Græca*, quæ Diaconia, ac etiam Collegiata eſt, libuit annectere, quæque cùm vetuſtiſſima ſit, & in ea (uti fama eſt) Divus Auguſtinus Rhetoricam docuerit, obſervatione non perfunctoriâ digna eſt. Turris ibi campanaria viſitur altitudine ſpectabilis, nam ſeptem ordinibus Architectonicis conſtat, ut in Tab. X. conſpici poteſt. In porticûs ingreſſu ſuper columnis, ferrum quadratum ad columnarum concatenationem poſitum eſt, in quo nonnulli annuli ferrei, è quibus antiquitùs vela ſuſpendebantur. Qui annuli adhuc viſuntur in ſimilibus antiquis porticibus aliarum Eccleſiarum; nempe ſupradicti Sancti Clementis, SS. Coſmati, Alexii, Georgii in Velabro, ac S. Praxedis.

De hac eadem Baſilica plura dici poſſent, ſed nolo falcem ponere in meſſem alienam, cùm de illa amicus noſter D. Abbas Carolus Bartholomæus Piazza, ejuſdem Eccleſiæ Archipresbyter (Reipublicæ eruditorum ob ſacras memorias, quas in lucem indefeſſis laboribus revocavit, ac revocare minimè ceſſat, ſatis notus) in ſuo tractatu *De Titulis, ac Diaconiis EE. RR. DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium*, quem propediem Typis mandare intendit, fuſiùs ac eruditè, ut vidimus, agat.

## CAPUT II.

### *De ſingularibus partibus intra Eccleſias ad ſacra peragenda ſpectantibus.*

CUM apud ſacros Canones antiquoſque Auctores de nonnullis ſacrarum ædium internis partibus ſæpè mentio fiat, quarum cùm vſus jam obſoleverit, ob quoſdam vel in melius mutatos ritus, vel omninò ſublatos, ita ſuadente temporum conditione, minus propterea ſingulis apertus eſt, & ignotus quamplurimis: hinc noſtri muneris eſſe duximus, nihil hujuſmodi obſcurum relinquere, ſed

iconi-

*Scenographia interior* *Basilicæ S. Clementis* TAB VII

TAB. IX

per artis contumeliam, & rudi, crassâque Minervâ coagmentata. Hinc in illis ædificiis multa reperies eodem tempore sibi adversantia, puta, columnas unius ordinis, alias Corinthiis, alias Ionicis basibus, & capitulis junctas, pavimentum partim servatâ co[illegible] in quamplurimis sacris Basilicis, sicut benè advertentibus notum erit.

Ex multis illis præcipuum exemplum sit pervetusta Basilica Sancto Laurentio dicata in Agro Verano. In hac omnes ferè bases, capitula, & colu-

Facies Porticus Basilicæ S. Clementis

pag 12



pag. 12.

per artis contumeliam, & rudi, crassâque Minervâ coagmentata. Hinc in illis ædificiis multa reperies eodem tempore sibi adversantia, puta, columnas unius ordinis, alias Corinthiis, alias Ionicis basibus, & capitulis junctas, pavimentum partim ſervatâ co[illegible], patet [illegible] in quamplurimis ſacris Baſilicis, ſicut benè advertentibus notum erit.

Ex multis illis præcipuum exemplum ſit pervetuſta Baſilica Sancto Laurentio dicata in Agro Verano. In hac omnes ferè baſes, capitula, & colu-

pag. 12.

iconibus, & descriptione congruâ partes illas exponere: quippè qui inter antiquas Ecclesiarum imagines illud potissimùm inquirimus, quod ad ritus ecclesiasticos pertinet.

Majori igitur, quâ possumus diligentiâ, ad antiquarum Ecclesiarum, declarandas partes, nos convertimus. Selegimus proinde inter cæteras, quæ Romæ supersunt Ecclesias, supramemoratam Sancti Clementis, quæ inter Lateranensem Basilicam, & Amphitheatrum Vespasiani Cæsaris, ferè mediâ viâ locata est. Singulas propemodùm partes adeò integras servat, ut religione, quam adhuc ingerit intuentibus, vel sola valeat priorem Ecclesiam unico obtutu explicare. Antequam tamen ad hujus Basilicæ interna, præcipuaque accedamus, aliquid de illius extimis partibus prælibabimus. Sed ad hoc, præmittendum, præmonendumque omninò esse putamus, (quod non tam ad hanc, cæterasque quarti, & quinti sæculi Ecclesias, sed etiam ad aliquot profana ædificia examinanda multum lucis nobis afferet) nimirùm, quod labentibus jam cum Romano Imperio bonis artibus, ad barbariem adeò deventum est, vt exciderent passim ex veterum Imperatorum nobilissimis ædificiis columnæ, bases, capitula arte cultissimâ elaborata, illisque adjicerentur incondita quæque à novis illis Cæmentariis, potiùs quàm Architectis per artis contumeliam, & rudi, crassâque Minervâ coagmentata. Hinc in illis ædificiis multa reperies eodem tempore sibi adversantia, puta, columnas unius ordinis, alias Corinthiis, alias Ionicis basibus, & capitulis junctas, pavimentum partim saeris, partim profanis inscriptionibus, quà mutilis, quà integris stratum; unum eundemque Zophorum, aut Epistylium quà elaboratissimum, quà omninò barbarè excissum veriùs, quàm sculptum. Testis sit arcus ille Magno Constantino à S. P. Q. R. dicatus, in quo apertè dignoscitur sæculi ejusdem infelicitas, cùm Trajani ex aeu direptas statuas, coronides, columnas, & fortassis etiam molis symmetriam inde deductam, ipsi Cæmentarii corruperint barbaris cælaturis, quas in basibus supra curvaturam arcûs, & alibi collocârunt. Evidentiùs dignoscitur ex adhæsione operum adeò dissimilium artificum, illorum inscitiâ, qui æuo Constantini vigebant, quò propiùs admoventur elaboratissimis superiorum temporum cælaturis, infelicia postremæ ætatis anaglypha.

Quo argumento satìs docemur, quantam cladem tractu temporis passa fuerit cum cæteris artibus Architectura, cùm quarto nostræ salutis sæculo (quo adhuc quidam primorum ingeniorum igniculi supererant) adeò à veteri sua dignitate prolapsa jaceret.

Verùm hæc combinatio, & incompta conglutinatio uniuscujusque ordinis columnarum, epistyliorum, & omnis generis cælaturarum, quas è collapsis Imperatorum ædificiis, & ex Idolorum dirutis templis rudes artifices recollegerant, & in novas fabricas nullâ Architectonicæ artis lege servatâ congesserant, patet quoque in quamplurimis sacris Basilicis, sicut benè advertentibus notum erit.

Ex multis illis præcipuum exemplum sit pervetusta Basilica Sancto Laurentio dicata in Agro Verano. In hac omnes ferè bases, capitula, & colu-

columnæ inter ſe diſcrepant. Quin & in Zophoro ambonis inſculpta prominent vaſa quamplurima, atque inſtrumenta Sacris Gentilium adhiberi ſolita, ut videri poteſt in ſequenti Tab. XIII. Fig. 1. lit. C. D. Ex quo quis non arguat, marmor illud ex aliquo Ethnicorum ædificio fuiſſe deſumptum?

Hæc igitur prænotanda judicavimus, vt quum hujuſmodi diſſimilium partium coagmentationes, tum in hac S. Clementis, tum in cæteris pervetuſtis Baſilicis paſſim occurrant, ne harum Eccleſiarum veſtibula intrantes ſcrupulosâ, ac inutili animadverſione hæreant, ſed potiùs ad utiliores præcipuarum internarum partium obſervationes nobiſcum, ſi libet, procedant.

Ichnographiam itaque exponit Tab. XI. ubi lit. A. Prothyrum denotat, ſive paruam porticum, in qua ſunt quatuor columnæ ex Numidico marmore. Baſes verò non viſuntur, quia terra eas obruit. Duæ columnæ anteriores capitula habent Ionica, & invicem connectuntur ferreâ quadam virgâ quadratâ, utramque tangente ſuis extremis. Excurrunt per ferream virgam annuli tres pariter ferrei, quorum ope appenſa olim detinebantur vela, dum feſtis diebus ſolennioribus templa priſco ritu ornarentur. Aliæ duæ columnæ muro adhærentes, Corinthiis donantur capitulis, quibus imminent marmorea Epiſtylia cum Zophoris, & Coronis.

Fulcitur hiſce partibus teſtudo, Crucis in morem aſſurgens, decuſſatâ concameratione, & picturâ olim ornata, cujus tamen veſtigia tractu temporis ſenſim eroſa, vix hodie ſuperſunt: In interiori parte Epiſtylii dextrorſum depictæ ſunt aves nonnullæ ſe invicem inſequentes. At Epiſtyliis impoſita exteriùs ſunt triangularia tympana, ſive frontes, marmoreis menſulis elaboratæ. Fornici denique tectum faſtigiatum incumbit. Prothyri latitudo eſt pal. 7. longitudo verò 10. Litera B. Januam denotat latitudinis pal. 10. per quam patet ingreſſus ad ambulacrum longitudinis pal. 20. ½ ex quo item in impluvium. Dexteram partem ornat porticus C. ſenis Numidici ſuſtentata columnis, quarum prima poſt ingreſſum duabus è Pario marmore partibus conſtat. Sub eadem porticu in medio ſcalæ ſitæ ſunt. D. per quam in Cœnobium aſcenditur. E. eſt ipſum impluvium longitudinis pal. 83. latitudinis 87. F. eſt ingreſſus in porticum. G. ubi ſunt quatuor columnæ Numidici marmoris cum Ionicis capitulis; baſibus verò doricis. Hac in porticu veteres publicè pœnitentes aſtabant, qui ad pœnitentiam admiſſi, palàm crimina confitentes, cilicio, & cinere horridi, plorantesque, veniam, ac preces ab introëuntibus expoſcebant. Porticus à ſiniſtris aſſurgebat, nunc demolita. H. campanaria turris, ſed recentiorum temporum opus.

Tota Eccleſia parallelogrammi figuram obtinet, cujus longitudo eſt pal. 188. latitudo verò 103. tribus diſtinguitur Navibus rudi mole conſtructis, & vix ullum inter ſe ordinem ſervantibus: mediana namque lata eſt pal. 53. dextera reſpectu ingredientium, Boreamque reſpiciens pal. 19. ſiniſtra, quæ ad Auſtrum tendit 25. Reverâ tamen hæc amplitudinis diſcrepantia in Navibus conſultò potiùs, quàm caſu ſervata eſt, cum alibi etiam reperiatur, ut modò ſubdam.

Dili-

# Ichnographia Ecc. S. Clementis TAB. XI



Diligentiſſimus antiquarum hiſtoriarum indagator Baronius in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos n. 52. ac in Annalibus ad annum 57. nu. 123. & ſeqq. oſtendit, veterem, ac laudabilem morem, qui diù in Eccleſia permanſit, ut ſeorſim à viris feminæ convenirent in Eccleſia, nec non diſjunctim virgines ab aliis orantes perſiſterent.

Amalarius verò Eccleſiaſticus Scriptor, qui floruit in principio noni ſæculi, in ſuo tractatu, quem reliquit *De Eccleſiaſticis officiis* li. 3. cap. 2. hanc feminarum à viris in Eccleſiis ſegregationem ſic deſcribit. *In conventu Eccleſiaſtico ſeorſum maſculi, & ſeorſum feminæ ſtant, quod accepimus à veteri conſuetudine &c.* & infra; *Maſculi ſtant in Auſtrali parte, & feminæ in Boreali, ut oſtendatur per fortiorem ſexum, firmiores ſanctos ſemper conſtitui in majoribus tentationibus æſtûs hujus mundi: & per fragiliorem ſexum infirmiores ſanctos.* Pro majori dictorum firmitate addimus inſcriptionem, quæ in antiqua Baſilica Vaticana olim legebatur, quam refert idem Baronius; ac Severanus in ſuis *Memoriis ſacris, ſeptem Eccleſiarum Urbis* aſſervari aſſerit in Archiuo ejuſdem Baſilicæ, cujus tenor eſt.

AD S. PETRVM APOSTOLVM ANTE, REGIA IN PORTICV, COLVMNA SECVNDA QVANDO INTRAMVS, SINISTRA PARTE VIRORVM, LVCILLVS, ET IANVARIA HONESTA FEMINA.

Mos iſte etiam deducitur ex Pontificali libro in Symmachi vita, *qui fecit Oratorium S. Crucis à parte virorum*, & in vita Sergii I. *Hic fecit imaginem auream B. Petri Apoſtoli, quæ eſt in parte mulierum*: & in Gregorio III. *hic fecit Oratorium intra Baſilicam S. Petri juxta arcum triumphalem in parte virorum.*

Non ſolùm in præmemorata Eccleſia S. Clementis hanc Navium diſparitatem obſervavimus, verùm etiam in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, quæ itidem antiquiſſima eſt, ubi Navis Meridiem reſpiciens eſt palmorum 16. altera verò ad Boream vergens duorum & viginti.

Hiſce nos non contenti obſervationibus, extra Urbem animum adduximus, an in aliis Civitatibus eadem forma obſervata fuerit, percepturi. Ex colloquiis igitur, quæ cum amico noſtro Gaſpare del Torto Patritio Piſarum, ſacriſque Romani Imperii nobili, habuimus, nonnullas in eadem Civitate adhuc extare Eccleſias intellexi-mus, quæ magnam redolebant vetuſtatem; ideò illum rogavimus, ut earundem Eccleſiarum Ichnographias ad nos tranſmitti, curaret. Noſtræ huic petitioni libentiſſimè indulſit, cùm pauca temporis intercapedo interceſſerit, quin nobis nonnullas earundem Eccleſiarum Ichnographias tradiderit, quarum contenta breuiter referimus, reductâ Piſanâ menſurâ ad Romanam.

Primitialis Eccleſia in eadẽ Civitate vetuſtiſſima adhuc viſitur, quæ in ſummitate ad Crucis formam conſtructa, ac quinque diſtincta Navibus eſt. Illæ quæ propinquiores muro ſunt, ſingulæ habent columnas quatuordecim, aliæ verò duæ juxta medianam Navim habent columnas duodecim cum duabus paraſtatis, in tranſverſa verò Navi, quæ ad ſummitatem Baſilicæ eſt,

ſunt

ſunt columnæ ſexdecim, ultra octo earundem Navium lateralium, quæ cum illis ſexdecim eundem traſverſum ordinem conſtituunt, ſicque in tota Baſilica ſunt columnæ nu.68. ex Numidico marmore, altitudinis circiter palmorum 34. Totius Eccleſiæ longitudo eſt palmorum 403. latitudo verò eſt palmorum 134.$\frac{1}{3}$, ac Navium, quæ Septentrionem reſpiciunt, palmorum 35. $\frac{1}{2}$, quæ autem ad Meridiem tendunt, ſunt palmorum 33.$\frac{2}{3}$.

In eadem Civitate eſt etiam alia antiquiſſima Eccleſia, in qua vetuſta traditio extat, Sanctum Clementem primum hujus nominis Pontificem, ibi Miſſam celebrâſſe, ibique adhuc altare ſervatur, ac columna, cui S. Petrus cymbam alligare ſolebat. Templum hoc tribus eſt diſtinctum Navibus, quarum mediana habet palmos 117. in latitudine; altera ad Boream 32.$\frac{1}{2}$. altera verò ad Meridiem 30.$\frac{1}{4}$ Totius Eccleſiæ longitudo eſt palmorum 239. cum duabus tribunis, ſive hemicyclis, quæ tam in capite, quám in pede Eccleſiæ, è conſpectu invicem ſunt.

Viſitur quoque ibidem in dicta Civitate non inelegans alia Eccleſia ſub nomine Sancti Xyſti; quæ tribus etiam eſt diviſa Navibus; quæ ad Aquilonem vergit eſt palmorum 13. illa verò ad Meridiem palmorum 12. $\frac{1}{2}$.

Nolo ſub ſilentio prætermittere aliam pariter Eccleſiam S. Pauli *ad ripam Arni* appellatam, quæ juxta conſuetam formam antiquarum Eccleſiarum tres habet Naves; illa ad Boream tendens eſt palmorum 16. ſita verò ad Meridiem 14.

Pro coronide iſtius celebris, & antiquæ Civitatis alteram adduco Eccleſiam S. Perino dicatam, quæ licèt inæqualis ſit formæ, attamen in tres etiam diſtincta eſt Naves. Illa, quæ ad Aquilonem ſita eſt, habet in latitudine palmos 18. quæ verò ad Meridiem palmos 13.

Animadvertendum tamen eſt menſuras nobis traditas fuiſſe in brachia, ſolidos, & quadrinos menſuræ Piſanæ, quam ad Romanos palmos reduximus, ſed non ſcrupulosè: ut etiam obſervavimus, Naves anguſtiores eſſe propè Eccleſiæ frontem; in capite autem latiores, ideo ſcrupula omiſimus tanquam minimè neceſſaria ad oſtendendam intentionem noſtram.

Allatis notitiis alias ſubdimus, quas nobis communicavit etiam amicus noſter Abbas Franciſcus Blanchinus, aſſerens, ſe obſervâſſe Veronæ in Ædе Divi Petri *in arce*, quam omnium vetuſtiſſimam dicit Panvinius in ſuo Tractatu *De Antiquitatibus Veronenſibus*, ubi Anno Chriſti 513. S. Verecundus ipſius Civitatis Epiſcopus ſepultus fuit; additque Panvinius ipſe Luitprandum eandem Eccleſiam *pretioſi operis* appellare, ejuſque Borealem Navem eſſe palmorum 27.$\frac{1}{2}$ Meridiolem verò 23.$\frac{3}{4}$.

Præter ſupra adductas, habemus etiam Eccleſiam S. Sabinæ Urbis, cujus Navis Aquilonaris eſt palm. 22.$\frac{1}{2}$, Meridionalis verò palm. 29. quod aliis obſervationibus à laudatis amicis del Torto, & Blanchino factis confirmatur: Vlteriùs in Eccleſia divi Michaëlis *in Burgo* appellatâ Piſarum, Navis Borealis eſt pal. 12. Auſtralis verò 13.

Idem Blanchinus in itinere, quod Româ ad patriam fecit, Otriculi animadvertit, Navem Auſtralem latiorem eſſe Boreali, nam illa eſt pedum 10.$\frac{1}{2}$

iſta

iſta verò novem. Itidem Narniæ Cathedralis Eccleſiæ Navis, quæ Meriliem reſpicit, eſt pedum 20. quæ verò ad Aquilonem tendit, 15. Adjacet tamen iſti alia Navis minor, lata pedes 13. $\frac{1}{2}$, hanc arbitratus eſt poſteriùs adjectam; Frons enim, quæ triplicem habet januam, optimè connectit cum Navium ſtructura, ſi tres tantummodo ab initio ſupponantur conſtructæ. Ex hactenus dictis colligi poteſt, varium fuiſſe uſum hujuſmodi conſtruendi Naves, nam quandoque ad Boream anguſtiores, quandoque verò latiores erant.

At quia putamus forſan Baronii lectionem ad dictum annum 57. num. 124. aliquibus dubitandi anſam præbere poſſe, quòd auctoritatibus Sancti Gregorii Nazianzeni, ac Metaphraſtes, in vita S. Ioannis Chryſoſtomi demonſtretur, ſupra Eccleſiæ porticum mulierum locum fuiſſe, quod contrarium eſſet hactenus dictis; nempe mulieres in Navi conſtitiſſe: cui moto dubio reſpondemus; aliquibus in Civitatibus ab Imperatoribus, & aliis Magnatibus, ſacra loca, ſcilicet cœnobia pro conſervandis virginibus Deo dicatis (quæ Ancillæ Dei antiquitùs denominabantur) conſtructa fuiſſe, ac ne ipſæ extra cœnobia, in aſſiſtentia ad ſacra myſteria, vacare cogerentur: Eccleſias etiam juxta cœnobia fuiſſe ædificatas, in nonnullis tamen Architecturæ ordine immutato. Cùm Eccleſiæ pro communi populo recipiendo conſtructæ, conſtantem ordinem trium, aut quinque Navium retineant; aliis verò, quæ & communi populo, & virginibus Deo ſacratis inſervire debebant, lateralibus Navibus, duæ ſuperadditæ fuêre, quæque Porticus denominatæ ſunt, in quibus Ancillæ Dei ad ſacra viſenda myſteria ſe reciperent. Eccleſiæ ſimilis formæ exemplum habemus prope hanc Urbem, ſcilicet Eccleſiam S. Agnetis viâ Nomentanâ, juxta quam Magnus Conſtantinus, & cœnobium, & ipſam Eccleſiam ædificavit, de qua plura dicturi ſumus in noſtro tractatu *De ſacris ædificiis à Magno Conſtantino conſtructis*.

Tempus nunc eſt, ut poſt longam digreſſionem, quam non injucundam fore credimus, ad Eccleſiam S. Clementis, unde diſceſſimus, gradum faciamus.

Columnæ, quæ Naves formant, diverſi ordinis, & lapidis ſunt: Nam duæ proximiores Tribunæ ſub nu. 1. & 2. marmore Numidico; ſequentes duæ ſub num. 3. & 4. ſtriatæ ſunt ex Pario marmore; poſt has duæ aliæ ſub nu. 5. & 6. ſunt itidem ex Numidico: item duæ aliæ ſub num. 7. & 8. pariter ſtriatæ ex Pario marmore, quarum altitudo eſt circiter palmorum 30. Has columnas excipiunt duæ pilæ lateritiæ, ut ſub num. 9. & 10. latitudinis palmorum 10. antiquiſſimis imaginibus pictæ. Poſt pilas, eodem ordine, diſponuntur aliæ columnæ ſub n. 11. & 12. ex Pario marmore; item aliæ duæ ſub. nu. 13. 14. quarum una, ideſt 13. ex Pario, 14. ex Numidico; pariter ſub n. 15. & 16. ſunt Pariæ n. 17. non apparet utpotè muro incluſa. 18. verò muro cohæret, quæ ex Pario etiam marmore eſt.

Eccleſiæ pavimentum ex opere teſſellato variis marmoribus permixtum affabrè elaboratum eſt. Area Eccleſiæ tota non eſt in eodem horizontali plano, ſed Presbyterium, Altare

majus, & vicinæ partes elevatiores ſunt: ita ut ad illas aſcendatur per plures gradus, quemadmodum videre eſt in omnibus fermè Baſilicis: clariora tamen univerſa hæc fient, ſi Figuram Ichnographicam denuò repetentes, ſingulas partes explicemus.

A. Itaque eſt Altare majus ſub Ciborio.

B. Cathedra Epiſcopalis marmorea ſuper gradus, ſub abſide.

C. Confeſſus Presbyterorum ſub abſide.

D. Presbyterium à præfato confeſſu ita dictum.

E. Sanctuarium, ſive area inter duos majores arcus.

F. Septum marmoreum Sanctuarii ad Septentrionem.

G. Septum marmoreum Sanctuarii ad Auſtrum.

H. Cancelli Sanctuarii ſive Preſbyterii.

I. Oſtium Cancellorum in medio.

L. Gradus Sanctuarii hinc & illinc diſpoſiti.

M. Chorus marmoreus peribolo ſeptus, ubi Subdiaconi, Clericique minores, & Cantores conſiſtebant.

N. Oſtium Chori.

O. Ambo marmoreus ad lectionem Euangelii in parte Auſtrali. Figura peculiari in Tab. XIII. exhibendũ ambonem curavi, ut illius orthographica ornamenta diſtinctiùs expreſſa videri poſſent. Sed quoniam hîc de ambone mentio occurrit, non incongruum fore arbitramur, ſi præter illius Figuram, aliquid de voce, origine, & uſu breviter prælibemus. Nomen igitur *Ambonis* originem ſumpſit vel à Græco verbo ἀμβαίνειν quod *aſcendere* ſignificat, vt placet Panvinio; vel à Latino *ambio*, eò quia circumquàque ambiat, vt ſcribit Walafridus Strabo *De Eccleſiaſticis officiis* cap. 6. qui illius affert definitionem, nempè *Ambo* ab *ambiendo*, ſic dictus, quia intrantem ambit, & ſtringit. Ego verò, huic ſubſcribere minimè auſim, cum ἄμβων vox ſit Græca, & ab antiquis uſurpata, ideoque à Latino ſermone originẽ traxiſſe rationi abſonum eſt. S. Cyprianus Ambonem tribunal denominavit, ut docet Amalarius *De Eccleſiaſt. offic.* c. 17. Pulpitum fuit etiam nuncupatum, quia in publico ſtatutum, vt qui ibi ſtant ab omnibus videantur.

P. Ambo marmoreus ad lectionem Epiſtolæ in parte Aquilonari.

Q. Senatorium in parte Auſtrali, ubi Senatores conſiſtebant.

R. Septum lapideum Senatorii.

S. Oſtium Senatorii.

T. Matronæum à parte Aquilonari ubi Matronæ conſiſtebant.

V. Septum lapideum Matronæi.

X. Oſtium Matronæi.

*a.* Pars, ſive locus, nunc Navis appellatus, virorum ad Auſtrum.

*b.* Aula Eccleſiæ viris potiſſimùm deſtinata.

*c.* Pars, ſive locus, aut Navis mulierum ad Aquilonem.

*d.* Cathecumenorum, & pœnitentium virorum ſtationes.

*e.* Cathecumenarum, & pœnitentium mulierum ſtationes.

*f.* Secretarium.

*g.* Regia, ſive janua Eccleſiæ ad Orientem.

*h.* Ubi antiquitùs Monachos conſtitiſſe aliqui putant.

*i.* Ubi antiquitùs Ancillæ Dei, ſive ſacratæ Virgines conſtitêre, tabulas ſepti ſeparatas habentes, cujus rei me-

minit

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6



minit S. Ambrosius *Ad Virg. lapsam* cap.6. *Nonne* (ait) *vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem Religiosæ Matronæ, & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quare sanctioris & dignioris &c.*

*l.* Demonstrat lineam, quæ à septem Cereostatis in pavimento positis formabatur, ab Austro in septentrionem, statim atque canebatur *Kyrie Eleison, Christe Eleison.*

*m.* Lineam aliam ostendit à septem Cereostatis similibus descriptã, priori ad rectos angulos incumbentem, ita ut hæ lineæ se invicem decussantes,Crucis figuram imitarentur; accendebantur verò postrema hæc luminaria ex Oriente in Occidentem dispositа, post recitatam collectionem.

Ut autem omnia, quoad fieri possit,magis prespicuè intelligantur, exhibeo Orthographiam Chori, uti in Tab. XII.ac Figurâ 1.Hic animadvertendũ est, Figurarum Incisorem illarum pervertisse ordinem, quas si Lector juxta proprium situm concipere velit, oportet, ut paginam impressam, versâ illius facie ad lumen, à tergo aspiciat

A. Est Altare majus sub Ciborio quatuor columnis suffulto. Utor autem hâc voce Ciborii tanquam expressivâ, quæ licèt multas significationes obtineat, ut videre est passim apud Lexicographos; attamen in libro Pontificali tam in Magni Gregorii, quàm in aliorum Pontificum vitis, ad tegumen Altaris significandum fuit adhibita; sic enim in ipsius Gregorii vita Bibliothecarius ait: *Hic fecit ciborium Beato Petro Apostolo cum columnis suis quatuor ex argento puro.*

B. Est locus sub altari,in quo Sanctorum corpora sunt recõdita; parvula anteriùs fenestra prominet, intus verò eleganti concameratione cellula est excitata, in qua lampades, & lumina accendi solent in honorem Sanctorum ibi quiescentium. Ab aliquibus Scriptoribus locus iste Confessio denominatur, ut inter alios ostendit necessitudine mihi valdè conjunctus Illustris. & Reveren. D. Angelus de Nuce,olim Archiepiscopus Rossanensis in suis eruditissimis Notis ad Chronicon Casinense sub num. 853. Nec omittendum, aliquando nomine Confessionis intelligi locum, in quo Sacerdos consistit ante Missæ introitum, ut notat Bellet. *De divin. off.* cap. 33. qui ait: *Est locus in templo, ubi Sacerdos priusquàm cantet Missam, confessionem pronunciat.* Hanc opinionem sequitur Goldastus in Notis ad c. 9. lib. 1. *Alemannicarum rerum.* Nec incongruè à Sacerdotis Confessione, Conditoriũ hoc Sanctorum corporum sub Altari situm, nomen desumpsit. In illis enim Ecclesiis, ubi tale Conditorium constructum est, locus, in quo Sacerdos recitat Confessionem, cellulæ eidem imminent, quam propterea Confessionem appellárunt.

C. Septum marmoreum,quod Presbyterium claudit.

D. Lapideæ tres fenestræ retis ad instar perforatæ, quæ Transennæ dicebantur: unde illarum observatione ingens controversia circa vocem *Transennæ* inter eruditos jam excitata omninò posse solvi mihi videtur. Nam Vossius in suo *Etymologico* in hac eadem voce, sic ait. *Transenna quid sit,etiam inter eruditissimos hominis disputatio est. quod nemo negárit, qui legerit Turnebum lib.5. cap.9. Bu-*

*dæum lib. 4. c. 19. Lambinum ad Bacch. act. 4. sect. 6. & alios, qui post eos scripserunt. In eo dissensu dicam, quid maximè probem. Transenna est opus* cancellatum, *sive* reticulatum, *atque ut Græci vocant*, δικτυωτὸν, *atque appellatio ex eo, vel quia* adspectus transeat, contra quam fit *in corpore solido*: *vel quia* perticę, unde Trãsenna fit, se transeant mutuò: *ut quæ lignis constet transversis*: *unde Varro in III. de RR. cap. 5. ubi de turdis loquitur, requirit* perticas inclinatas ex humo ad parietem, & in iis transversis gradatim modicis intervallis perticis annexis ad speciem cancellorum scenicorum, & theatri. *Nimis laxè Nonius* Transennam *interpretratur* fenestram: *neque enim* quælibet fenestra *sic dicitur*; *sed ubi* spatium fenestræ implent cancelli: *hoc est, quum* fenestra *vel* janua *est* reticulata. *Unde* θυρὶς δεδικτυωμένη *vocatur* τοῖς ἑβδομήκοντα. 3. Reg. aliis εἱλητὸν διάτρητον, Polibio θύρα διαφανὴς. *quo modo &* perlucentem Transennam *dixit Paulinus, epist. 12. ad Severum. In Glossis legas*: *Transenna*, κιγκλὶς, *at* κιγκλὶς *idem ac* κάγκελλοι, *ut ex octavo Pollucis, & Aristophanis Scholiaste constat. Quare ex his colligimus*, Transennam *sive* Transenam *dici, sive* aspectûs *ratio habeatur*: *sive* praticarum transversarum: *ut diximus. At omnino Becmanus duriùs, qui ait, conflari ex* trans *&* Senna, *hoc autem esse ex* אֶשְׁנָב *hoc est* transenna: *uti hoc à* שְׁנָב Transennam *propriè, uti dixi, notare* opus cancellatum, sive reticulatum, indicat locus Ciceronis lib. 1. de Oratore, quem & Nonius adduxit. Huc usque de hac voce *Transenna* eruditissimus Vossius disseruit.

Hæc Auctorum discrepantia componi facilè potest solâ inspectione ecclesiasticæ hujus Transennæ. Illi enim apprimè convenit nomen operis cancellati, sive reticulati, cùm per cancellos se decussantes retis in morem contexta videatur. A transitu luminis, nec non adspectûs per ea foramina, Transennæ etymon colligi potuit. Fenestræ nomenclatura non ineptè illi attribuitur, cùm reverâ vices obeat fenestræ, tum in admittenda luce, tum in prospectu ad exteriora promovendo. Uno verbo, adjuncta omnia complectitur, quæ ab Auctoribus in opinionum suarum varietate recensebantur. Illius exemplar ab antiquis fuisse desumptum arguere non est difficile, cum plura, vt supra innuimus, prisci fideles desumpserint ab ethnicorum ædificiis, quippè quæ obvia illis, & permixta erant. Existimo igitur antiquos Romanos ligneis septis triclinia clausisse, ideò ad illorum formam, ubi sacra ministrabantur, fideles Transennâ claudere voluisse: adhuc hodie ritus illius umbram videre est in aulis EE.DD. Cardinalium, ubi Abaci, ligneis cãcellis, obvallati conspiciũtur.

E. Septum marmoreum Senatorium claudens.

F. Septum marmoreum claudens Matronæum.

G. Gradus, & transitus ad Senatorium, & Matronæum.

H. Orbiculus, in quo Monogramma est expressum: ut in Fig. 6. ampliori formâ demonstratur, de quo supra cap. 1. differuimus.

In secunda Figura ejusdem Tabulæ est septum marmoreum ad dexteram partem ingredientium Basilicam, in quo litera.

I. Ambo-

I. Ambonem ad Boream pro ſacris lectionibus recitandis, indicat.

L. Legile marmoreum ſacros Codices ſuſtinens, quos Lector legit, conversâ ſemper facie ad altare, nullo Orientis, ſive Occidentis habito diſcrimine.

M. Legile marmoreum in primo ambonis ingreſſu, ad quod Cantor versâ ad orientem facie Graduale, ſive Reſponſorium, aut Alleluja decantat, vt tradit Duran. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. Liceat hîc ad hanc vocem *Graduale* orationem parùm inflectere, & illius vocabuli ſignificationem ex antiquis Ritualibus attingere. Honorius Auguſtodunenſis in lib. 1. *De antiquo ritu Miſſarum* cap. 96. nuperrimæ editionis apud Bibliothecam Patrum; *Graduale* (inquit) *à gradibus dicitur, quia in gradibus canitur. Hoc etiam* Reſponſorium *vocatur, quia Choro cantante, ab uno verſus reſpondetur, & illo, verſum cantante à choro reſpondetur &c.* infra addit: *Graduale ideò cantamus, quia de virtute in virtutem gradatim ire debemus.* Amalarius etiam in Prologo *de ordine Antiphonarii* circa finem, de *Graduali* ait. *Notandum eſt, volumen quod nos vocamus Antiphonarium, tria habere nomina apud Romanos: Quod dicimus Gradale, illi vocant Cantatorium; qui adhuc iuxta morem antiquum apud illos in aliquibus Eccleſiis in uno volumine continetur: ſequentem partem dividunt in duobus nominibus: Pars quæ continet Reſponſorios vocatur Reſponſoriale: & pars, quæ continet Antiphonas, vocatur Antiphonarius*: utraſque partes ſub titulo, *Reſponſolaria, & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ* à S. Gregorio Magno diſpoſita hîc Romæ Typis mandavit in præſenti anno M DC LXXXVI. dum hæc ſcribebamus, ſacrorum, & antiquorum Rituum ſtuſtioſiſſimus, Joſeph Maria Thomaſius, quæ eruditis Notis illuſtravit. Quis autem Gradalis, ſive Gradualis fuerit Auctor: Du Cange diligenter inquirit, qui in ea ſententia eſt, vt à Cæleſtino I. hujus nominis Pontifice inſtitutum fuiſſe arbitretur; & hanc lucem aſſerit ſe deduxiſſe ex Codd. MM SS. Anaſtaſii, qui in ejuſdem Pontificis vita, ait. *Conſtituit* Graduale *poſt Officium ad Miſſas cantari*. Quod ſcripſit Bibliothecarius, Sigibertus in ſuo Chronico ad ann. 426. & alii confirmant. Radulphus vltrò Decanus Tungrenſis *de Canonum obſervantia* propoſ. 23. docet, hunc Ritum recitandi Graduale defluxiſſe ex Sancto Ambroſio.

Animadvertendum hîc eſt, Legile hoc ad Orientem, haberi in iis tantùm Eccleſiis, in quibus Lector ſtans in ſuperiori ambonis gradu terga vertit ad Orientem; nam ſi ad altare converſus, vnà pariter Orientem aſpiceret, in eodem loco Cantor conſiſteret ad Graduale cantandum.

Figura 4. idem Septum marmoreum exhibet, ſicut in externa parte dextrorſum conſpicitur. In orbiculo ſuper literam N. viſitur Monogramma, de quo ſuperiùs, anaglyphicè inſculptum, & extuberans, quemadmodum reliqui ornatus ejuſmodi cælaturâ extantes.

Reſpondet à ſiniſtro Eccleſiæ latere pars altera ejuſdem Septi, cujus exterior proſpectus Figurâ 5. internus verò Figurâ 3. adumbratur. lit. H. denotat aſcenſum ex parte altaris. I. deſcenſum versùs Eccleſiæ januam. Hîc

rei

rei opportunitas poſcit, ut antequam ulterius progrediamur, duplicem graduum ordinem, amboni appoſitum fuiſſe demonſtremus, ita ut una ex parte pateret aſcenſus, ex alia verò deſcenſus. Indicatur mos iſte antiquus ab Hittorpio in Ordine Romano I. ſic enim ritus in Euangelii lectione ab ipſo deſcribitur. *Deinde Diaconus oſculans pedes Pontificis, petitáque benedictione, venit ante Altare, & oſculans Euangelium: levat in manus ſuas Codicem in quo lecturus eſt, & partem ejus in dextero humero ponens vadit ad ambonem; & procedunt ante ipſum duo Subdiaconi cum duobus thuribulis, ſive uno, levantes Thymiamaterium de manu Subdiaconi ſequentis, mittentes incenſum, & duo Acolyti portantes duo Cereoſtata venientes ante ambonem dividuntur à ſe, & tranſeunt Subdiaconi, & Diaconi, cum Euangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Evangelium in ambonem ex una parte aſcendentes, & ex altera parte ſtatim deſcendentes redeunt ſtare ante gradum deſcenſionis ambonis. Ille autem abſq; Thymiamaterio vertens ſe ad Diaconum, porrigit ei brachium ſuum ſiniſtrum, in quo ponit Euangelium, ut manu Subdiaconi aperiatur ei locus, in quo ſignum lectionis poſitum fuerit, inventoque loco lectionis aſcendit in ambonem in ſuperiorem gradum & dicit Dominus vobiſcum &c.* Notanda ſunt verba *in ſuperiorum gradum*, quem nemo aſcendebant niſi Diaconus, ut innuit idem Ordo Romanus; alio loco videlicet: *Subdiaconus, qui lecturus eſt, mox ut viderit poſt Pontificem Preſbyteros reſidentes, aſcendit in ambonem, ut legat: non tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui Euangelium lecturus eſt*, Marmoreum iſtum gradum omnibus in ambonibus obſervavi ſeparatum ab aliis, eſtque in Periboli, ſive Pulpiti aſcenſu:

Pariter hîc verba illa in eodem ordine ſic expreſſa perpendi poſſunt: *Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Euangelium in ambonem ex una parte aſcendentes, & ex altera parte ſtatim deſcendentes, redeunt ſtare ante gradus deſcenſionis ambonis.* Audiendus eſt Durandus qui lib. 4. cap. 14. num. 10. ſic ait: *In Eccleſia Romana, & in quibuſdam aliis, Subdiaconus per unam viam, & Diaconus per aliam in pulpitum aſcendit.* Quæ autem fuerint iſtæ viæ, non exprimitur. Puto igitur Diaconum per gradus, nempè per I. januam Eccleſiæ, & Subdiaconum per illos videlicèt per H. Altare reſpiciètes; aſcendiſſe: è contra in deſcenſu obſervabatur; nam per illos gradus, per quos Subdiaconus aſcenderat, Diaconus deſcendebat; eò quia brevior reditus erat ad altare; quare verba illa: *Subdiaconi redeunt ſtare ante gradus deſcenſionis*, ſic intelligenda exiſtimo; quòd Subdiaconi ſiſtebant ante gradus deſcenſionis Diaconi, nempe in H. ſed unde cœpimus, redeamus.

P. Columna marmorea pro Cereo Paſchali.

Q. Ambo marmoreus, in quo Diaconus legit Euangelium versâ facie ad Aquilonem.

Figura 5. Septi marmorei in præfata Fig. 3. expreſſi faciem exteriorem demonſtrat, ubi lit. R. indicat aliam ambonis faciem, in qua Lector ad Auſtrum ſe convertit.

S. Eſt eadem columna pro Cereo Paſchali.

T. Eſt

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3



Fig. 4.



T. Eſt alius orbiculus, in quo itidem expreſſum eſt ſupramemoratum Monagrãma, quod in Fig. 6. demõſtratur.

In iſto Septo marmoreo, peculiari obſervatione dignus eſt duplex ambo, cùm alibi unicus reperiatur. In aliis enim Eccleſiis, hemicycli formam repræſentat: hic verò ex utraque graduum parte, dimidius prominet circulus, peribolo ſeptus, hoc eſt, duplex ambo. Hinc fit, vt judicem hanc Baſilicam eſſe antiquiorem, aliis pluribus: cùm illa duplicis ambonis ſtructura, ritum denotet vetuſtiſſimum, quo Diaconus Euangelium lecturus, modò ad Aquilonem, modò ad Auſtrum convertebatur, vt Romanus ordo declarat. *Ipſe verò Diaconus ſtat verſus ad Meridiem, ad quam partem viri ſolent confluere, aliàs autem ad Septentrionem.*

Aperta igitur verba videntur, quæ dicunt, Diaconum aliquando legiſſe Euangelium verſâ facie ad Auſtrum, quandoque ad Aquilonem; quæ ſic intelligenda eſſe cenſeo. Si Eccleſia virorum numero adeò referta erat, ut ipſi non ſolùm Navim ad Auſtrũ poſitam, verùm etiam medianam replerent, tunc Diaconus ſe ad Aquilonem vertebat, & è conſpectu feminarum inſimul, & virorum qui media in Navi verſabantur, Euangelium legebat: ſi verò pauciores viri fuiſſent, & Navis ad Meridiem ſita omnes caperet; tunc Diaconus in ambone ad Auſtrum poſito, ac in eandem plagam verſâ facie, Euangelium recitabat: quem ritum ad utramque partem ſe vertendi in ſeculo octavo, & ſequentibus non ubique fuiſſe obſervatum comperio; ut ex albino Flacco, ſive Alcuino, qui floruit circa finem ejuſdem ſæculi, Bedæque diſcipulus, ac Caroli Magni Præceptor fuit, in libro *de Divinis officiis* cap. *de celebrat. Miſſæ*: ac ex Jvone Carnotenſi, qui vixit circa finem XI. ſæculi, in ſermone *De Convenientia veteris & novi ſagrificii*, & cùm ambo iſti Auctores degerent in Galliis, de Eccleſiaſticis Ritibus, qui tunc in eiſdem Regnis obſervabantur, ſcripſiſſe autumo:

Inſuper ex Micrologo Jvoni ſynchrono *De Eccleſ. obſervat.* cap. 9. ac Honorio Auguſtodunenſe, qui floruit in ſæculo XII., in ſua *Gemma Animæ* cap. 16. ſive in tractatu *De antiquo ritu Miſſarum* lib. 1. cap. 22. Durando qui vixit in ſæculo XIII. *In Rationale divini off.* lib. 4. cap. 24. num. 21. Ritus iſte antiquitùs, vt diximus, promiſcuus erat, prout ſe offerebat occaſio, poſtmodum verò certus factus eſt, ut legentis facies Aquilonem tantùm reſpiceret, vt ex ipſorum ambonum ſituatione, qui adhuc hîc in Urbe ſuperſtites ſunt, facillimè colligi valet.

Huc uſque de ambonibus dicta, erudire eos poterunt, quibus veterum Eccleſiarum ſingulas partes addiſcere ſtatutum eſt. Attamen, ut ulteriùs indulgeam legentium humanitati, & facultati imaginatrici latiùs conſulam, plura eorundem exemplaria proponã ex prototypis Romæ adhuc ſtantibus diligenter excerpta. Sequentis itaque Tabulæ XIII. Fig. 2. orthographiam exhibet ambonis ad Epiſtolam legendam conſtructi in Baſilica S. Laurentii in Agro Verano adhuc conſpicui. Alterum etiam exprimit Fig. 1., ſicuti hodieque viſitur, in quo Euangelium recitari conſueverat. Amboni aſtat columna marmorea, Paſchalis Cerei fulcimentum. Gradus columnæ

pro-

proximi aſcenſui patent, oppoſiti verò A. & B. deſcenſui addicti erant, antequam marmoreo lapide A. interpoſito (recenter id contigit poſt abolitũ ambonis uſum, & poſt gradus ad aream Eccleſiæ amplificandam ſublatos) via deſcendentibus obſtruerentur. Animadvertendum eſt, hîc quoque Inciſorẽ pervertiſſe Figurarum ordinem, nam ea quæ ad dextram ſunt, poſuit ad ſiniſtram, & gradus C. hodie non extare. In Inferiori Zophoro literis C.D. indicato, vides ornatus plurimos ad Ethnicorum ſacrificia ſpectantes, ut alibi, ſub initium ſcilicet operis, obſervavimus, ubi diximus tam Imperatores, quàm Pontifices, in Baſilicarum conſtructionibus uſos fuiſſe marmoribus ab Ethnicorum ædificiis deſumptis.

Præfatis ambonibus duos iam indicatos addo in Eccleſia S. Pancratii adhuc extantes, ut in Fig. 3. & 4. qui non ob ſolam ſtructuræ elegantiam ſpectabiles ſunt: verùm etiam quia in ambone Euangelii, vt in Fig. 3. vbi ſunt A. B. C. D. legitur tempus ipſius conſtructionis, ex quo deducitur argumentum, ad eam uſque ætatem uſum ambonis in Euangelii lectione duràſſe; ſed in oblivionem tranſiiſſe credo, quum Apoſtolica Sedes Avenionem tranſlata fuit, eaque leguntur antiquo rudi charactere, & abbreviatè, ac barbarè inſculpta hæc ſunt.

IN NOIE DNI ANNO DNICE INCARNATIONIS MCCXLVIIII. SETO PONTIFICATVS Dñi INNOCENTII III. INDICT. SEPTIMA MENSE IANVARII DIE XV. DETVB PANCRATI CELESTIS GRATIA DONI HOC OPVS ABBI FIERI QVI FECIT HVGONIS.

In quibus fideliſſimè expreſſis vocibus eæ notandæ ſunt, SETO pro SEXTO, DETVB pro DETVR, ABBI pro ABBATIS, ex quibus quàm gravis eſſet temporis barbaries facilè arguitur. In eadem Eccleſia degebant Monachi Sancti Benedicti, à Magno Gregorio Pontifice in locum Presbyterorum ſæcularium ſuffecti, qui curam Eccleſiæ negligebant, ut deducitur ex Epiſt. 18. lib. 3. ejuſdem S. Gregorii ad Maurum Abbatem S. Pancratii. In altero verò ambone ut in Fig. 4. in Zophoro ubi literæ E. F. Muſivis literis infraſcripta tantùm leguntur, cum reliqua temporis injuria obliteraverit.

HIC LAVS DIVINA LECTOR CANITVR ..... LEGIT ADTENDAT AD QVID SACRA LECTIO TENDAT AD CVLMEN ..... HITOMNES VOCE.

In ſuperioribus Tabulis quaſdam columnas marmoreas indicavimus, quæ in Eccleſiis ad ſuſtinendum Cereum Paſchalem collocabantur; propterea ſilentio obvolvenda non eſt ea, quæ pro eodem uſu olim in Baſilica S. Pauli via Oſtienſi fixa erat, modò verò viſitur extra Eccleſiam, in formam pyramidis erecta, eique tres monticuli impoſiti ſunt, quorum è ſummitate Crux eminet. Hujus columnæ cum anaglyphicis figuris, aliiſque ornamentis, ut ad præſens ſe habet, exemplar ſub oculis ponitur in Tab. XIV. ubi A. B. denotant ipſam columnam. B.C. recentem ſtylobatam. A. D. monticulos cum Cruce ad ornatum ſuperimpoſitos. Tota altitudo ſecundùm aſpectum eſt, palmorum 36. in ſtylobatæ facie, quæ viam publicam reſpicit, eſt Eccleſiæ, ſive annexi Monaſterii, quod Monachi Caſinenſes incolunt, ſtemmma, videlicet bra-


D

I
4
2
4
1
3
3

H
4
2
3
1

G
3
4
1
F


n.° 1


n.° 2


n.° 3


n.° 4

brachium enſem nundatum tenens, quæ pro S. Pauli ſymbolo accipimus. In oppoſita autem facie Stemma Caſinenſis Congregationis conſpicitur, nempe tres monticuli cum Cruce Archiepiſcopali, ac Voce PAX. In facie, quæ Urbem reſpicit hæc leguntur.

HANC SACRIS VETERES
FACIBVS STATVERE.
COLVMNAM.
QVAM CASINENSES
RESTITVERE
CRVCIS.

In oppoſita verò hæc:

OLIM IGNES NVNC
CLARA DEI VEXILLA
TRIVMPHVM.
DEVICTÆ MORTIS
SYMBOLA PACIS
HABET.

Super ſtylobatam eſt columna, cujus prima, quæ occurrit pars, eſt baſis B. E. anaglyphicis profanis figuris inſculpta. Hujus quatuor aſpectus exhibeo, ut num. 1. 2. 3. & 4. in quibus cerni poteſt. Ad angulos virum ſtantem, ſeu quendam Genium, Sphinges, aliaque animalia amplectentem, vt ex iiſdem Figuris liquet. In ipſius baſis Aſtragalo antiquis characteribus inciſa leguntur hæc carmina:

ARBOR POMA FERT ARBORE COLVMINA GESTO.
PORTO LIBAMINA, NVNCIO GAVDIA, SED DIE FESTO
SVRREXIT CHRISTVS NAM TALIA MVNERA PRESTO.

Hi verſus alludere videntur ad diẽ Sabbati Santi, in quo Cereus accenditur, quare alluſionem ſic explico: *Arbor poma fert*, ſcilicet, Crux fert Chriſtum crucifixum. *Columina geſto*, Cruce ſalutem affero. *Porto libamina*, Innocentiæ munera. *Nuncio gaudia*, alleluja. *ſed die feſto*, In die Paſchatis. *Surrexit Chriſtus*, *nam talia munera præſto*.

Ideſt hæc ſunt munera, quæ in hac die Fidelibus elargior.

In infima parte columnæ, ſeu regulâ, nonnulla etiam inciſa ſunt, aliqua ſui parte corroſa, adeoque lectu difficillima, vt licuit tamen ea tranſcripſi; & hæc ſunt.

O QVI TRANSITIS VITAM ROGO POSCITE CELSI.
OTHONVS FIERI MONACHVS ME IVSSIT OLIM PIVS.

In Aſtragalo litera G. denotato, minutis characteribus hujus columnę Artificum nomina expreſſa ſunt, nempe.

EGO NICOLAVS DE ANGELO CVM PETRO PASSALLETIO HOC OPVS COMPLEVI.

E. F. Secunda columnæ pars eſt frondentibus arborum ramis ornata. Tertia F. G. duo Dominicæ Paſſionis myſteria refert. Primum quidem ſub num. 1. quum Chriſtus Dominus noſter ad Annam ductus fuit, qui eum interrogavit, teſte Evangeliſtâ Joanne cap. 8. nî fallor Num. 2. Malchum exprimit in terram lapſum, cui Petrus auriculam ſcidit. Num. 3. Caïpham Pontificem ſedentem. Num. 4. Chriſtum à Judæis, & militibus illuſum, qui eum per ludibrium ſalutantes, dicebant: *Ave Rex Judeorum*. G. H. alia ejuſdem Paſſionis myſteria denotant. Etenim ſub num. 1. Pilatus manus lavat. Sub 2. Chriſtus cum latronibus è Cruce pendet. Sub 3. Vir quidam Titulum Cruci apponendũ attollit, alius verò malleum tenet. Demum ſub n. 4. ii, qui iuxtà Crucem aſtantes Chriſti Domini crucifixionem ſpectaverant, revertebantur percutientes

pectora ſua, ceu Euangeliſta teſtatur.

H. I. Duo alia Myſteria repræſentant; nempe num. 1. Reſurrectionem: etenim in Icone ſarcophagum vides, in cujus medio minutis characteribus compendiario inſcriptum eſt, *Sepulchrum*. Stat ſupra ſarcophagum Chriſtus Albâ indutus, dexterâ coronam, ſiniſtrâ Crucem gerens, quibus indicatur Triumphus, quem reſurgendo, de humani generis hoſte, atque de ipſa morte tulit. Num. 2. Chriſti Aſcenſionem exhibet; nam ibi ſunt quatuor Angeli, qui eum in Cælum è terra evolantem efferre videntur. Nu. 4. Sunt animæ quas ſecum Chriſtus è limbo in Cælum adduxit. N. 3. Milites ſupra, ac prope ſepulchrum dormientes.

I. L. & L. M. Duæ aliæ partes columnæ ſunt, ramis ac frondibus circumſeptæ. M. N. Hypotrachelium eſt, nonnullis figuris conſpicuum. N. A. ipſum Capitulum elegantibus canaliculis, atque Aſtragalis exornatum.

## CAPUT III.

### *De nonnullis antiquis ornamentis, ſive Hieroglyphicis, Eccleſiarum Januis apponi ſolitis.*

EGIMVS ſupra Cap. II. de ornatibus intra Eccleſias ad Sacra peragenda ſpectantibus, reſtat modò de ornamentis, ſive hieroglyphicis in earundem Eccleſiarum januis apponi ſolitis, aliquid diſſerere: cùm nonnullæ ſacræ januæ, quæ adhuc ex antiquis ſuperſunt, leonibus, ſtatuis, aliiſque animalium figuris inſignitæ conſpiciantur. Nolo hîc in januæ vocis etymologia explicanda immorari, cùm aliquibus ab hinc annis luculentum tractatum ediderit eruditiſſimus vir Caſpar Sagittarius, ſub titulo *De Januis veterum*, ac in primo ejus capite vocis iſtius etymon retulerit, multaque alia ad januas ſpectantia fusè pertractaverit. Nihilominus cùm in illo nonnulla adhuc deſiderentur, præſertim ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſpectantia, ideo de iis hîc aliqua tradere congruum duximus, ut ſecundùm noſtri operis inſtitutum, Eccleſiæ, maximè veteris, ſacræ renoventur memoriæ.

Ex hujus inclytæ Urbis Eccleſiarum januis, tres inter alias obſervatione dignas exiſtimavimus. Prima eſt Eccleſiæ S. Pudentianæ, cujus exemplar habes in Tab. XV. hæc ex Pario marmore non ſolùm ob elegantem ſtructuram, cum Corinthia ratione ſimilitudinem habentem, verùm etiam ob alias figuras, quibus affabrè cælata eſt, oculos in ſe rapit. Habet enim in faſtigii tympano faciem Cherubim anaglyphicè ſculptam, quæ omnia recentioris ſtructuræ eſſe judico; antiquę enim ſunt Zophorus, & Epiſtylium, quod columnis imminet: ipſæ columnæ ſunt ſtriatæ in formam ſpiræ, ſeu cochleæ, Capitula ſunt foliis tenuiſſimis Corinthii ordinis ornata, ut Epiſtylium, in quo leguntur hæc carmina.

AD REQVIEM VITÆ CVPIS O TV QVE VENIRE.

EN PATET INGRESSVS FVERIS SI RITE REVERSVS.

ADVOCAT IPSE QVIDEM VIA DVX ET JANITOR IDEM.

GAVDIA PROMITTENS, ET CRIMINA QVÆQVE REMITTENS.

Habet etiam Zophorum variis truncis, foliiſque itidem anaglyphicè cælatum, eiſque interpoſiti ſunt quinque circuli, ſive Orbes, veluti tot numiſmata, in quorum ſingulis cum Imago

4
2
1
3
5

go quædam promineat, earundem descriptionem aggrediar. Ut melius igitur oculi & mente concipi possint, eas in grandiori forma, quàm in Zophori exemplari expressæ sunt, sub signatis numeris referimus.

Circulus igitur, qui in Epistylii medio locatur, continet Agnum cum diademate Cruce distincto; Agnus dexterum pedem elevat, quo Crucem sustinet: hoc hieroglyphicum satis omnibus notum est; cum prisci Fideles per Agnum Cruce insignitum, Christum Dominum Nostrum Cruci affixum exprimere consueverint. In hujus Emblematis peripheria, seu fasciâ Agnum circumambiente, sequentes versus inciſi sunt, singuli, ut vides, cruce in principio notati.

✠ Hic Agnvs Mvndvm Restavrat Sangvine Lapsvm.

✠ Mortvvs Et Vivvs Idem Svm Pastor Et Agnvs.

Secundus circulus Agno dexterior Virginis imaginem præfert, pretiosis vestibus indutæ, ac turritam in capite coronam habentis; signum (nî fallor) fortitudinis, quâ enituit, dum mundi delicias, dæmonis astus, ac propriæ carnis illicia, stimulosque subegit, quà jejuniis, ceterisque pœnitentiæ rigidioribus armis, qua perpete maximâque curâ illibatam virginitatem servandi, ut indicat accensa lampas, quam sinistrâ tenet: demonstrat enim, hanc esse unam ex illis quinque Virginibus prudentibus, quæ accensis lampadibus exierunt obviam sponso: ut in Euang. Matth. cap. 15. notanda hîc est forma lampadis, seu potius vasis lampadem continentis, quod fortasse antiquitùs omnibus commune erat, cum ejusdem similitudinis aliud expressum sit in Musivo opere in facie Ecclesiæ S. Mariæ Transtyberim, ubi decem illæ Virgines, quinque fatuæ & quinque prudentes, quæ in præfato Euangelii capite describuntur, constructæ sunt. Vult Macrus in suo Hierolexico simile vas Cantharum denominari, de quo vide eundem in voce *Cantharus*. In peripheria hujus hieroglyphici sequentia carmina habentur.

✠ Virgo Pvdenqtiana Coram Stat Lampade Plena.

✠ Protege Preclara Nos Virgo Pvdenqtiana.

Notandum etiam est, pretiosas vestes illas non ad libitum sculptoris cælatas fuisse, sed ad denotandam Virginis nobilitatem cùm Senatorii generis esset, utpote filia Pudentis, cujus ædes in hanc Ecclesiam cessêre.

Ad Agni sinistram est alter circulus, quem in ordine tertium denominamus, ubi alia similis præcedenti figura cernitur, dexterâ quoque ardentem lampadem sustinens. Hæc Imago Praxedem sororem ejusdem Pudentianæ repræsentat: nam ambæ Sanctæ Virgines fuêre. Circa hujus circuli peripheriam, hæc carmina leges.

✠ Occvrrit SponsoPraxedis Lvmine Claro.

✠ Nos Pia Praxedis Prece Sanctas Confer Ad Edis.

In explicando hoc eblemate diutius non hæremus, cum ea quæ diximus de S. Pudentiana, Sanctæ Praxedi ejus sorori conveniant.

Redeamus igitur ad Agni dexteram, ubi orbicularis Imago columnæ Capitulo imminet, eamque in ordine sub n. 4. ponimus. Hæc virum refert pretiosâ veste decorum, & diademato

capite, qui veluti actu benedicat, elevat dexteram, velatamque siniſtram habet, quâ librum occluſum ſuſtinet. Quinam ſit vir iſte, verſus in peripheria ſculpti ſat indicant.

✠ Hic Cvnctis Vitæ Pastor Dat Dogmate Sanctæ.

✠ Sancte Precor Pastor Pro Nobis Esto Rogator.

Paſtor autem fuit Presbyter; quam ſacram dignitatem ipſe benedicendi actus, ac liber, quem manu tenet, Codicem Euangeliorum repreſentans, demonſtrant. S. Praxedis Acta conſcripſit, ac ejuſdem Sanctæ corpus ſepulturæ tradidit, ut docet Baronius ad Ann. 164. n.24.

Ultimò, in quinto ſcilicet ordine, vir alter inſpicitur, caput & ipſe diademate ornatum habens, ac dexterâ complicatum volumen retinens: quis autem ſit, epigraphe circa Orbem oſtendit.

✠ Almvs Et Iste Docet Pvdens Ad Sidera Cales.

✠ Te Rogo Pvdens Sancte Nos Pvrga Crimina Trvdens.

Vir iſte Sanctus ex ordine Senatorio fuit, ut idem volumen innuit: Licèt volumen non Senatorię ſolùm & Cõſularis, verum etiã alterius dignitatis indiciũ ſit. Vir ſanè dignus, qui tales liberos, & tam admirandæ Sanctitatis haberet, cùm eos ipſe vivax exemplar præcederet; ejus tamen Imaginem uti laïcum repreſentantem, in infimo loco poſitam arbitror.

Meritò igitur, tota hæc Sanctiſſima familia in Januæ Epyſtilio, illiusque Zophoro expreſſa fuit, cum S. Pio hujus nominis primo Pontifici, propriam S. Pudens domum tradiderit, ut in ſacrum, & publicum Fidelium uſum converteret, & conſecraret; ac à nonnullis piè creditur, primam hanc Eccleſiam in Urbe fuiſſe, ubi Fideles ad Sacras Synaxes peragendas congregarentur.

Quo autem tempore hæc Janua conſtructa fuerit, plurimâ licèt curâ, & diligentiâ uſus fuerim, nihil reperi; at conjectari ſi liceat, tam è characteribus, quàm ex Agni ſupra indicati figura, exiſtimo redolere tempora VI. vel VII. ſæculi, præſertim ex Can. 82. Conciliabuli Quini-ſexti, ſive Trullani, ubi auſu nimis improbo pſeudoſynodus illa Romanam Eccleſiam corrigere præſumpſit, quæ legalem Agnum parieti appingere conſueverat: decrevit igitur, *ne Chriſtus Dominus ſub Agni forma depingeretur*: Quare Agnum iſtum expreſſum dicerem aut ante dictam ſynodum, uel paullò poſt in dicti Canonis confutationem, de quo latè Lupus in Notis ad hoc Conciliabulum.

Scio tamen ab eruditis hîc objici mihi poſſe, longè ſæculum ſextum, vel ſeptimum excedere, tum duodecimum redolere, argumento deſumpto ex verſibus, qui circa Iconum peripherias leguntur, & Leonini cenſentur, cùm eorum aliqui nihil ab illis differant, quorum inventor dicitur Leo quidam Poëta, coævus Ludovico, vel Philippo Auguſto Regibus Franciæ, qui floruerunt ſæculo XII. & XIII. ut ſcribit Stephanus Paſchaſius *lib.7. diſquiſit Francicarum cap.2.* à Du Cange allatus. At hujuſmodi carminum uſum aliquem prædictis ſæculis XII. & XIII. antiquiorem eſſe tradit Stiglianus *de arte verſificandi* cap. 14. primò Virgilianum illud adducens lib.6. v. 165.

*Aere cière viros, Martemque accendere cantu.*

De-

Fig.1.

Fig.2.

Fig.3.

Deinde aliud ex Ovidio, cui adamuſſim Leonina reſpondent.

*Quot Cælum Stellas, tot habet tua Roma puellas.*

Item duo alia Propertii.

*Non non humani ſunt partus talia dona:*
*Iſta Deûm menſes non peperêre bona.*

ac totidem Horatii de Art. Poët.

*Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata, dulcia ſunto,*
*Et quocunque volent animum auditoris agunto.*

Quibus adde aliud Auſonii in Idylio 11.

*Vel tria potanti, uel ter tria multiplicanti.*

Quare non ſatis mihi probatur judicium illorum, qui ex hujuſmodi carminum textura tempus arguunt; quovis quippe ſæculo accidere potuit, vt reperirentur Poëtæ, qui artem pangendi ſimiles verſus âmarent. Verùm quid ſit de iſtius januæ antiquitate, ſuo quiſque pro arbitratu dijudicet.

Animadvertendum tamen eſt, præfatam januam locum, ſeu ſitum antiquum non retinere, cùm bo:me: Henricus Cardinalis Cajetanus ejuſdem Eccleſiæ Titularis, hanc collabentem non ſolùm reſtauraverit,verùm etiã altiùs extulerit, quum ob aſſiduè ſuperveniẽtem è monte proximo terram, obruta ferè jacebat: quare amotâ terrâ & novo fornice, ad mediam Eccleſiæ altitudinem conſtructo, penè viæ anteriori coæquavit, reliquâ Eccleſiæ medietate ſub novo fornice remanente:vnde januam è loco humiliori amovere, & in altiori locare oportuit.

Ex oſtenſis notandum, quanta fuerit Anriquorum Patrum religionis, ac pietatis in Populo excitandæ ſolicitudo, cùm non ſolùm voce, picturis, & Muſivis operibus, verùm etiam ad id aſſequendum ſculpturis niterentur. Sed jam ad cæteras januas accedamus.

Secunda igitur ex his, quas peculiari animadverſione dignas cenſemus, illa eſt Eccleſiæ S. Laurentii in Agro Verano, cujus exemplar pono ſub Tab. XVI. In infimis hujus oris, ſeu poſtium extremitate viſitur Leo, ſub ipſo poſte jacens, ſive inde proſiliens, eique veluti pro baſi eſt. In medio Epiſtylii ſtat Aquila, expanſis alis, & ungue Serpentem tenens. Hæc animalia non ad purum ornatum, ſed ad aliquod ſymbolum demonſtrandum, profectò poſita ſunt: hoc autem quale ſit, indagemus. Audio ſtatim afferri, Leones Familiæ alicujus gentile ſtemma fuiſſe, idque colligi poſſe ex Aquila, Serpentem ungue ſtringente, quæ Inſigne Guelforum eſſe putatur.

Notum abundè illis eſt, qui vel primis labris hiſtorias libaverint, quinam fuerint iſti Guelfi; vnde ut memoriam excitem potius,quàm inſtruã, brevem eorundem hiſtoriam referam, quam hiſce verbis narrat Sigonius *De Regno Italiæ* ad an. 1228. *Itaq;*(inquit) *ab hoc tempore Italia apertè in duas partes diſtracta, aliis Imperii, aliis Eccleſiæ auctoritatem ſequentibus. quorum Guelfi hi, Gibellini illi vulgò vocati. quæ factiones nuper ex Germaniâ tractæ, Italiam per multos poſt annos obtinuêre, atque ad ultimum exitium redegêre. Neque enim ſolùm aliæ Civitates Imperatorem, aliæ Pontificem ſecutæ, infeſtis inter ſe animis decertârunt, ſed in ipſiſmet etiam Urbibus eò furoris, ac veſaniæ proceſſerunt, ut alii*

Eccle-

*Eccleſiæ, alii Imperatori ſtuderent, ac ſe inter ſe pellere* **Urbibus**, *& ſpoliare bonis, inexpiabili odio ſtimulante, contenderent*. Quare Clemens IV. Guelfis Florentinis ejus partem tuentibus Inſignia conceſſit. Quod factum Ciaconius in ejuſdem Pontificis vita ſic exprimit. *Exules Florentini Pontificem adeuntes, ut illos Carlo Regi commendaret, rogârunt, ſtrenuam ipſorum operam in bello contra Manfredum polliciti. Pontifex eorum audaciam, & excellentiam admiratus, Inſigne belli miniſterium in eorum fiducia reponens, eorum oblationem grato animo ſuſcepit, eosque Clypeos, quos receperat ornatos, bello ferendos dedit, in ijs imago rubentis Aquilæ cæruleum Draconem unguibus ſubjectum prementis, quod inſigne Guelfis Clemens largitus eſt, illudque* **Urbi** *deinde reſtituti Guelfi continuârunt: erat enim Aquila Coccinea argenteæ impreſſa areæ, Draconem cæruleum ſibi ſubiectum acutis unguibus calcans*. Quæ inſignia pluribus in locis adhuc Florentiæ viſuntur, eorumque exemplar habet in eadem Tab. XVI. ſub Fig. 1. ubi etiam in Fig. 2. videre poteris quale ſtemma fautoribus ſuis Gibellinis Federicus II. Imperator conceſſerit, quæ bina ſtemmata quàm ab iis diverſa ſint, quæ in medio Epiſtylii januæ Sancti Laurentii expreſſa ſunt, nemo non videt.

Ulteriùs adhuc pro rejicenda illorum opinione, qui (ut diximus) Guelforum Inſignia eſſe credunt, aliam conjecturam adduco; Januam videlicet Eccleſiæ Sanctorum Joannis, & Pauli, quæ valdè conformis huic eſt Sancti Laurentii, cùm & Leones, & Aquilam habeat in Epiſtylio ſequenti modo expreſſam, vt in Fig. 3. ſolùmque in hoc differt, quòd Aquila loco Serpentis Leunculum unguibus tenet, ſive aliud animal; Nam vera ſpecies dignoſci minimè poteſt, cùm æuo longiori illius Imago corroſa, ferè deliteſcat.

Pro coronide demum adjiciam, nullum me Auctorem reperiſſe, qui eaſdem januas, ſive Eccleſias, Guelforum tempore reſtauratas, uel uno verbo teſtatus ſit: quapropter prædictas januas ipſis Guelfis admodum vetuſtiores exiſtimo, & ideò morem hunc foribus Eccleſiarum Leones, & alia id generis apponenda, multò altiùs indagandum.

Illum igitur ab Ægyptiis fluxiſſe docet *Cauſinus* in ſuo tractatu *de Symbolica Aegyptiorum ſapientia*, quos horum Symbolorum inventores fuiſſe tradit, ac tam Leonum, quàm Sphingum ſimulacra Templorum januis poſuiſſe, teſte Plutarcho de Iſide, & Oſiride. Λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι τὸν λιμνάζει Νεῖλος ἡλίου τὰ πρῶτα σωιεχομένου λέοντι. Ideſt: *Leonem colunt, & rictibus Leoninis templorum januas exornant. Reſtagnat enim Nilus Sole primùm Leonem ineunte*. Clemens verò Alexandrinus Stromat V. *Aegyptii* (ait) *ante templa ponunt ſphinges, quia doctrina, quæ de Deo eſt, ænigmatica eſt, & obſcura*. Pierus Valerianus *lib. 1. cap. 4.* ſcitè admodum narrat: *Non tantùm Mycenarum portis, ſed etiam reliquorum ædificiorum, præcipuè verò Fanorum valvis, ædiumque ſacrarum veſtibulis, Leones, tanquam divinorum Cuſtodes, ut paſſim cernere eſt, ſtatuebantur*, Hæc Valerianus desũpſiſſe videtur ex Horo Apolline *lib. 1. cap. 19.* qui ſic inquit:

Ἐγρηγορότα δὲ γράφοντες, ἢ καὶ φύλακα, λέοντος γράφουσι κεφαλὴν, ἐπειδὴ ὁ λέων ἐν τῷ ἐγρηγορέναι, μέμυκε σὺν ὀφθαλμοὶς, κοιμώμενος δὲ ἀνεῳγότας τούτοις ἔχει, ὅπερ ἐστὶ, τοῦ φυλάσσειν σημεῖον. Διόπερ καὶ συμβολικῶς τοῖς κλείθροις τῶν ἱερῶν λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασι. Ideſt, *Vigilantem autem, ſedulumque hominem, aut etiam Cuſtodem oſtendentes* ( Ægyptii ) *Leonis caput pingunt: quoniam Leo vigilans oculos claudit, eoſdem quum dormit, apertos habet, quod quidem cuſtodiæ atque excubiarum ſignum eſt. Quocirca non abſque ſignificatione templorum clauſtris, Leones, qui Cuſtodum loco ſint, appinxerunt*. Notat hîc Cauſinus, hieroglyphicum hoc, non modò in profanis, ſed etiam in ſacris rebus uſitatiſſimum, vt Leones in Symbolum majeſtatis appingerentur, idque etiam in thronis, fontibus, & ſepulchris. Nec ſolùm Ægyptiis, ut ſupra ex Horo narratum eſt, verùm etiam Judæis commune; ut conjicit Villalpandus, qui in Altaris angulis Leonum ſpecies inſculptas fuiſſe arbitratur. De thronis habemus *lib.* 3. *Reg. c.* 10. Salomonem thronum de ebore grandem feciſſe, ac veſtiviſſe eum auro, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo Leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim Leunculi ſuper ſex gradus hinc atque inde. Ornatiorem etiam cujuſdam Romani Conſulis, nomine Anaſtaſii, thronum cum Leonibus exhibet Alexander Wilthelmius in ſuo Diptycho Leodienſi, à quo tranſcripſit Ferrarius in ſuis Analectis *De re Veſtiaria*, pag. 60. Tab. D. & hæc de thronis.

De fontibus teſtatur Sidonius Appollinaris. lib. 2. epiſt. 2. *Ad Domitium*, piſcinam deſcribens: *In hanc ergo* (inquit) *piſcinam fluvium de ſupercilio montis elicitum, canalibuſque circumactis per exteriora Natatoriæ latera curvatum, ſex fiſtulæ prominentes Leonum ſimulatis capitibus effundunt, quæ temerè ingreſſis vera dentium crates, meros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabantur*: & Anonymus à Du Cange citatus in ſua *Conſtantinopoli Chriſtiana* lib. 3. num. 22. Ἐποίησε δὲ εἰς τὴν φιάλην γύροθεν στοὰς φρεατικὰς δωδεκα, καὶ λέοντας λιθίνους ἐρεύγεσθαι ὕδωρ εἰς ἀπόνιψιν τοῦ κοινοῦ λαοῦ. *Circa verò phialam fecit Porticus XII. in quibus erant putei vel fontes Leoneſque aquam eructantes, è quibus vulgus lavaret*.

Quod etiam ſepulchris Leonum ſtatuæ, maximè fortium virorum, apponerentur, teſtis eſt Pauſanias *in Boeoticis*, ac tumulis Thebanorum, qui in acie adverſus Philippum glorioſè, occubuerunt: en ejus verba: προσιόντων δὲ τῇ πόλει πολυάνδριον Θηβαίων ἐστὶν, ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον ἀγῶνι ἀποθανόντων, οὐκ ἐπιγεγραπται μὲν δὴ ἐπίγραμμα, ἐπίσημα δ' ἔπεστιν αὐτῷ λέων. *Proximo Urbi loco commune eſt ſepulchrum Thebanorum, qui in pugna contra Philippum defuncti ſunt. Inſcriptio nulla quidem inſcripta eſt; Inſigne verò tumuli Leo*. Cujus conſuetudinis initium ab Hercule fuiſſe, tradit Ptolemæus Hephæſtion, qui ſeptem libros *De nouis ad variam eruditionem hiſtoriis* edidit. Hic enim lib. 2. apud Photium, ita ſcribit: Οτι Ηρακλῆς, ἀποβροθέντος αὐτῷ τῶν δακτύλων ἑνὸς ὑπὸ τοῦ Νεμεαίου λέοντος, ἐννεαδάκτυλος γέγονε, καὶ ἐστι τάφος τοῦ ἐκκεκομένου δακτύλου. οἱ δὲ κέντρῳ τρυγόνος ἀποβαλεῖν τὸν δάκτυλον ἔφασαν. Λέοντα δ' ἐστὶν ἰδεῖν τῷ τοῦ δακτύλου τάφῳ ἐφεστῶτα λίθινον ἐν λακεδαίμονι, συμ-

βολον τῆς τῦ Ηεϱκλέους ἀλκῆς. ἐξ ἐκείνυ δὲ κὴ τοῖς ἄλλων τάφοις λιθίνες ἐφιϛῶϖι λέοντας. *Herculem* (inquit) *devorato à Nemæo Leone digito uno, novem dumtaxat digitos habuisse extareque tumulum digiti avulsi: alii tamen Pastinacæ piscis aculeo digitum amissum ferunt. Leonem verò ex lapide Lacedemone videre est digiti tumulo impositum, Symbolum nimirùm Herculei roboris. Vnde mos inolevit, in reliquorum quoque sepulchris lapideos statuere Leones.*

Elegans etiam hodie Sarcophagus visitur in villa Excellentissimi Ducis Matthæji, ubi sunt duo Leones Sarcophagum ipsum sustinentes, cujus exemplar refert Sponius in suis *Miscell. eruditæ antiquitatis* Sect. 2. art. 9.

Præter allata loca, in quibus Leonum simulacra locare antiquitas consuevit, alterum, in quo Romani Leonum capita insculpere ad ornatum solebant, subnectam. Hæc loca tectorum coronæ erant, è quibus fortissimæ hujus Belluæ ora prominebant, erumpebantque ex eorum rictu canales, per quos aquæ pluviales corrivabantur. Harum ego coronidum nonnullas antiquas è marmore spectâsse memini, & adhuc quædam videtur in Foro Boario, tribus columnis Corinthii ordinis super imposita, prope Ecclesiam S. Mariæ Liberatricis.

Præterea adeò in usu apud Romanos, in ædificiorum ornatibus Leones fuêre, ut in Pyramidibus, loco basium, sive talorum, quos nonnulli Astragalos nominant, positi fuerint: pulcherrimum erat exemplum in Vaticano Obelisco, antequã è suo loco amoveretur; de quo licèt Dominicus Fontana Architectus in suo tractatu *De transflatione Vaticani Obelisci*; nec non Michaël Mercatus historicus, & Fontanæ synchronus in suo *De Obeliscis Romæ*, ne minimâ quidem Leones pro basi in eodem Obelisco antiquitùs positos, mentione attigerint; nihilominus Jannotus Manetti *De Vita, & Gestis Nicolai V.* de eisdem luculenter meminit. Is enim in eodem tractatu, qui M S. servatur in Bibliotheca Medicea, ac etiam in Vaticana sub num. 2046. sic ait: *In hac ampliſſima, & ornatiſſima area, & ut Græci expreſſiùs dicunt, Plateâ, ingentiſſimum illum, ac maximum Obeliſcum, in ipſo areæ meditullio, è regione ad intermediam prædicti veſtibuli portam, in hunc modum pulcherrimè ſimul, atque devotiſſimè collocabat, nam pro quatuor puſillis, æneisque Leonibus, quibus Coloſſus ipſe, nunc pro baſibus, ac ſuſtentaculis, paullò ſuperficie ſoli altioribus, utitur, quatuor magnas totidē Evangeliſtarũ Statuas ex ſolido, liquefactoque ære, in ſtaturam humanā fabrefactè conflatas, in ſuperficie ſoli, diſtantibus inter ſe proportionibus, ſecundùm Coloſſi latitudinem ponebant; ſuper quibus æneis Statuis diverſis invicem figuris, juxta varias cujuſcunque perſonæ conditiones, perpoliti ſſimè ſculptis, Coloſſæa moles ſuſtentabatur: in ſummitate vero ipſius Coloſſi, alteram Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri Statuam, dexterâ ejus manu auream Crucem bajulantis ex ære confectam, accomodabat.* Hactenus Manettus. Cur autem præfati Mercatus, & Fontana rem suis temporibus notissimam silverint, sanè nescio: at si conjicere permittatur, censerem, eos ideò Leonum simulacra, ejusmodi monimentis, multò ante addita, reticuisse: ut credulæ posteritati suaderent, se illa priores

exco-

excogitáſſe, & operibus Xyſti V. eâ tempeſtate ſedentis, appoſuiſſe: cùm auguſtam tanti Pontificis magnificentiam aptiſſimo hieroglyphico nobiliſſimoque, nec non ejuſdem Inſignia gentilitia Leones exprimerent.

Hactenus verò de Leonibus generatim, in quibus nempe locis olim aptari mos fuerit: pergimus modò unde digreſſi ſumus, ad Leones nimirùm, quorum adhuc viſibilis in Urbe memoria ſupereſt. Sed ſi ad ſuperiùs dicta reflectimus, duorum in Regia janua Eccleſiæ S. Laurentii in agro Verano meminimus; horum primus, ſiniſter videlicet ingredientibus, anterioribus unguibus aprum arreptum tenet; dexter verò (quem potiùs Leænam dicerem) excipit inter ungues puerulum humi ſedentem, ac ſecum veluti jocantem, puer enim inferiorem belluæ mandibulam palpatur: animadvertendum hîc eſt, exemplar inverſo ordine inciſum fuiſſe. Quid autem aliud Leæna cum puero jocans innuere poſſit non video, niſi manſuetudinem, quam habere debet Eccleſia erga fidei Tirones, & novella germina ſanctitatis, quos Ser. 1. in octava Paſchæ Neophytos vocat S. Auguſtinus; Nam Leo in ſupplices clemens eſt, ac parcit proſtratis, teſte Plinio lib. 8. cap. 16. Quid verò Aper unguibus comprehenſus, ac fortè laniandus ſignificet, nos prorſus latet; niſi dicamus, Leonis typo venire Epiſcopum, ſive alium Eccleſiæ Rectorem, qui iuxta doctrinam Principis Apoſtolorum *epiſt. 1. cap. 5.* ſobrii eſſe debent, & vigilantes, adeò ut Fideles à via Domini aberrantes, ad ſemitam veritatis redire cogant, nolenteſque, ac interdum in propriam matrem ſurgentes, unguibus dentibuſque, cenſuris videlicet, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis dilanient. Videri etiam poteſt hæc, in templorum januis appoſitio Leonum, Chriſtifideles olim ſymbolicè docuiſſe vigiles erga Deum oculos mentis habendos, fortemque, ac perfectam ſacrarum rerum cuſtodiam.

Quod autem de Leonibus, idem & de Aquila interpretandum putaverim; cùm hæc volatilium Regina dicatur, fulmen deſpicere, ſolemque acie conſtanti intueri; tum Romanorum emblema ſit: Serpens verò diaboli ſymbolum. Quamobrem veteres Chriſti Aſſeclæ, hoc hieroglyphico forſitan animis ingerere contenderunt, ut domum Domini ingredientes, tanquam Aquilæ mentem ad Deum, ſolemque juſtitiæ Chriſtum erigerent, ac victoriam de teterrimo humani generis hoſte referrent; quod bellè argui poteſt ex Aquilâ ſupradictâ, quæ vnguibus veluti laniatura ſerpentem ſuſtinet.

Non abſimile quid in præfatâ antiquiſſimâ Eccleſia SS. Ioannis, & Pauli cernitur; ubi in veſtibulo Leo viſitur, Hyſtricem tenens; alterque ad lævam puerulum ſiniſtrâ manu premens, dexterâque caput Arietis, ut in Tab. XVII. Fig. 1. & 2.

In Epiſtylio ſtat Aquila, quæ unguibus non anguem, ſed Leunculum arripit, aut quidpiam aliud animal, cum præ vetuſtate, ut jam diximus, diſtingui minimè valeat. Porrò ſi eſt Leunculus, Diabolum denotat, iuxta illud notiſſimum S. Petri in Epiſt. 1. cap. 5. num. 8. *Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.*

Duo itidem Leones etiamnum oculis objiciuntur in Eccleſia S. Sabæ, non in janua, ſed in baſi duarum columnarum ad ingreſſum Porticûs, aliiſque duo in limine Eccleſiæ B. Mariæ Purificationis, in regione vulgò *Banchi* denominatâ; totidemque in Eccleſia S. Laurentii in Lucina, vt in eadem Tab. XVII. Fig. 7. & 8.

Leones præterea, olim ante Patriarchii Lateranenſis januam adfuiſſe, accepimus ab Ugonio, in Statione Sanctorum Ioannis, & Pauli, quos fel. mem. Papa Xyſtus V. in ſuo inclyto fonte ad Thermas Diocletianas locavit: ſuntque illi exteriores ex Pario marmore, ut Fig. 5. & 6. alii enim duo interiores, ex Baſalto, ut Fig. 3. & 4. ſtabant ante januam S. Mariæ ad Martyres, ſive Rotundæ, ex qua idem Pontifex amovit: ut narrat idem Ugonius, ac ſe inibi eos vidiſſe teſtatur. Eorum profectò baſis, ſeu ſuppedanei exterior facies, hieroglyghicis Ægyptiis ornata erat: in quorum enucleatione laudandæ memoriæ, ac eruditionis Pater Kircherus operam optimè navavit: In *Oedipo Aegyptiaco* Tom. 3. Syntagm. 15. cap. 2. ubi hujuſmodi ſtatuas, Leones Niloticos, ſeu Memphæos appellat.

Bini adhuc in præſentiarum, Capitolium aſcendentibus occurrunt Leones, itidem ex Baſalto, aquam ore per fiſtulam effundentes, ſtabantque hi ante Eccleſiam Sancti Stephani *del Cacco*, inde Pii IV. tempore amoti, ac ibi collocati; ut ſe vidiſſe ſcribit Flaminius Vacca in quadam ſua epiſt. M S. cujus exemplar me panes aſſervatur.

Et ſi Donati, Nardinique de Urbis Antiquitatibus differentium conjecturis adhærere velimus, aſſerunt propè Eccleſiam Sanctę Mariæ ſupra Minervam ſtetiſſe olim Templum Iſidis, nec non illud Serapidis; idque ex diverſis Ægyptiis marmoribus circum hæc loca erutis conjiciunt. Quare cùm iſti Leones eſſent ante Eccleſiam S. Stephani *del Cacco*, iſtaque ſit proxima Templo B. Mariæ ſupra Minervam, non incongruum erit aſſerere, illos in altero ex præfatis numinum Ægyptiorum Templis fuiſſe; hùc etiam accedit, quòd tempore Pontificatûs ſanctæ mem. Alexandri Papæ VII. ex nobili Chiſiorum familia, è fundamentis Cœnobii fratrum ordinis Prædicatorum, parva, humiliſque pyramis effoſa fuit, ſolitis Ægyptiorum notis, ac ſymbolis inſculpta, quam idem Pontifex egregius Urbis reſtaurator in platea ante prædictam Eccleſiam erigi juſſit, prout ad præſens viſitur.

Memini hîc audiviſſe à laudato viro Joanne Lucio, in eorundem fundamentorum effoſione prægrandem, acephalamque ſtatuam duodecim palmorum & ultra magnitudinis fuiſſe, erutam, cujus veſtimentorum rugæ multis in locis dilaceratæ, ſive potius infractæ erant, vidique egomet poſtea reſtauratam; ac exin in Gallias tranſmiſſam, collocatamque Verſaliis in celeberrimo Regis viridario accepi. Statuam hanc, ni fallor, Iſidis ſimulacrum repræſentabat, quod vnà cum illo Serapidis, eorumque aris everſum fuit L. Calphurnio Piſone ac Gabinio Conſulibus; quorum Conſulatus contigit ſecundùm Calviſii ſupputationem, ante Christvm Natum Anno 56. & de hujuſmodi everſione loquitur Tertullianus in *Apologet.* Cap. VI. his verbis: *Liberum patrem cum myſteriis*

*ſuis*

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4

Fig. 5.

Fig.

Fig. 7.

Fig.

*ſuis Conſules Senatûs auctoritate non modò Urbe, ſed universâ Italiâ eliminaverunt. Serapidem & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, ideſt, curiâ Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Coſs. non utique Chriſtiani, everſis etiam Aris eorum abdicaverunt.*

Licèt verò hactenus dictis probare conati ſimus, Leones non ad ſimplicem ornatum in Eccleſiarum januis, ſed ad aliquid allegoricè demonſtrandum appoſitos; nihilominus non negamus, in proximis elapſis ſæculis, Fideles exemplo veterum, non ad allegoriam, ſed ad ornatum in liminibus, januiſque Eccleſiarum animalia collocâſſe; ut cerni poteſt in Eccleſia S. Salvatoris in Lauro, nunc ſub invocatione B. MARIÆ Lauretanæ, Nationis Picenæ, ubi loco duorum Leonum, ſunt duo Urſi, qui Stemma gentilitium, nobiliſſimæ familiæ Urſinæ, referunt, cùm ipſa Eccleſia à bo. me. Cardinale Latino Urſino, circa annum 1450. ædificata fuerit; cujus familiæ ad præſens decus eſt Em. & Rev. D. Vincentius Maria S. R. E. Card. Urſinus, ac Eccleſiæ Beneventanæ digniſſimus Archiepiſcopus, qui ſuam erga divinum cultum religionem, ac ſolicitudinem, ſuamque erga pauperes pietatem & miſericordiam, cum populi plauſu mirum in modum oſtendit.

## CAPUT IV.

### *De valvis æneis in Eccleſia S. Pauli extra muros Urbis Viâ Oſtienſi.*

OCCASIONE, quâ nuper à nobis deſcripta eſt columna, quæ olim in Baſilica S. Pauli extabat, & oſtendimus antiquas Januas Eccleſiarum S. Pudentianæ, & S. Laurentii in Agro Verano, dignas quoque, ut in lucem publicam revocentur, æneas valvas exiſtimamus, quæ in Regia ipſius Baſilicæ Janua adhuc ſunt. Dignas inquam, tum propter illarum cælaturam, quâ varia Sacra Myſteria, ac multorum Sanctorum figuræ exprimuntur: tum etiam propter inſignem hujus donarii Datorem, nec non ob locum, in quo conflatæ fuêre. Ut autem faciliùs ea, quæ dicturi ſumus, animo concipere poſſis, earundem Valvarum exemplum exhibemus in Tabula XVIII.

Iſtæ autem Valvæ, ſolummodò in exteriori parte æneæ ſunt, in interiori verò ligneæ, vnde propriè dici poſſunt laminę æneæ lignum obducentes, quarum craſſitudo eſt, duorum minutorum circiter, unciæ palmi Romani.

Figuræ in iiſdem laminis expreſſæ, non quidem anaglyphicè ſculptæ ſunt, ſed ſcalpro inciſæ; ac ſcalpri cavitates, filamentis argenteis repletæ, adeoque viſui gratæ, quando recentes erant, modò autem ita primævum ſplendorem amiſerunt, ut ex qua materia ſint, dignoſci vix poſſit, cùm pleraque argentea filamenta ceciderint, vel ablata fuerint. Eædem ſic ſtructæ ſunt.

In altitudine in ſex ſegmenta diſtinguuntur, quorum inter unum & aliud, veluti quædam anguſta Paraſtaſis, truncis, ac foliis cælata, media eſt, ut numeris 1. 2. 3. 4. 5. indicatur.

In ſingulis iſtis ſegmentis, perpendiculari deſcriptione retentâ, novem ſunt quadrata, ſive Parallelogramma, in quorum ſingulis Figuræ cum Græcis literis, ac idiomate, ipſas Figuras declarantibus, expreſſæ ſunt.

I. In prima enim Figura Annunciatio B. Mariæ Virginis, ab Angelo Gabriele facta, non ſolùm figuris, verùm etiam verbis repræſentatur, ſcilicet. O XEPAITHCMOC XEPAI KEXAPITOMENH O KE METACO. Ideſt. *Salutatio. Salve gratia plena Dominus tecum.*

In iſtis valvis gravis barbaries temporis arguitur, quo elaboratæ fuêre, non ſolùm ob ipſam cælaturam, quæ rudis, & invenuſta eſt, verùm etiam ob ipſos characteres, qui eodem laborant morbo, licèt cælati ſint in Regia Urbe Græcorum, nempe Conſtantinopoli; & quod peſſimum eſt, voces ipſę erroribus ſcatent, ut ipſamet prima deſcriptio relata, ſat docet, quæ tamen ſic legenda eſt: ὁ Χαιρετισμὸς. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετά σου.

Hæc tantummodò indicaſſe ſufficiat, in reliquis brevitatis gratiâ à ſimili declaratione abſtinebimus.

II. Secundum quadratum Chriſti Baptiſmum, in fluvio Jordanis à Joanne Baptiſta miniſtratum, exhibet, ubi aſtant duo Angeli, Syndonem ad detergendam aquam manu tenentes. Ad Chriſti pedes ipſius veſtimenta cernuntur, cum inſcriptione. BAΠTICHC. ideſt, *Baptiſmus.*

III. Tertium clarum eſt, cùm Chriſtum Crucifixum exhibeat, ad dexteram verò Beatam Mariam Virginem, & ad ſiniſtram S. Ioannem Euangeliſtam. Epigraphe eſt. CTAYPΩCIC. IC XC. *Crucifixio. Ieſus Chriſtus.*

IV. Licèt Icones hujus loculamenti, prout ipſa epigraphe, quæ *veſtibulum clauſum* indicat, ſint explicatu difficiles, eas tamen referrem ad cap. 20. Joan. ubi ſic: *Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio* (ſcilicet Diſcipulorum) *& dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Hæc autem omnia ſatìs in iiſdem Figuris repræſentantur. Chriſtus enim hîc dexteram elevat, ac ſiniſtrâ latus detegit. Thomas verò paullò acclinis, & ipſe manum attollit, in latus Chriſti digitum immiſſurus. Inſcriptio eſt. TON ΘYPON KEKΛHCMENON.

V. Quintum habet in ſe Crucem Græcam cum Chriſti nomine hinc inde abbreviato. IC. XC. *Ieſus Chriſtus.*

VI. Fatemur quidem, hujuſmodi Figurarum explicationem quandoque potiùs divinando, quàm certè aliquid affirmando tentare, quod ſi unquam, modò profectò accidit: in hoc enim num. 6. tres ſunt Figuræ, quarum duæ ſtantes, ac veluti datis in amicitiæ teſſeram dexteris colloquentes, ipſâ inſcriptione indicantur, ſcilicet. ICXC. & ΛΓIOC ΠAYΛOC. *Ieſus Chriſtus. S. Paulus.* Tertia verò quæ humi proſtrata jacet, Oedipum quærit, cujus ego partes implere licèt non poſſim, exponam tamen quid ſentiam. Puto igitur has Figuras referri ad caput 18. Act. Apoſt. ubi habemus D. Paulum Corinthum veniſſe, ac ibi teſtificâſſe eſſe Chriſtum Iesvm, nec non plurimos Corinthiorum Paulum audientes, credenteſque, Baptiſmũ ſuſcepiſſe. Dominum autem nocte perviſum Paulo dixiſſe: *Noli timere, ſed loquere, & ne taceas, propter quod ego ſum tecum, & nemo opponetur tibi vt noceat te, quoniam populus eſt mihi multus in hac Civitate.* Quæ allocutio ſatìs per ſtantes

Figu-

Figuras exprimitur, per aliam verò jacentē Paulus dormiens repræſentatur.

VII. Septimum, S. Andreæ Apoſtoli Crucifixionem deſignat, cui titulus eſt: Ο ΑΓΙΟC ANDREAC EN ΠΑΤRA CTAYPΩΘHC TEΛHOYTE. *S. Andreas in Patra Crucifixus moritur.*

VIII. In Octavo quædam Figura eſt cum inſcriptione. Ο ΙΩΑΝΝΕC ΘΕΟΛΟΓΟC, ſcilicet, *S. Joannes Theologus*, qui apud Græcos idem eſt, ac apud nos Latinos, Joannes Euangeliſta, ut habetur in illorum Menologio ad diem 25. Septembris. In qua ipſius Sancti dies feſtus ab iiſdem celebratur; ſic enim in eorum Liturgia ad hanc diem ſcribitur: τῦ ἁγίυ Ἀποστόλυ Ἰωάννυ Θεολόγυ, *S. Apoſtoli Joannis Theologi*, ac oſtendit Baronius ad ann. 97. nu. 12.

IX. Nonum Aquilam continet alis expanſis, quæ tamen, utrum ad placitum ſculptoris, vel potius ad denotandam Imperialem Aquilam, poſita ſit, ignoratur, cum hujuſmodi loculamentum epigraphe careat.

X. Decimum Nativitatem Chriſti deſignat, ut ex hiſce verbis colligitur Η ΧΥ ΓΕΝΝΗCIC *Chriſti Nativitas*. In medio viſitur puer Jesvs in Præſepe, à quo Bos paulùm diſtat. & unâ parte ipſe Jesvs in pelvi, ſive labro poſitus lotionis cauſsâ.

XI. In undecimo Chriſti *Tranſfigurationem* inſinuat verbum hoc: Η ΜΕΤΑΜΟΡΦΟCIC. Ibi enim Jesvs ſuper montem Thabor nitentibus radiis coruſcat· Ad dexteram, & ſiniſtram Moſes, & Elias; in inferiori autem parte Petrus, Joannes, atque Jacobus, quos ſecum duxerat, ut Marci cap. 9. narratur.

XII. Duodecimum loculamentum Chriſti depoſitionem è Cruce repræſentat, cui titulus: Η ΑΠΟΚΑΘΗΛΟCIC IC XC. *Refixio, ſeu avulſio Jeſu Chriſti.* In hac Tabula manus dextera Chriſti è clavis libera pendet, & à Beata Maria Virgine ſuſtinetur: ſiniſtra verò à quodam viro (nempe Joſepho ab Arimathæa) deprimitur, qui ſcalæ innixus, eam è clavo educere nititur: ex pedibus, dexter liber eſt, ſiniſter autem Cruci affixus. Ad Crucis baſim S. Joannes Euangeliſta genuflexus, venerationis, & reverentiæ ſignum exhibet.

XIII. Decimatertia Imago, Aſſumptionis eſt, & hoc verbo exprimitur: Η ΑΝΑΛΗΨIC, quod idem ſignificat.

XIV. Decimum quartum quadratum Figuris caret, his tamen verſibus inſignitur.

TV QVOQVE QVI SACRI
SVCCEDIS LIMINA TEMPLI
HAS PER QVAS INTRAS
STVDIOSIVS INSPICE PORTAS
ET SIC INGRESSVS DOMINO
FER CVM PRECE FLETVS
VT DEVS HVIC REQVIEM
CONCEDAT HABERE PERENNEM
IMPETRET HOC ILLI
SIMVL INTERCESSIO PAVLI
QVEM QVIA DILEXIT
DECORAVIT MVNERE TALI.

XV. In decimo quinto loculamento S. Petri Crucifixio expreſſa eſt ut characteribus annotatur, nempe: Ο ΑΓΙΟC ΠΕΤΡ, ΥΠΟ ΝΕΡΟΝΟC CTAYPOΘHC TEΛHOYTE. *S. Petrus ſub Nerone crucifixus moritur.*

XVI. Decimum ſextum habet Figuram ſtantem, quæ S. Andream deſi-

designat, cum inscriptione: O AΓIOC ANΔPEAC. *Sanctus Andreas.*

XVII. In decimo septimo vir est Cruci affixus, per quem ipse S. Andreas exprimitur, licèt ex literis non appareat.

XVIII. In decimo octavo etiam alter vir est, & ipse stans, quo designatur S. Thomas, vt docent litteræ: O AΓIOC ΘΩMAC. *S. Thomas.*

XIX. Decimum nonum Circumcisionem Domini repræsentat, quæ cùm ex se notissima sit, explicatione non indiget; ejus titulus est: HYΠOΠΛHCIC. *Circumcisio.*

XX. Vicesimum Palmarum festivitatem exhibet, Christus asino insidens: ac turbæ vestimenta in via strata cernuntur, cum hac voce: H PAIOΦOPOC. *Festum Palmarum.*

XXI. In vicesimo primo, sacræ scripturæ locus cap. 27. 52. Matth. explicatur, ubi: *& Petræ sciſſæ sunt, & monimenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt &c.* Id clarè Figuris exprimitur, cùm Christus in medio Sanctorum promineat, Crucem alterá manu gestans, veluti de morte triumphans; alterâ verò ipsos mortis captivos secum ducens: hæc inscriptione declarantur: ANACTACIC. quæ: *Revocatio ad vitam.* ad æternam, scilicet, interpretanda est. De hac voce plura congessit eruditus vir Caspar Svicerus *in suo Thesauro Ecclesiast.*

XXII. Contentis in hac Figura illud innuitur, quod in cap. 2. Act. Apostolorum narratur, scilicet: *Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus est repentè de Cælo sonus, tanquam advenientis spiritûs vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Titulus ipse declarat: nempè: H ΠENTIKOCTH. *Pentecoste.*

XXIII. Designat S. Bartholomæum catenâ, sive vinculo constrictum. Titulus sic se habet: O AΓIOC BAPΘOΛOMEOC KPEMACΘEIC EΠI CTAYPOY TEΛEIOYTAI. *S. Bartholomæus pendens in Cruce moritur.*

XXIV. S. Petri Apostoli Figura in hoc loculamento repræsentatur; vt ex literis: O AΓIOC ΠETPOC. *S. Petrus.*

XXV. Transitum, sive potiùs humationem S. Joannis Euangelistæ ostendit, cum Sarcophagi operculum in pavimento cernatur, ut indicatur lit. A. Superimposita Inscriptio sic habet. H METACTACIC TOY AΓIOY IΩ TOY ΘEOΛOΓOY. *Translatio S. Joannis Theologi.*

XXVI. Hác Imagine S. Bartholomæus Apostolus designatur, habet enim ad latera epigraphen: O AΓIOC BAPTOΛOMEOC. *S. Bartholomæus.*

XXVII. S. Thomæ Apostoli Martyrium in hac Tabula exhibetur, qui lanceâ perfoditur. legitur enim: O AΓIOC ΘΩMAC ΛOXI YΠOHNΔIA TEΛHOTE. *S. Thomas lanceâ in India moritur.*

XXVIII. S. Philippi Apostoli Martyrii forma describitur. O AΓIOC ΦHΛHΠΠOC KATAKEΦAΛHC CTAYPOΘHC TEΛIOYTE *S. Philippus adverso capite Crucifixus moritur*

XXIX. S. Iacobi cognomento Minoris imago, nam de Majori dicetur infra sub num. 47. Titulus est: O AΓIOC IAKOBOC. *S. Iacobus.*

XXX. Exhibetur cadaver S. Matthæi Hebræorum more fasciis involutum,

tum, & in ſarcophago poſitum; ac ipſius operculũ ſignatum lit. B: Tabulæ inſcriptio eſt: HKYMHCIC TOY AΓIOY MATΘEOY. *Obitus S. Matthæi.*

XXXI. Hoc in loco S. Lucas exprimitur, inſcriptum eſt enim: O AΓIOC ΛOYKAC. *S. Lucas.*

XXXII. Moſes hîc inculptus eſt, qui apertum volumen in ſiniſtra manu tenet; habetque epigraphen: O ΠPOΦHTHC MΩYCIC: *Propheta Moſes.* In volumine verò Idiomate, ac characteribus Latinis hæc leguntur.

VIDE
VITIS
VITA
VRA
PEN
DEN

Quæ ſic (ni fallor) legenda ſunt: *Videbitis vitam veſtram pendentem.* Chriſtum ſcilicet Crucifixum (qui peccatorum omnium vita fuit) è Cruce pendentem.

XXXIII. Sequitur Davidis imago, ut ibi: O ΠPOΦHTHC ΔAΔ. *Propheta David.* Iſte etiam volumen explicat, ubi hæc inſculpta ſunt.

AVDI
FILIA
ET VI
DE ET
INCLI
NA A
VRE
M TV
AM.

XXXIV. Propheta Hieremias in hac Tabula denotatur. Docet Titulus O ΠPOΦHTHC IEREMIAC. Iſte etiam volumen habet, in quo hæc continentur.

HIC
DS NR
ET N
IMPV
TABI
TVR
ALIV
S

XXXV. Hieremiam excipit Elias Propheta: eundem ferè aliorum aſpectum referens, cum inſcriptione: O ΠPOΦHTHC HΛHAC. *Propheta Elias.* Scripta verò in volumine ſunt Græco charactere.

EΓNΩ
..ΠAC
OΛAOC
OTIC-
CIM
ΩNOC
ΚC O ΘO
HΛKA
ΓΩΔOY

Quæ inſcriptio cum lacunis quibuſdam informis ſit, legi haud potuit, atque ideo ab illius verſione abſtinere cogimur; Attamen ſi conjectari licet, in prima lacuna literas K E deſiderari cenſeo, & ſenſus erit: *Cognovit omnis populus, quòd tu ſolus Dominus Deus* ..... à duabus poſtremis lineis penitus abſtineo, cùm mendis corruptiſſimæ appareant.

XXXVI. Vltimum iſtius columnæ locum obtinet Figura Prophetæ, Habacuc, eodem modo ut ſuperiores, habetque in volumine:

DS A LI
BANO
VENI
ET ET
SCS
DE MO
NTE

Ad

Ad utrumque latus expreſſum eſt: O ΠΡΟΦΗΤΗC ΑΒΑΚΟΥΜ, *Propheta Habacuc*.

XXXVII. Hac Figura S. Philippus repræſentatur, ut liquet ex literis. O ΑΓΙΟC ΦΗΛΗΠΠΟC.

XXXVIII. In ſequenti Simonis Zelotæ Crucifixio inſculpta eſt; legitur enim. O ΑΓΙΟC CIMΩN O ZHΛOTHC CTAYPΩΘHC TEΛHOYTE. *S. Simon Zelota Crucifixus moritur*.

XXXIX. In hoc numero S. Matthæum inſinuant verba: O ΑΓΙΟC MATΘAIOC. *S. Matthæus*.

XL. Mors S. Marci Euangeliſtæ deſcribitur. habet enim inſcriptio: O ΑΓΙΟCMΑΡΚΟC ΟΕΥΑΝΓΕΛΙCΤΗC ΕΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΤΕΛΗΟΥΤΕ. *S. Marcus Euangeliſta Alexandriæ moritur*.

XLI. In Quadrageſima prima Tabula Figurarum loco hæc carmina deſcripta ſunt.

✠ PAVLE BEATE PRECES
DOMINO NE FVNDERE CESSES
CONSVLE MALFIGEENO
PRO PANTALEONE ROGANDO
DVCTVS AMORE TVI
QVI PORTASHAS TIBI STRVXIT
ERGO SIBI PER TE
RESERETVR IANVA VITAE
SVPLEX ERGO PETIT
DOMINO QVI SEMPER ADESTIS
HVIC PRECIBUS VESTRIS
DS ANNVAT ESSE QVOD ESTIS.

XLII. Viſitur in hac Tabula Iſaïas Propheta ambabus manibus volumen extenſum tenens, cum hiſce verbis.

EC
CE
VIR
GO N
OT...

Vltimæ literæ deſiderantur. Titulus verò eſt. O ΠΡΟΦΗΤΗC ICAHC *Propheta Iſaïas*.

XLIII. Cernitur alius Propheta in hac Tabula, nempe Ezechiel, qui etiam volumen ſiniſtrâ ſuſpenſum tenet, in quo inſcriptum eſt.

INDV
XIT
ME PER
VIAM
PORT
E BO
REA
LIS.

Titulus, qui hinc inde viſitur, eſt: O ΠΡΟΦΗΤΗC HEZEKIHΛ. *Propheta Ezechiel*.

XLIV. Poſt hunc ſequitur Eliſæus eodem modo expreſſus ut alii, præter ea, quæ in volumine continentur, charactere, & idiomate Græco deſcripta, nempe:

ΕΓΩ
ΑΠΟC
ΤΟΜΑ
ΤΟC
ΥΥΙC
ΤΟΥ ΕΞ
ΗΛΘΟ
Ν.

Latinè verò reddita ſic ſonant: *Ego ab ore Altiſſimi exivi*. Prophetæ nomen ſic adnotatur. O ΠΡΟΦΗΤΗC ΕΛΙCAIE. *Propheta Eliſæus*.

XLV. Poſtremum locum obtinet Sophonias, qui in volumine hæc habet.

EX
PEC
TA
IN DIE
RESV

RREC

RREC
TION
EM.

Ejus nomen: O HPOΦHTHC COΦONIΩC. *Propheta Sophonias*.

XLVI. Martyrium Beati Iacobi Apoſtoli Fratris S. Ioannis Euangeliſtæ, Majoris appellati, oſtendit, his verbis: O AΓIOC IAKOBOC MAXEPA YΠO HPOΔOY TEΛIOYTE. *Sanctus Jacobus gladio ſub Herode moritur*.

XLVII. S. Simonis effigies eſt, ut nomen indicat: O AΓIOC CHMΩN *Sanctus Simon*.

XLVIII. S. Lucæ Euangeliſtæ obitus deſignatur, cùm ejus corpus ſepulchro mandari cernatur, ac tres circa eum legentes, nec non Presbyter cum Thuribulo extenſo, Græcorum more, cadaver fumigans. Lemma eſt: O AΓIOCΛOYKACENIPHNI TEΛIOYTE. *S. Lucas in pace moritur*.

XLIX. Viſitur S. Marcus, ut ex Titulo: O AΓIOC MAPKOC. *Sanctus Marcus*.

L. Græca Crux, ut in oppoſita parte, & eádem formâ delineata, cum Chriſti nomine ad latera. IC XC.

LI. Prophetæ Ezechiæ effigies cum extenſo volumine hîc repræſentatur, ut ipſum nomen teſtatur. O ΠPOΦHTHC HEZEKIAC. *Propheta Ezechias*. In volumine autem hæc ſcripta ſunt:

CY
MON
OC KC
YϒHC
TOC E
ΠI ΠAC
AIC TA
IC BA
CIΛE
IAIC.

Quæ verba ſic ſonant: *Tu ſolus Dominus Altiſſimus ſuper omnia Regna*.

LII. Exprimitur in hoc loculamento Daniel Propheta cum volumine, ac ſolita nominis appoſitione. O HPOΦHTHC ΔANIHΛ. *Propheta Daniel*. In volumine verò hæc habentur:

CONSTI
TVET
BS CELI
REGNV
M QVO
B. ERIT
IN AET
ERNV
M.

LIII. In penultima harum valvarum parte, repræſentatur Jonas Propheta, ut ex inciſo nomine liquet: videlicet: OΠPOΦHTHC IONAC. *Propheta Jonas*. In volumine verò, quod iuxta morem aliarum figurarum in ſiniſtra tenet, hæc leges:

CLA
MAVI
DE T
RIBV
LATI
ONE.

LIV. Poſtrema, ſive infima earundem valvarum pars continet Aquilam, ut in oppoſita parte ſub num. IX. dictum eſt.

Hactenus autem figuras cum inſcriptionibus in eis contentis oſtendimus, & explicavimus: ſupereſt pro hujuſcemodi deſcriptionis coronide nonnullas alias inſcriptiones, quæ in eadem janua in locis A. B. C. D. inciſæ leguntur, recenſere.

Porrò in A. hæc habentur, & prout jacent, referuntur.

ΠΑΝΤΑ
LEON STRA
TVS VENIAM
MIHI POC
CO REATVS.

In B. Inſcriptio eſt characteris Arabici, quam ſic interpretatus eſt CL. Vir Joannes Matthæus Naironus Bibliothecæ Vaticanæ Orientalium linguarum ſcriptor, & interpres; videlicet. *Operatus eſt in hac janua Virtute Dei ..... oportet ut quiſquis legit, oret pro eo*:

In C. Tertia eſt inſcriptio characteris, & idiomatis Græci, quam ſic expono.

Actum eſt manu mea Stauracii Tuchiti
legentes
Orate etiam pro me.

In quarto ſignato D. alia adeſt inſcriptio rudi charactere Latino, quæ quibuſdam mendis, Latinę linguę peritis ſatis patentibus, eſt informis. Illius exemplar licèt melioris characteris ſic expono.

ANNO MILLESIMO SEPTVAGESIMO AB INCARNATIONE DNI TEMPORIBVS
DNI ALEXANDRI SANCTISSIMI PP QVARTI. ET.
DNI ILDEPRANDI VENERABILI.
MONACHI: ET ARCHIDIACONI CONSTRVCTE SVNT PORTE ISTE IN REGIA VRBE
CONP. ADIVVANTE DNO PANTALEONE CONSVLI QVI ILLE FIERI IVSSIT.

Ultra errores Linguæ Latinæ, patulus ille eſt numeri deſignantis Pontificem, cum anno 1070. non regnaret Alexander IV. ſed Alexander II. nec dici poteſt in numeri characteribus errorem eſſe, cùm iſte ad longum literis expreſſus ſit. Procul dubio eſt Alexander II. qui vivebat eodem anno 1070. Alexander verò IV. floruit anno 1254. atque ita neutiquam huic Pontifici attribui poteſt. Imò notandum, quòd nomen Ildeprandi, Monachi & Archidiaconi in eiſdem valvis expreſſum eſt, quem pro certo habeo fuiſſe Hildeprandum illum, qui primò Monachus fuit Cluniacenſis, poſtea Subdiaconus S. R. E. deinde Archidiaconus, demum Romanus Pontifex, ſub nomine Gregorii VII. cujus egregia, ac præclara facinora plures ſcriptores enarrant.

Licèt ad prototypi formam, è valvis æneis, characteribus inciſis, tranſcripſerim hanc inſcriptionem; ſubaudio mihi objici Baronium ad an. 1070. aliter eam referre; nempe non *Alexandrum quartum* ſed *ſecundum* ſcripſiſſe. Cui objectioni reſpondeo, me propriis oculis illam vidiſſe, ac fideliter tranſcripſiſſe, & ita etiam illam referre P. Margarinum in ſuis Inſcriptionibus antiquis Baſilicæ S. Pauli pag. 2. nu. 8. & Pompejum Ugonium in Hiſtoria Stationum Romæ pag. 235. Quòd autem Baronius aliter ediderit, excuſandus eſt, quia in texenda Hiſtoria occupatus, non potuit omnia ocularitèr videre, ſed Amanuenſes mittebat; quare exiſtimavit illam corruptam fuiſſe, & abſque ulteriori indagatione, illam correxit, non ſolùm in hac voce, ſed in omnibus aliis.

Hanc S. Pauli valvarum deſcriptionem

nem, non injucundam Lectori fuiſſe exiſtimamus, tum propter figurarum diverſitatem, tum etiam propter eruditionem in illis contentam, quare rem gratam facturos putamus, ſi ſimiles aliarum Eccleſiarum valvas conſueto more narremus.

## CAPUT V.

### *De æneis Valvis in Vaticana Baſilica nunc extantibus.*

NOSTRÆ intentionis eſt, ut jam demonſtravimus, vetera Eccleſiarum monimenta in lucem revocare; quamobrem inter alia, nonulla antiqua hieroglyphica in Eccleſiarum Januis adhuc extantia, ac duas etiam Januas, nec non valvas æneas, quæ in D. Pauli Baſilica adhuc cernuntur, oſtendimus, & deſcripſimus. Proprium erit etiam hic, ſi alias æneas valvas Vaticanæ Baſilicæ referamus, quæ licèt longam annorum non redoleant ſeriem, redolent tamen quid regium, & magnificum, tùm propter earum magnitudinem, tùm etiam ob cælaturam, ſacraſque hiſtorias in eiſdem anaglyphico opere expreſſas. Utinam adhuc ſupereſſent. Illæ valvæ argenteæ à SS. Pontifice Honorio hujus nominis I. qui floruit anno 626. conſtructæ; de quibus Bibliothecarius in ipſius Pontificis Vita ſic ſcribit. *Hic temporibus ſuis multa bona fecit. Hic erudivit Clerum temporibus ſuis, renovavit omnem familiam B. Petri Apoſtoli, & inveſtivit Confeſſionem B. Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octuaginta & ſeptem. Inveſtivit regias januas in ingreſſu Eccleſiæ majores, quæ appellantur medianæ, ex argento, quæ penſant libras noningentas ſeptuaginta quinque &c.*

Has pretioſas valvas mirâ magnificentiâ, ac liberalitate à tanto Pontifice factas inexplebilis Saracenorum avaritia anno 846. diripuit: quare Beatiſſimus Præſul Leo Papa IV. eaſdem paullò poſt direptionem priſtino ſplendori reſtituit, ut narrat idem Scriptor, videlicet: *Ipſe inſignis Præſulque præcipuus, cùm innumera ſummi decoris opera in Baſilica B. Petri Cæli Clavigeri perfeciſſet, portas quas deſtruxerat Saracena progenies, argentoque nudârat, erexit, multisque argenteis Tabulis luciſluis, ſalutiferiſque hiſtoriis ſculptis decoravit, & in meliorem ſpeciem, quàm pridem fuerant, reparavit, ut omnes qui in eandem Baſilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti, ſanctoque ſuo Præſulatui referant, & expoſcant, ut multa annorum ſuæ vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere, aulam Dei argento penſan. Libras ſeptuaginta, ornavit.* Hæ etiam valvæ periêre, cùm nil ſub Sole ſit, quod temporis ingluvies non devoret: quomodo autem perierint, ignoratur, ſed non abs re conjectandum eſt, argenteas laminas, quibus valvæ ipſæ fuerant inveſtitæ, paullíſper temporis progreſſu ablatas fuiſſæ: unde ſan. memoriæ Eugenius IV. denuò has æneas valvas; quæ nunc viſuntur, conſtrui fecit; & licèt antiquas in metalli prætioſitate non excedant, excellunt tamen, (ni fallor) in cælaturis, cum poſteriora ſæcula, Leonina in ſimilibus operibus ſuperaverint, ut pluribus exemplis demonſtrari poteſt, quæ brevitati conſulendo omittuntur. Earundem valva-

rum altitudo eſt palmorum 33. latitudo verò 16. $\frac{1}{4}$. Turrigius antiquarum rerum Vaticanæ Baſilicæ diligentiſſimus Scriptor, in ſuis *Cryptis Vaticanis*. pag. 155. præfatas æneas valvas ab Antonio Philarete Florentino elaboratas fuiſſe aſſerit; in quarum fabrica ipſe Antonius duodecim annorum ſpatium inſumpſit. Occaſione autem conſtructionis novæ Baſilicæ à ſanc. mem. Paulo V. factæ, ab eodem Pont. reſtauratas fuiſſe legitur in ipſarum valvarum faſtigio. Has valvas (ut diximus) juſſu Eugenii IV. fabrefactas teſtabantur carmina, in eis, aut propè eas expreſſa, quæ carmina celebris Onuphrius Panvinius *de Septem Urbis Eccleſiis*. pag. 37. ſic refert:

*Ut Græci, Armeni, Aetiopes, hîc aſpice ut ipſam*
*Romanam amplexa eſt Gens Jacobiæa Fidem.*
*Sunt hæc Eugenii monumenta illuſtria Quarti,*
*Excelſi hîc animi ſunt monumenta ſui.*

Earundem valvarum iconem, prout ad præſens ſunt, in Tab. XIX. expono, ut eam contemplando, curioſitati tuæ, benigne Lector, pleniùs ſatisfacere poſſis, ac pro majori in eiſdem valvis expreſſarum Figurarum intelligentiâ, ſequentes notas exponimus.

1. Numerus inſignia Gentilitia Eugenii IV. Summi Pontificis exprimit.

2. Duas claves, itidem Romani Pontificis Inſignia, demonſtrat, nempe utramque Poteſtatem, à Deo Romano Pontifici ligandi, atque ſolvendi, conceſſam.

3. Salvatoris Imaginem repræſentat, ut ipſa epigraphe oſtendit.

4. Itidem effigiem Beatiſſimæ Virginis Mariæ exprimit; ad cujus pedes legitur Salutatio Angelica, *Ave Maria gratia plena*.

5. 6. In hac areola hos numeros 5. 6. continente, Imperatoris Palæologi Ferrariam, pro unione Græcorum cum Latinis, acceſſus oſtenditur. Hanc Hiſtoriam refert Raynaldus in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1438. num. 6. & 7. Anaglyphicum igitur opus ſub num. 5. expreſſum, Pontificiæ navis, ſive potiùs triremis, Imperatoris à Venetis litoribus diſceſſus, ac in Ferrarienſe litus appulſus exprimitur, qui accidit die 8. Martii præmemorati anni. In num. 6. Eugenius IV. Summus Pontifex Papali tiarâ redimitus, ac ſedens, dexteramque Imperatori, nudato capite, altero genu provoluto, porrigens, cernitur.

7. 8. Altera areola hos numeros 7. 8. comprehendens, proſequitur eaſdem actiones Imperatoris Græci demonſtrare: ſub num. 7. oſtenditur Seſſio publica œcumenici Concilii Florentini habita die 6. Julii anno 1439. in qua interfuerunt idem Eugenius IV. Summus Pontifex, & Imperator Conſtantinopolitanus Joannes Palæologus; in eademque Seſſione decretum fuit fidei Symbolum à Juliano Cæſarino Presbytero Cardinale Tit. S. Sabinæ, & à Beſſarione Archiepiſcopo Niceno. Num. 8. repræſentat Imperatoris à Florentia diſceſſum, Venetias, ac Conſtantinopolim versùs. Has Figuras in præfatis quatuor numeris expreſſas, in majori forma oſtendit Petrus Lambecius in Sua Bibliotheca Cæſarea tom. 8. pag. 504. Itidem Macrus unicam tantùm refert, illam videlicet ſub num. 7. occaſione vocis

*Caly-*

P A
P C
ISA

PAVLVS V
PONT. MAX.

T. XIX
RESTAVRAVIT A
PONTIFICA. XV



*Calyptra*, quam diadematis genus esse declarat, panno purpureo, & auro intextam, sursumque vergi, ac ad Pyramidem superficie fundi.

9. Hic locus Figuram D. Petri Apostolorum Principis stantis exprimit, qui dexteram Eugenio IV. genuflexo, ac deosculanti porrigit, quasi tradens eidem Pontifici Claves: sinistrâ librum, scilicet Euangeliorum, tenet.

10. S. Paulus expressus est in hac area, qui dextrâ ensem, sinistrâ itidem librum tenet. Ad pedes vas est, per quod repræsentari vas illud puto, quod in Sacra Scriptura, Act. Apost. c. 9. 15. exprimitur, ubi Dominus dixit Ananiæ. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste.* Quem locum exponit S. Isidorus Pelusiota lib. 4. Epistolâ ad Arsenuphium Lectorem sub num. 80. scilicet, *Vas electionis*, ideſt: *electum mihi est iste*.

11. 12. Parallelogrammum hoc divisum est in duas partes. In 1. signata n. 11. ingressus Legatorum Æthiopum Urbem Romam anno 1441. exprimitur, quorum primarius Andreas S. Antonii Abbas: miserat enim Eugenius ad illos, nempe ad Jacobitas Orientales, Albertum Minoritam, ut eosdem à schismate revocaret, & ad Catholicæ, Romanæque Ecclesię unionem reduceret; qui egregiè navatâ operâ ob munus perfunctum, Legatos ad Pontificem pro hac unione impetranda ut mitterent, induxit, qui ad Florentinum Concilium convenerunt, & in Congregatione habita die 21. Augusti ejusdem anni, in qua interfuerunt Pontifex, ac Cardinales, aliique Magistri & Doctores, idem Abbas comparuit, & in Syriaco idiomate; quod etiam in Latinum translatum fuerat, sui adventûs causas, quarum præcipua erat præfata Unio Æthiopum Jacobitarum cum Ecclesia Romana, exposuit. Quare hujusmodi petitioni benignè assensit Eugenius Pontifex, ut in 2. sub n. 12. exprimitur in quo visitur Papa sedens, qui fidei formulam tradit eidem Abbati. Historiæ seriem invenies apud laudatum Raynaldum ad annum 1441. num. 1. & seqq. Ambas has Icones separatim in ampliori forma expressas invenies etiam apud dictum Lambecium loco citato post pag. 504.

Procedamus modò ad alterum Parallelogrammum, quod in tres dividimus sectiones: in prima enim sub num. 13. nî fallimur, designantur duo Legati missi ex parte duarum Nationum, nempè Chaldæorum, & Maronitarum, ad Pontificem Eugenium, qui Sanctissimus, & Beatissimus Pontifex, cùm de cunctarum animarum salute valde esset solicitus, jam ante in Cyprum Andream Archiepiscopũ Colocensem miserat, ut ad Orthodoxæ fidei puritatem illas Nationes reduceret; quare ii, qui Nestorii hæresi eousque imbuti fuerant, vel Macarii impietatem secuti, easdem hæreses, suadente ipso Andreâ Archiepiscopo, abjurare decreverunt. Quare Timotheum Chaldæorum Metropolitam, & Eliam Episcopum Maronitarum, ad profitendam omnium nomine, coram Romano Pontifice Catholicam Fidem, illique ritè ac demissè obedientiam præstandam, designârunt. Legationem suscepit Timotheus, Elias verò suo nomine Isaac delegavit: ambo ii in Romanam Urbem, ubi tunc Eugenius degebat, equitantes ingressi, desi-

deſignatur, ſub num. 1. In num. 15. iidem exprimuntur, qui ad pedes Romani Pontificis provoluti, in publica Seſſione, nempe 33. Laterani habitâ, omnibus honoribus, ac privilegiis. quibus alii Catholici fruuntur, affecti fuêre. Num. 14. eorundem ab Urbe diſceſſum denotare autumo. Hæc, quæ retulimus, narrat laudatus Raynaldus ad annum 1445. num. 20. & ſeqq.

16. In hoc quadrato Beati Petri Apoſtolorum Principis Crucifixio in Monte Janiculo demonſtratur. Viſitur enim in Throno ſedens impius Nero Imperator, Apoſtoli Crucifixioni aſtans, prout etiam innumera Populi multitudo. Cernitur etiam Tyberis fluvius, prope quem eſt Hadriana moles; & iuxta eam Pyramis, quæ nunc eſt demolita; in qua olim Scipionem Africanum ſepultum fuiſſe fama eſt; quam etiam in ampliori forma infra Cap. XIX. ubi *de Sepulchrorum formis* ſermo erit, in Tab. XL. Fig. 4. referemus. Procul ab Hadriana mole cernitur alia Pyramis, quæ pro illa, quæ eſt ad portam trigeminam expreſſa eſt: & non ſine conſilio ambæ hæ Pyramides fuerunt anaglyphicè exculptæ, ſed datâ operâ, ad denotandum ejuſdem Apoſtoli crucifixionem, quam inter duas metas, ſcilicet inter duas Pyramides, ſecutam fuiſſe narrat, antiquorum Scriptorum auctoritate, Torrigius in ſuis Cryptis Vaticanis pag. 194. Non ignoro D. Petri martyrium Romæ paſſi ab aliquibus Heterodoxis in dubium revocari; ſed vide quæ eruditè, & copiosè ſcripſit Franciſcus Maria Florentinus in ſuo Martyrologio Lucenſi ad diem 29. Junii.

17. In hoc itidem Quadrato exprimitur S. Pauli ad Aquas Salvias decollatio, præſidente eodem Imperatore.

## CAPUT VI.

### *De antiquis Valvis æneis Primatialis Eccleſiæ Piſarum.*

PISARVM Urbem inter Italiæ nobiliſſimas jure connumerari, nemo eſt qui ambigat. Nam ſi vetuſtatem ejus inſpiciam, Romanorum colonia fuit; ſi belli decora, ſæculis anteactis adeò floruit, ut tercentum triremium Claſſem inſtituerit. Nec inſpiritualibus minori honore refulget, cùm Corſicæ Metropolis, Sardiniæque Primas; ac mirandis quibuſdam tam ſacris, quàm profanis ædificiis, eorumque ornamentis, conſpicua adhuc ſit. Ex iis autem illas maximas ex ære Valvas, propriæ Metropolitanæ Eccleſiæ, huic operi noſtro tribuit, quarum exemplar nobilis Vir Abbas Gaſpar del Torto, digniſſimus ejus Urbis Patritius, officiosè nobis exhibuit, qui eas tum propter cælaturam, ſeu potiùs anaglyphicum opus, tum etiam ob varias Figuras ſacram hiſtoriam repræſentantes, inter vetera ſacra monimenta adſcribendas eſſe cenſuimus. Verùm antequam ad illarum deſcriptionem deveniamus, quo tempore conflatæ fuerint demonſtrare, operæ pretium eſſet; ſed cùm id penitus ignoretur, ſilere cogimur. Scimus tamen non in eadem Urbe conſtructas, ſed aliunde adductas fuiſſe; at ex Hieroſolymis ne, vel potiùs ex Inſulis Balearibus, à Piſanis ſub ſæculo XII. ſubactis, incertum eſt: Attamen

Y

X

V

T

S

R

Q

P

O

N

M

L

K

H

G

F

E

D

C

B

A

AA

Z

TAB XX
SSSDSDSABA OG
PLENISVCELECRA
GLORIA
DESPOLA
TIOINFEP
R
CRIADOPCDU

men hanc opinionem, ultra perantiquam in eadem Urbe traditionem, confirmat recens Annalium Piſanorum Scriptor Paulus Tronci pag. 56. ubi eam victoriam relatam enarrat anno 1117. ac inter alia opima ſpolia, manubiaſque à victis hoſtibus reportatas, duas fuiſſe columnas porphyreticas, & quaſdam valvas æneas aſſerit, quas Metropolitanæ Eccleſiæ Piſarum dono ſacrârunt. Has autem, quarum exemplar ob oculos ponitur, eas eſſe ambigendum non eſt, tum ſi cælaturæ genus inſpicias, tum etiam ſi barbaras voces in eiſdem inſculptas legas, ut infra clariùs apparebit.

Hîc verò Lectorem monitum cupio, quòd æris inciſor in incidendo, exemplaris perturbavit ordinem, ea enim quæ ſunt ad dexteram, poſuit ad ſiniſtram, & è contra. Ego igitur genuinum ſacræ Hiſtoriæ ordinem ſequens, initium ſumam ab infima areola dextri lateris, literâ A. deſignatâ, in qua exprimitur Annunciatio B. Mariæ Virginis, ut Figuræ, & ipſa Epigraphe AVE MARIA GRATIA PLENA, ſatis oſtendunt.

B. Clarum æquè, ac ſuperius eſt hoc Myſterium, quo Viſitatio Beatæ Mariæ, & occurſus Eliſabeth, atque adeò utriuſque ſalutatio exhibetur. Inſcriptio tamen barbara, & obſcura eſt, nempè SLA LISABE, quæ vox SLA. *Salutatio*, vel *Sancta* exponi debet

C. In tertia hac area ſignata lit. C. Nativitas Chriſti Domini exprimitur. Viſitur Mons, ac ſuper eum oues, atque Paſtores, nec non duo Angeli, Domini Nativitatem Paſtoribus annunciantes: ſubtus verò Maria Virgo, veluti in antro, per quod Præſepe repræſentatur. In eo etiam nonnullæ Figuræ ſunt, quæ niſi ſuperioribus, atque ipſo Tabulæ hujuſce titulo doceremur, quid indicarent, arguere nullo unquam pacto poſſemus.

D. Vides in hoc quarto loculamento tres Magos, qui magná hominum, ſervorum ſcilicet multitudine, ſarcinis onuſtâ, comitante, ad Jeſum Puerum adorandum accedunt. Quod fusè narrat Matthæus cap. 2. 2. & ſeqq.

E. Habes in hac area Chriſti Pueri præſentationem in Templo, quam S. Lucas cap. 2. 27. ſic tradit: *Et cùm inducerent Puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, &c.*

F. Epigraphe eſt: FVGA IN EGIPTVP. quum ſcilicet Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph, & dixit ei: *Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum*: teſte Matth. cap. 2. 13.

G. Paucis hiſce Figuris immaniſſima puerorum ſtrages exhibetur, quam habes apud Matthæum c. 2. 16. ſub hæc verba: *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu, & infra, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis. &c.*

H. In hac Tabula Chriſti Jeſu Baptiſmus in Jordane, Joanne Miniſtro, & duobus Angelis in obſequium, famulatumque aſtantibus, perſpicuus eſt. Inſcriptio: BAPTIZAT.

I. Magna hîc premerer obſcuritate, niſi ipſa Inſcriptio TEMPTAT-

ADA-

ADABOLO, hoc mihi Hieroglyphicum explicaret. Sedet hic ſupra rupem Chriſtus, in alia verò, ſed humiliori, ſtat Diabolus, alas uti Angelus gerens. Penè hunc duæ columnæ conſurgunt, quas ferrum, ſive quid aliud connectit, atque inde è medio lampas pendet. Columnis imminet arcus, eique conſtructio quædam incumbit, qua fortè Templum ſignificatur, ut habemus apud Matthæum cap. 4. 5. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi.*

K. In hoc decimo loculamento lit. K. ſignato, Transfiguratio Domini repræſentatur, ut ipſa, licèt rudis inſcriptio, ſat indicat. Myſterium hoc Euangeliſta Matthæus cap. 17. 1. & ſeqq. ſic proſequitur: *Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.*

L. Lazarum à Chriſto reſuſcitatum hic habes, quod quidem ex Figurarum obſcuritate, niſi ipſa epigraphe docuiſſet, ignoraremus. Bis ibi Lazarus repræſentatur: Primò quum in ſepulchro jacebat, quod inter duas columnas ſitum eſt; lapide, qui os ſepulchri occludebat, aliquantulum ab eodem amoto. Secundò: tumulo egreſſus, ad pedes Domini eum vocantis accurrit: ſupra columnas quid, veluti moenianum attollitur, unde tres viri miraculum admirantur. Inſcriptio autem eſt: DE LAZAR. ideſt: Miraculum de Lazaro reſuſcitato.

M. Palmarum feſtivitas hîc deſignatur, quam facer Euangeliſta Matth. cap. 21. ſic tradit: *Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus, & adduxerunt aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua: & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem Turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, &c.*

N. In decimatertia areola lit. N. ſignata, ut ex literis LAVATIO PEDV. (quarum poſtrema aliam, videlicet M. addas, neceſſe eſt, ut *pedum* ſonet) Chriſtus pedes Apoſtolorum lavat: ſtat enim tanquam altercans, ante Petrum ſedentem, cui proxima eſt pelvis; & à tergo ſunt alii Apoſtoli: ſupra Chriſtum quiddam, veluti Luna dimidiata, dependet, quo nihil aliud, niſi duas lucernas denotari pro certo habeo.

O. Niſi ex inſcriptione, quid unquam indicent Figurę in hac areola contentæ edocerer, divinari certè non poſſem: Inſcriptio autem eſt: CENA DOMINI.

P. Infandum in hoc loculamento Judæ proditoris crimen exprimitur, qui ut ait Joannes cap. 18. 3, & 12. cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus, & Phariſeis Miniſtros, ivit ad Jeſum cum lanternis, & facibus, & armis. Cohors autem & Tribunus, & Miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam.

Q. Quadratum hoc nullâ omnino eget explicatione. Viſitur enim ibi Chriſtus Cruci affixus, prope Crucem

à ſiniſtris Beatiſſima VIRGO in lachrymas gemituſque ſoluta: duæ aliæ Figuræ à dextris, totidemque in aëre Angeli, qui omnes tum Magiſtri, tum Creatoris ſui acerbiſſimum funus commiſerantur.

R. In decimo ſeptimo ac lit. R. legitur DESPOLIATIO INFER. ſcilicet *inferorum*. Exprimiturque ſat luculenter articulus Symboli Apoſtolici, *Deſcendit ad inferos*. Quem B. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus ſic exponit. *Deſcendit ad inferna, tertiâ die reſurrexit à mortuis: & manente corpore in ſepulchro anima ejus ad inferna deſcendit: de quo inferno SS. Patriarchas, ſcilicet, Abraam, Iſaac, & Jacob, & SS. Prophetas Eſaïam, Jeremiam, & reliquos & cæteros omnes, quos elegit, miſericorditer liberavit, & tertiâ die victor reſurrexit.* Viſitur enim in medio Chriſtus ſiniſtrâ manu Crucem, quaſi victoriæ trophęum ferens: dexteram verò quibuſdam porrigens, quos ex antro ſive ſpelunca deducit. Ad ejus pedes quidam proſtratus jacet, quo fortaſſe artifex animas antiquorum Patrum in inferis quieſcentes ſignificavit. A tergo Chriſti Domini ſtant aliæ animæ jam eductæ, atque è feralibus mortis clauſtris liberatæ, prout indicat arbor Palmæ, quæ Victoriæ ſymbolum eſt.

S. In Decimo octavo quadrato & lit. S. Chriſti ſepulchrum eſt, ut ex inſcriptione: quo in ſepulchro Angelus ſedet, & MARIÆ ad illud accedunt, ut narrat Euangeliſta Matthæus cap. 28. duas tantùm nominans; ſcilicet Mariam Magdalenam, & alteram Mariam. Hic tamen artifex in Sacra Scriptura parùm verſatus, tertiam addidit, & ad baſim ſepulchri milites dormientes expreſſit.

T. Habes in hac area Chriſti Domini Aſcenſionem, tum ex literis AS. quę legi debent *Aſcenſio*; cùm ex Figuris, quarum quidem ſex â dextris ſunt, quinque à ſiniſtris, & una in medio; denotantque undecim Apoſtolos cum MARIA Matre JESU; ubi notandum duodecimum Apoſtolum conſultò omiſſum, cùm Judas mortuus eſſet, Matthias verò nondum electus: ſuper MARIAM Virginem Chriſtus attollitur, & in cælum aſcendit nube quadam elypſis, ideſt ovalis formæ, obvolutus, brachiis pectori admotis, & hinc inde duobus Angelis famulantibus, ac veluti nubem ferentibus. Quæ quidem omnia deſumpta ſunt ex cap. 1. 9. Actuum Apoſtolorum, ubi ſic: *Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis levatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Verùm alia quædam quæ in eodem cap. non habentur, ſolertia pictoris expreſſit. Quare ne alicui dubium pariant, ad trutinam revocanda ſunt.

Primum eſt in medio Apoſtolorum Virginem à pictore poſitam eſſe; attamen illi favere dices Lorinum, qui in notis ad dictum cap. & verſiculum, præter Apoſtolos, glorioſiſſimam Matrem Domini, & alios Diſcipulos interfuiſſe teſtatur, idque nonnullis Patrum ſententiis comprobat. Præter à Lorino allatos, huic ſententiæ favent Gaſpar Sanctius, & Ludovicus de Ponte in meditat. *de Aſcenſione*.

Objici enim poteſt, JESUM non raptum, non tranſlatum, non Angeli adminiculo, ſed propriâ virtute ſubnixum, non gradientem, ſed ſimul totum elevatum, in cælos ſuper nubem

aſcendiſſe. Qua de re malè in hac noſtra Figura duo Angeli, qui nubem elevant, adjecti ſunt. Hoc tamen Sacræ Scripturæ, ac Patrum ſententiis non repugnat, ſi D. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris judicium expendamus. Ipſe enim Serm. 176. *Super excelſa ergo Cæli* (inquit) *terrenum corpus imponitur, oſſa intra ſepulchri anguſtias paullò ante concluſa, Angelorum cœtibus inferuntur: in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur.* Et inde: *Dum audis elevatum, agnoſce militiæ cæleſtis obſequium.* Et equidem S. Scripturæ, & Patrum ſenſibus Angeli appoſiti non repugnant, quos cum eodem S. Auguſtino in obſequium Chriſti Domini affuiſſe credendum eſt. Quòd autem nubem attollere, & elevare videntur, id Pictoris inſcitiæ tribuendum.

V. Multa verò de ſacro hoc Myſterio dicenda eſſent, niſi me ab initio propoſita compendioſa narratio, atque ipſius materiæ gravitas ab hoc revocarent. Aliqua tamen cogimur prolixiori calamo proſequi; nam hac de re non una eademque antiquorum Patrum opinio eſt: ſed an Beatiſſima Virgo unà cum corpore aſſumpta fuerit, nec ne, ſecum diſſentiunt.

Eruditiſſimus, imò Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & eruditionis parens Baronius, in notis Martirologii, ad diem 15. Auguſti, plures tam Græcos, quàm Latinos Patres adducit, qui de hac Aſſumptione B. Dei Genitricis Mariæ tractârunt: concludit demùm, Dei Eccleſiam in eam partem propenſiorem videri, ut unà cum carne in cælum aſſumpta fuerit; nam in hujus diei celebritate illas SS. Patrum Homilias legendas propoſuit, quibus eadem de ejus Aſſumptione firmantur. Quæ quidem ſententia cùm plurimorum Theologorum auctoritate, tum etiam cõmuni Fidelium conſenſu probata, ac recepta jam eſt. Baronium ſequitur Raynaudus in ſua *Diptycha Mariana* punctò 10. ubi fuſiùs quæſtionem tractat. Hanc Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionem nonnulli *Tranſitum*, ſeu *Dormitionem*, alii aliis vocibus, appellârunt, ut videre eſt apud nuperum Scriptorem Petrum Lambecium in Sua Bibliotheca Cæſarea tom. VIII. pag. 129. quæ omnia eruditè collegit R. D. Claudius Joly Canonicus inclytæ Metropolitanæ Eccleſiæ Pariſienſis. Hæc autem ideò præmittenda eſſe putavi, ut ea quæ infra referam clariùs innoteſcant.

Petrus de Natalibus in ſuo Catalogo Sanctorum lib. 7. cap. 65. de Sanctis in Menſe Auguſti occurrentibus, celebrem hanc feſtivitatem facundè proſequitur, cujus narrationis particulam, quæ Figuras noſtras potiſſimùm reſpicit, ad earundem explanationem adjiciam, cùm reliqua apud præcitatos Auctores videri poſſint. *Cùm igitur* (inquit Petrus) *die quadam cor Virginis in filii deſiderium vehementer eſſet accenſum, ita ut in lachrymas prorumperet abundanter, Gabriel Angelus eidem cum lumine aſtitit, eamque reverenter ſalutavit, ac eidem ex parte ejus filii dixit, quòd poſt triduum eſſet à carne migratura, & cum Criſto perpetuò regnatura. Ramum quoque palmæ eidem de Paradiſo allatum præſentavit, quem ante ejus feretrum portari mandavit. Virgo autem de Nuncio læta, Deo gratias egit, & duas petitiones ab Angelo poſtulavit. Primò, ut filii ejus fratres omnes*

Apo-

TAB. XVIII

*Apo-*

*Apoſtoli ad ipſam pariter congregarentur ; quibus præſentibus ſpiritum Deo redderet , & omnes ſibi ſepulturæ officium exhiberent : ſecundò , ut cùm Spiritum emitteret , malignum Sathanam non videret .* Porrò hæc quæ in Petro legis , vides in noſtro Iconiſmo , ubi Gabriel Angelus è cælo deſcendit , manu aliquid ferens , quod fortè palma eſt . Colloqui etiam cum proxima Figura videtur , quæ brachia protendit , ac procul dubio Beatiſſimam Virginem aliqua ab Angelo poſtulantem ſignificat . Inferiùs feretrum eſt , quod nonnulli circunſtant , denotatque ipſius Virginis Dormitionem , & Apoſtolos circumſtantes , ac laudes Mariæ canentes . Literæ verò M. G . S. M. ſi divinari fas eſt , ſic leguntur : *Mariæ Gabriel ſignificat Mortem* . Ideſt tranſitum ex hoc mundo ; verùm in hac narratione certi aliquid affirmare non audeo , Figuras tantummodò explicâſſe contentus .

X. His explicatis , remanent quatuor anguli , in quorum primo ad dexteram inſpicientium ſuperioris partis , ſignato lit. X. viſitur Chriſtus in Throno ſedens , ac benedictionẽ impartiens cum tribus Angelis ad dexteram , totidemque ad ſiniſtram , ipſum venerantibus . Legitur ex utraque parte hymnus Angelicus , qui & *Triſagios* appellatur , ab Apoſtolis inſtitutus , & à B. Pontifice Sixto I. ſtabilitus , videlicet : *Sanctus , Sanctus , Sanctus , Dominus Deus Sabaoth ; pleni ſunt Cæli & Terra gloriâ tuâ , Oſanna , benedictus qui venit* . Quæ ultima verba Angelorum alis obducta ſunt . Et ad Chriſti capitis latera : *Ego lux Mundi* , legitur .

Y. In angulo ad ſiniſtram lit. Y. ſignato Aſſumptio B. Mariæ Virginis exhibetur ; quod quidem Myſterium me , niſi ipſæ literæ indicarent , lateret omnino . In medio hujus loculamenti conſpicua eſt Beatiſſima Virgo , veluti in quodam Throno ſedens . Ad dexteram duo Angeli cum duabus arboribus , totidemque ad ſiniſtram , ac deſuper Titulus : ASVNTA EST IN CELV. IN CELVM .

Z. In angulo dextero inferiori lit. Z. ſignato , ſex veteris legis Prophetæ repræſentantur , ut ex nominibus ſupra poſitis . Media etiam inter unum & alterum Palmæ arbor aſſurgit , quam ſemper in picturis apponere Chriſti Fideles conſuevere ; nam penes ipſos pro hieroglyphico , ut alibi jam dictum eſt ; habebatur . Qua ex animadverſione colligimus , has valvas longè ante milleſimum conflatas fuiſſe . Et licèt in exemplari nomina ſint expreſſa , nihilominus cùm lectu perdificilia , nonnullaque compendiosè inciſa ſint , hîc ea repetere non incongruum exiſtimo . Hæc igitur ſunt : AMOS PROPHETA , SOPHONIAS PROPHETA , ZACARIAS PROPHETA , JOHEL PROPHETA , MICHEAS PROPHETA . Sexti verò nomen deeſt .

A A. In ſiniſtro inferiori angulo lit. A A. ſignato prout in oppoſita parte , ſunt ſex Figuræ cum totidem arboribus , quæ Figuræ antiquos Prophetas referunt , ut ex nominibus ſuprapoſitis , ſcilicet : ABACHVC , JONAS , DANIEL . reliquorum trium deſiderantur .

## CAPUT VII.

*De nonnullis ornamentis, quæ erant in Basilica Siciniana, postea S. Andreæ in Barbara appellatâ.*

OMNIBVS in architectura vel leviter versatis notum est, Architectos consuevisse publica ædificia devictorum hostium Figuris ornare. Docet hoc ipse Vitruvius, artis illius princeps lib. 1. cap. 1. ubi pro columnis erecta fuisse, ait, marmorea simulacra, quæ Matronas Caryathides in servitutem redactas repræsentarent: similiterque debellatorum Persarum statuis à Lacedæmoniis victoribus porticus exornatas. Qui mos inde ad Romanos transiit, itaut Arcus Triumphales Figuris hostium subactorum, ac spoliis insignirentur, ut eorum nonnulli Romæ adhuc stantes fidem faciunt. Imò prædictus mos adeò invaluit, ut non in Arcubus modò, sed etiam in Basilicis ad parietum ornatum ac decus, cùm penè omni triumphi pompâ triumphantium victorum imagines ponerentur.

Hæc omnia evidentissimè colliges è sequentibus Tabulis, extantibus olim in Basilicæ Sicinianæ parietibus, sive in Ecclesia S. Andreæ *in Barbara*, de qua infra cap. XXVII. fusiùs dicemus.

Libet igitur hìc eas Tabulas plurimâ eruditione refertas, operosiùs contemplari, & historias, quæ in illis cælatæ sunt, exponere.

Prima Tabula, quæ est in ordine XXI. adeò ornata est, ut in ea desiderari nihil possit, cùm nonnullæ in ea contentæ areolæ historiis insignitæ sint; licèt aliæ areolæ historiis careant, quas temporum ingluvies partim devoravit; partim verò lapsas in alium usum convertit, ut infra demonstrabimus.

Harum autem trium prima, qua Figurâ 1. repræsentatur, triumphalem currum exhibet, quem bini Leones trahunt: sedet super hoc vir dexterâ Imperii sceptro, more triumphantium, innixus. Currum præcedit eques, ipsique pedes quidam præit, ut vides. Diù hæsitanti mihi in hujusmodi Historiæ enodatione, succurrit Plinii senioris locus lib. 8. cap. 16. ubi narrat M. Antonium Triumvirum primum Romæ fuisse, qui Leones sub juga conjunxerit, & currus trahere coëgerit. Et quidem ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio compulsos significante: nam quòd ita vectus est cum Mima Cytheride, supra monstra illarum calamitatum fuit. Quæ mea conjectura si admittatur, dubia quædam insurgunt, quibus solutis, historiæ non parva lux afferetur. Primùm igitur facit Ciceronis locus in Philippica 2. contra M. Antonium, ubi ait: *Etenim quod unquam in terris tantùm flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in Essedo Tribunus Plebis: Lictores laureati antecedebant. Inter quos apertâ tectâ Mima* (ideſt Cytheris) *portabatur; quam ex Oppidis municipales homines honesti obviam necessariò prodeuntes, non noto illo, & Mimico nomine, sed Volumniam consalutabant: sequebatur Rheda cum Lenonibus, comites nequissimi.*

Hunc Ciceronis locum accuratissimus

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

mus Victorius in ſuis variis lectionibus lib. 16. cap. 3. ſic corrigendum putat : *Sequebatur Rheda cum Leonibus*. Contra opinionem Hieronymi Ferrarii, qui maximam ſedulitatem in Ciceronis orationibus emendandis adhibuit, ut ipſemet Victorius fatetur, ejuſdem Hieronymi orationes adducens.

Secundum dubium eſt, quòd locus Plinii Tulliano non concinit. Nam Plinius narrat Mimam Cytheridem in curru cum Marco Antonio Romæ vectam fuiſſe: Cicero verò non Romæ, ſed per Italiam, non curru, ſed lecticâ. Hanc Auctorum diſcrepantiam benè animadvertit prælaudatus Victorius, additque : *Quod enim Plinius hoc factum narrat ab Antonio, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, quod diſcrepat ab eo, quod hîc à Cicerone, & in Epiſtola ad Atticum traditur, negligentiæ illius Scriptoris aſſignandum puto, qui in temporibus lapſus ſit, ut in multis aliis rebus ſæpè peccat ; & certè major fides Ciceroni habenda eſt rerum, quæ ipſius ætate factæ ſunt, quàm Plinio, qui multis poſtea ſeculis vixit*. Pro quo notandum hîc obiter, inter Ciceronis, & Plinii obitum centum novendecim annos circiter interceſſiſſe. Nam Cicero occiſus fuit ann. 40. ante Chriſti Nativitatem, Plinius verò in Veſuvii conflagratione deceſſit anno poſt Chriſtum natum 79. Verùm vnde digreſſa eſt, eò revertatur oratio, paulliſper tamen ſuſpensâ meorum dubiorum ſolutione, quæ ex infradicendis apparebit.

Præcitata Figura demonſtrat, ut diximus, M. Antonium curru triumphali vectum, cui eques præcedit, quem Anaxenorem Citharœdum à Plutarcho in ejuſdem M. Antonii vita deſcriptum, arbitror : conſueverat enim illum ſecum ducere ; ſic Plutarchus : *Ocioſus ipſe, & in pace agens, ad priſtinam luxuriam revolutus eſt, & jam circa eum Anaxenor Citharœdus, Xuthus Tibicen, Metrodorus Hiſtrio, choruſque totius Aſianæ Muſices confluebant &c.* Item Strabo lib. 14. *Porrò* (inquit) *Anaxenorem Citharœdum extulerunt quidem theatra : ſed multò magis Antonius, qui eum tributi exactorem è quatuor Urbibus fecit, ac milites ſtipatores conceſſit*. Et cùm Plinius fortaſſe ex traditione accepiſſet, M. Antonium Mimum Citharœdum in triumphum duxiſſe, putavit illum ex nominis affinitate fuiſſe Mimam Cytheridem, quod remotiſſimum à veritate videtur. Duxit enim in triumphum, non Mimam Cytheridem, ſed Mimum Citharœdum, non curru vectum, ſed equo ante currum, ut noſtra Figura exprimit. Porrò Mimam Cytheridem, præter Plinium, inveni neminem, qui curru vectam fuiſſe aſſerat, ſed lecticâ ; quod pluribus M. Tullius proſequitur, Antonium objurgans, cujus locus non videtur emendandus, *cum leonibus*, ut vult Victorius ; ſed in ſua puritate relinquendus *cum lenonibus comites, nequiſſimi*. Quod legitimus ſenſus ſuadet ; nam cujus rei gratiâ epitheton *nequiſſimi* ? certè leonibus applicari nequit, cùm idem denotet, ac *improbi, perfidi, ſceleſti*, quæ quidem voces ad mores, ac animi pravitatem referuntur : leonibus igitur neutiquam competent, utpotè irrationalibus, utpote brutis. Vlterius vox *nequiſſimus* nulli alio præter homini aptatum invenio, imo nec alii aptari poſſe

poſſe autumo ; & quo pacto leones Antonii *comites* dici unquam poterunt ? Siquidem comites illi propriè dicuntur, qui aliquem tamquam ducem ſequuntur, non verò qui præcedunt, ut leones. Id variis Auctorum teſtimoniis patet. Valla: *Eſt* (inquit) *Comes qui ſequitur, & ducem habet.* I. Item apud Labeonem §. *Si quis Virginis* ff. De injuriis, & famoſis libellis: *Comitem accipere debemus eum, qui comitetur eam & ſequatur.* Plaut. Merc. 7. 63. *Neque matrem illa ſatis honeſtè tuam ſequi poterit comes.* Terent. Eunuch. 2. 3. 54. *Comites ſequuti ſcilicet ſunt virginem* Ovid. 8. Metam. 5. *Terga ſequentes comites.* Vnde ita comitem Labeo definit: *Qui frequentandi cujuſque causâ, ut ſequeretur deſtinatus, in publico privatoque abductus fuerit.*

Deinde ex orationis contextu id apertè liquet: nam *Lenones* meritò Cicero nominat eos, qui M. Antonium à regia virtutis via avertebant. Sed quinam iſti ? *Anaxenor Citharœdus, Xuthus Tibicen, Metrodorus Hiſtrio, Choruſque totius Aſianæ Muſices; Sergius Mimus, Cytharis quidam ex eadem Palæſtra mulierculam amans, ac denique Scorti, & Mimi, quibus undequaque ſtipantibus, circumvallatus ubique progrediebatur.*

Mea hæc conjectura duabus aliis fulcitur. Vna eſt, quòd ſi ſecum M. Antonius duxiſſet in triumphali curru Mimam Cytheridem, procul dubio duxiſſet etiam Cleopatram Reginam, quam perditè adamabat, quum triumphum Alexandriæ de Rege Armeniæ celebravit; idque minori famæ diſpendio egiſſet. Altera, quòd Cicero, M. Antonio infenſiſſimus, orationem ſuam ampliâſſet, ac infandum dixiſſet, quòd cùm triumpharet, ſeverioris, militatiſque virtutis oblitus, ac mulieroſus, meretriculã ſibi triumphi ſociam adſciſceret: nec Ciceronem ignarum dicas, cùm id populo inſpectante actum fuerit: unde ſi ea tam graviter amplificavit, quæ per Italiam Antonius geſſit, quidnam de geſtis ab eodem in Urbe feciſſet? Notandum eſt etiam, equitantis præcitatam Figuram, ſtapedes non habere; quibus antiqui carebant.

Secunda Figura ſatis clara eſt, cùm duplicis rotæ vehiculum à geminis mulabus tractum oſtendat. Quale autem huic vehiculo nomen tribuendum ſit, hæreo, cùm Scriptores varia curribus indiderint, ſive à forma, ſive etiam retento ipſo nomine ab inventoribus indito. De Vehiculis copioſè ſcripſit Joannes Laurentius, ac poſtremò Joannes Schefferus.

Seriò tamen opinionibus meis inhærendo, videlicet, quôd Figuræ in hac Tabula expreſſæ M. Antonii Hiſtoriam denotent, addo, vehiculum ſupradictum, Eſſedum denominandum, de quo Cicero in eodem loco Philippicæ ſecundæ redarguit M. Antonium verbis ſupra relatis. Ponderat hunc locum laudatus Schefferus lib. 2. c. 5. atque neſcire ſe ait, cur iſtiuſmodi currus uſum Cicero objiciat Antonio. *Num quòd eſſet peregrinum vehiculum, neque Magiſtratum publicum deceret ? An quod vilius haberetur ?* Ex quibus ego paucis ſatisfacio.

Eſſedum vehiculi genus erat tam apud Britannos, quàm apud Gallos uſitatiſſimum, duarumque ſpecierum, unius ad bellum, alterius ad iter habendum: utrumque verò tam campeſtre,

ſtre, quàm urbanum à Romanis etiam uſurpatum. Porrò urbana Eſſeda culta fuiſſe atque ornata, docet probatque idem Schefferus loco citato; ac propterea de nimio fortaſſe hujus ornatu ac luxu Cicero M. Antonium redarguit, vel quia tam celebri pompâ Mimã Cytheridem ſecum ducebat.

Vlteriùs Eſſedum eſſe conjicio, ex ex eo quod M. Antonius tam in Galliis, quàm in Oriente verſatus, ab iiſdem Nationibus quandam vivendi normam, & genium hauſerit. Nam à Gallis Eſſedum, ab Orientalibus fortè Mulas deſumpſit, quæ apud eoſdem in pretio habebantur, ut ſcribit Spanhemius in ſua diſſert. 7. *De uſu, & præſtantia Numiſmatum*, occaſione Nummi Agrippinæ, in quo ex una facie Agrippinæ caput conſpicitur, ex altera Carpentum, ut expono in eadem Tabula Fig. 8. Illud autem idem eſt cum noſtro in 2. Figura expreſſo, licèt unicè differat in ornatu, cùm ſimpliciſſimum illud ſit, noſtrum cultiſſimum, quod ut jam diximus, Tullius Antonio objicebat. Aſt Nummus iſte, quem refert Spanhemius detritus eſt, & corroſus, cùm Figurarum tantùm delineationes appareant. Id probatur etiam ex collatione aliorum duorum Numiſmatũ ejuſdem Agrippinæ apud Oiſelium. quæ hîc habes Fig. 6. & 7. cum alio ſimili Nummo Domitillæ ab eodem Oiſelio Tab. 98. ubi duo ſuperiora Agrippinæ Numiſmata reperies: in omnibus his viſuntur Carpenta cum ornamentis, diverſis tamen è noſtro, quæ differentia nominis diverſitatem efficere potuit: eamque inter Carpentum, & Eſſedum nullam, aut ſaltem minimam fuiſſe duco, cùm ambo duabus rotis conſtarent, & illorum deſcriptiones ab Auctoribrs allatæ utrique conveniant. Ulteriùs addo Carpenti nomen non ipſum vehiculum, ſed vehiculi partem eſſe; idque deduco ex leg. 30. *de curſu pub.* in Cod. Theodoſ. ubi ſancitur, nemini licere in Carpentis Rhedarum menſuram excedere mille pondo: quare Carpentum arbitror currum, cui ſuperimpoſita erat ſedes, ſive Rheda ubi hodie conſpicimus currus noſtrarum Rhedarum, quæ uaria nomina ſortitæ ſunt, vel à magnitudine, vel à forma, cum Italico idiomate: *Cocchio, Carrozza ſu le cingie, Carrozza ſopra i ferri, Carrozzino, Poltrona, Poltroncina, Stufiglia, Manza*, aliiſque id genus vocibus indigitentur, ullo ſine reſpectu, ab equis ne, an à mulabus trahantur. Idem puto de Eſſedis, Carpentis, reliquiſque iſtiuſmodi, quæ cæteroqui ſimilia, ornatu dumtaxat, vel perexiguâ ſui parte differebant.

Tertia Figura ejuſdem Tabulæ Conſulem habet, milites alloquentem, quorum unus eidem humanum caput haſtili ſummo infixum, exhibet. Unde non fallar judicio meo, ſi Conſulem illum, Antonium eſſe aſſeverem, caput verò ſuper haſtam, Ciceronis eſſe. Nam in Comitiis M. Antonio concionem contra Tullium habente, allatum fuit à ſatellitibus ipſius caput, quod amputandum mandaverat, ut in Ciceronis ejuſdem vita Plutarchus innuit his verbis: *Jugulatus eſt autem, collum ex lectica protendens, annum ætatis agens ſexageſimum & quartum. Caput ejus, & manus, quibus Orationes in Antonium, Philippicas ſcripſerat, juſſu hujus amputavit Herennius; quæ cùm eſſent Romam allata, Antonius*

*nius, qui tum fortè Comitia habebat, auditâ re, & vifis membris, exclamavit, finitas jam esse proscriptiones; ac pro rostris poni manus, caputque Ciceronis jussit, horrendum Romanis spectaculum.* Plura numiſmata cum ſimilibus allocutionibus ad milites affert Oiſelius in Tab. LXXXIX. Paritèr Sebaſtianus Erizzius in ſua quarta editione, in M. Antonio, in Severo, in Antonino Caracalla, ac in Probo.

Tabula XXII. tria continet emblemata, in quorum primo viſitur Hippocentaurus clavam ſiniſtrâ tenens, & alas in humeris habens. Quid verò Monſtrum hoc denotare poſſit, ignoro, quanquàm in parietibus præfatæ Baſilicæ extitiſſe certum eſt. Hujus emblematis exemplar deſumpſi ex Codice Vaticanæ Bibliothecæ ſub nu. 5407. pag. 100. Quòd ſimilia monſtra extiterint inter Scriptores diſceptatur. Neutram igitur iſtarum opinionum tueri volo, licèt affirmativam defendere poſſem contra malè philoſophantem Lucretium, & ejus aſſeclas: ſolùm hìc indicâſſe lectori ſufficiat Balthaſarem Bonifacium Rhodiginum in ſua Hiſt. ludicra lib. 7. cap. 16. 10. Hieronymum Magium lib. 1. miſcell. cap. 10. Natalem Comitem lib. 7. cap. 4. qui hujuſmodi monſtra dari poſſe arbitrantur.

Secundum emblema, ſive Figura, continet Leopardum, qui Cervum devorat, ſed ut in pictura videre eſt, non modicam illius partem tempus abſumpſit.

Tertium continet Leonem, qui Taurum dilacerat; omnia autem ex opere ſectili conſtructa ſunt. Campus, qui aream repræſentat, ex Ophite eſt, ſicut etiam delineationes, tractuſque nigri coloris, quibus hujuſmodi belluarum icones, non ſine quodam decore, ac venuſtate variegantur. Quod terram refert, eſt ex Alabaſtrite Ægyptio: Taurus verò, & reliquæ Leonis partes, è Pario marmore. Duo hæc emblemata poſteriora, pluribus ab hinc annis ipſe ſuis locis affixa vidi, nempe in A. & B. ut in Tab. præcedenti XXI. indicatur; modò autem in duas menſas converſa apud Patres S. Antonii ſervantur. Hæc tria emblemata etiam ad M. Antonii hiſtoriam ſpectare autumo, cùm Fig. 1. Hippocentaurum exprimens, fortè adhuc M. Antonii ab Hercule proſapiam alludere videatur, qui excidium de Centauris ſumpſit, quorum in ſuo Hercule inſano ſic meminit Euripides V. 1272.

Τυφῶνας ἢ γίγαντας, ἢ τετρασκελεῖς
Κενταύρους πλήθει πόλεμον ἂν ἔκτανα;
*Typhonas, aut Gigantes, aut Quadrupedes*
*Prælio Centauris referto non confeci?*

Ad ferarum ſpectacula, ludoſque in Theatro, occaſione triumphi M. Antonii celebratos, revocari poſſunt.

Diximus in præcedentis Tabulæ explicatione, Figuras areis quadratis ſub nu. 1. 2. 3. expreſſas M. Antonii geſta præferre, idque apertiſſimè conjectationibus firmare conati ſumus. Ejuſdem modò Triumviri Hiſtoriam in præſenti etiam Tab. XXIII. continuari non levibus argumentis, indiciiſque probabimus: utinam tamen Oedipus ſim, & à plurimis ambiguitatibus me expediam. Primò itaque Triumphmu hìc deſignari Romani Ducis, in facie currûs captivi, expreſſi demonſtrant, qui manus ante pectus revinctas demittunt; docetq; tum habitus triumphantis, qui ſago ſeu chlamyde,

vel

TAB. XXII.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

TAB XXIII

paludamento Romano more ſuperinduitur ; è cujus humero ſiniſtro ſubnectitur lateri dextero latus clavus, qui Senatorum inſigne erat, tum etiam biga ipſa quâ vehitur : unde illo neminem procul dubio melius repræſentari putaverim, quàm M. Antonium, qui (ut inquit Plutarchus) animi ſui impos, & veneficiis quibuſdam, ſeu præſtigiis Cleopatræ captus, omnia pertubatè gerens, in amaſiæ oblectamentum, devictis Parthico bello hoſtibus, Artabazum multis conditionibus, atque promiſſis ad ſe pertractum, veluti captivum, Alexandriam in triumphum duxit : de quo triumpho pluribus agens idem Plutarchus, non modicam Romanis offenſam M. Antonium irrogáſſe, ait, utpotè qui ornamentum, majeſtatemque Patriæ Ægyptiis propter Cleopatram communicaverat. Ad noſtram hanc opinionem confirmandam, addamus, ſi lubet, ejuſdem Auctoris verba, quibus M. Antonium adamuſſim deſcribit : *Inerat* (inquit) *ei in vultu liberalis dignitas, ac barba non indecens, facies lata, & naſi aduncitas, videbatur maſculam oris formam, qualis Herculis pingitur, ac fingitur, exprimere. Rumor verò etiam antiquus tenebat Antonios ab Hercule genus trahere, prognatos ab ejus filio Anteone, quem ille rumorem videbatur, & figurâ corporis, & habitu confirmare ; nam quoties in conſpectum multitudinis eſſet proditurus, tunicam ad femur cingulo aſtringebat, ſago denſo velabatur, & magno gladio ſe accingebat.* Quæ ſanè deſcriptio noſtræ Iconi perfectè conſonat : ſi enim rectè perpendetur, amplum utique vultum præfert, decenti barbâ præditum, Herculique perſimilem ; quòd ſi habitûs qualitas inſpectetur, ſagum virgatum, quod militare, ac Imperatorium inſigne eſſe probat Ferrarius *De re veſtiaria*, ſatìs M. Antonium oſtendit, qui ſago in conſpectu Populi uti ſolebat, & cingulo femori alligato. Demum ſupereſt aſſignare gladium, quo cingebatur, qui tamen ſub tegumento, præcipuè à picturæ ſtudioſis facillimè conſpici poteſt.

Mirificè explicationi, quam de hac Tabula dedimus, ſuffragantur aſtantes ex utroque bigæ latere viri, quorum alter alterius caput ſiniſtrâ comprimens, veluti feriturus, malleolum, ſive quid ſimile, dexterâ attollit. Quæ Figuræ nil aliud profectò denotant, niſi humanas victimas occaſione triumphi cæſas. Fortè enim M. Antonius tanquam Herculis agnationem oſtentaturus, homines obtulit in holocauſtum, cùm antiquitùs crudeliſſimè, & prorsùs infandę religionis inſtinctu, humanis hoſtiis Herculi ſacrificaretur ut de Pœnis teſtatur Plinius lib. 36. c. 5.

Notandi itidem in noſtro hoc Iconiſmo duo equi veluti ramulum ſupra caput habentes, quem nonnulli laureum eſſe putant, in ſignum victoriæ ; nos tamen potiùs pictoris libitum fuiſſe putamus ex duobus Iconiſmis Abb. Raphaëlis Fabretti in ſua *Columna Trajani*, ſive *Tabel. Iliad.* pag. 340. & 238. quæ cùm ad manus noſtras perveniſſet, illam eidem de Domini licentia, cum exemplari ære inciſo communicavimus. In illorum primo exponitur vitrea lamella picturâ ornata, ubi quadriga conſpicitur, cujus equi non abſimili ornatu præditi ſunt : in ſecundo autem occurrit auriga, qui dextrâ coronam, ſiniſtrâ

palmam ſupra humerum geſtat, ceu victor; ejus tamen equi in verticibus nullo lauri ſigno exornantur. Vnde ſi conjectare fas eſt, dicerem, ſignum illud ex genio Pictoris Struthio-Cameli plumam referre, præcipuum equorum ornatum, quo etiam hodie inſigniti ad aſſequendum brabium in Hippodromum producuntur.

Diſpunctâ jam ſuperiori Tabellæ parte, quæ adhuc ſupereſt, ac hodie viſitur ad areolam ſcalarum ſupra feneſtram, quæ artium reſpicit Palatii bo:me: Em.Cardinalis de Maximis, antiquitatũ amantiſſimi; nunc verò Em. Nerlii ſacrarum eruditionum ſtudioſiſmi, *ad quatuor fontes*, ut vulgò dicitur, angulumque conſtituit, quà Thermas Diocletianas itur, dextrorſum; quà verò ad Liberianam Baſilicam, ſiniſtrorſum. Reliquum modò eſt ad inferiores illius reliquias pergere, quarum ornatus ex celebri, eruditoque Cimelio Illuſtriſſimi Domini Equitis Caroli Antonii à Puteo deprompſimus, cui multa Nos debere fatemur.

Licèt Figurarum exiguitas,& Ægyptiorum myſteriorum icones potuiſſent me ab harum indagatione revocare: nihilominus ne quid intentatum relinquam, earundem enodationem aggredior, in qua nos oppidò juvit perſpicax, ac ſtudioſiſſimus vir, Abbas Philippus Bonarota.

Opinor itaque præfatas ordinis inferioris Figuras Ægyptiorum pompas importare; & unam præcipuè ex illis decem, quæ pertinent ad honorem eorum, qui apud illos pro Diis habentur, ac Ægyptiacam continent religionem, ut ſcribit Clemens Alexandrinus Stromat. lib.6.

In hujuſmodi pompis quamplurimę Deorum Imagines circumferebantur, additis aliis myſticis ſignis, quæ Sacerdotes præferrent; quibus (ut Ægypto erat mos) quibuſdam veluti Hieroglyphicis, ſeriem, Hiſtoriamque earum rerum exprimerent, quæ ſuis Diis accidiſſent: proptereaque eorundem geſta, per illa myſteria ſe imitari contendebant; ut videre eſt in Diodoro Siculo lib. 1. & in Appulejo Metamorph. lib. 5.

Quod Iſidis miſterium repræſentetur,probamus ex Tab.XXIII.Fig.1. ubi Iſis Horum puerum, quem ex inceſtu, & adulterio ex Oſiride fratre ſuſceperat, quemque ejus vir Typhon in aquis merſerat, repertum ante Oſiridem ſtatuit, qui accipitris, ut credo, Aethiopici capite inſignitus eſt, ut num.2. Oſiris enim ex Ægyptiorum ſententia, idem interpretatur, ac multoculus, videlicet Sol, & Sol ob oculorum præſtantiam, & vim ad ſe attrahendi ab eiſdem Ægyptii effingitur ſub accipitris forma,tanquam acutiſſimæ aciei, ac devorantis. Horus ergo Mundus eſt, ortui, & interitui obnoxius, cujus mater Iſis,ideſt Luna, in qua repertum filium vitæ reſtituit, ac immortalem reddidit. Generandi quippè aquæ vis, & Luna Mundum per varias, & novas viciſſitudines, quaſi immortalem faciunt. Rectè ergo Oſiridi puer exhibetur; cùm eam vim Luna à Sole participet, atque ille ſub veſte manus abſcondit, ut occultam eſſe ſignificet hanc virtutem, qua & ipſe per Lunam Mundum reparat. Tabula hæc à Minucio ſic concipitur: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & calvis Sacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ Matris*

*tris imitantur, mox invento Parvulo gaudet Isis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desunt annis omnibus, vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt.*

Cynocephali nomine hîc à Minucio descripti, nil aliud intelligendum esse putamus, nisi Anubin, cujus operâ Isis Horum invenit, & quia canis insigni usus fuit, ideò sub canis aspectu ab Ægyptiis colebatur. Et melius concipitur ex duobus illis canum capitibus in extremitatibus nostræ Tabulæ sub num. 3. & 3. occurrentibus supra Hermulas, scilicet tumulos Mercuriales. Anubis enim apud Ægyptios idem est qui Mercurius apud Græcos: imò (ut ait Plutarchus *De Iside, & Osiride*) quando suprema ostendit Anubis dicitur, quando inferna Hermanubis vocitatur. Verùm si pinguiùs erudiri in votis habeas, adi Kircherum, qui multa in hanc rem congerit in *Oedipo Agyptio* tom. 1. p.2. & in *Obelisco Pamphilio*, ubi fusè.

Sub num. 2. ut dictum est, habes Osiridis simulacrum Accipitris capite insigne, idemque sequitur sedens in proxima Icone num.4. tenetque sacrum Pedum siniſtrâ: è conspectu stat Isis num. 5. quæ capiti superimpositum tegumentum, tribus distinctum titulis gerit, Sacerdotalis dignitatis indicium, cui adsimilem se ornatum describit Appulejus lib. 1 1. Metamorph. dum sacris Isiacis initiaretur. Sequitur hinc idem Osiris, & ipse sedens sub num.6. qui siniſtrâ aspidem stringit, Isisque stat sub num. 7. manu Lunam bicornem excipiens. Pompæ medium parva occupat ara sub n.8. in qua quædam superimposita sunt ob Figurarum tenuitatem ignota. Nos autem ad fructus significandos revocamus, itaut conjunctam Solis, & Lunæ vim ad quorumcunque fructuum productionem, maturitatemque ostentatura: nisi fortè aram hanc cum fructibus ad Cærimonias primitiarum referre velis, de quibus idem Clemens Alexandrinus loco citato. Succedit inde Figura num. 9. sedens, quæ simulacrum Serapidis fortasse repræsentat, quem Osiridis patrem faciunt, quique locum suum in mysteriis obtinebat. Hic ex opposito num. 10. stat Sacerdos, qui Mystas ducit, alterâ manu diadema Regium, ac Aegyptiorum Deorum insigne, alterâ verò serpentem gerens, quæ ad stellas & Solem referri narrat præfatus Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 5. Sequitur etiam alter Sacerdos num. 1 1. qui Pedum Sacerdotale gestat, ac hinc inde geminæ itidem imagines sub nu. 12. quæ ferulam habent, quam sacrum signum fuisse conjicimus ex Herodoto in *Euterpe*, ubi sic: *Verberantur enim post sacrificium cuncti, & cunctæ, multa sanè hominum millia; quo autem verberentur non est mihi fas dicere*. In cistula mystica Eleusi norum ferula erat, unde ad Solem, & Osiridem referri, quamplura numismata, gemmæque probant, in quibus, Sol cum hujusmodi ferula insculptus est, sicuti tradit Macrobius de celebri illo Apollinis Hieropolitani simulacro, & in annulis Gnosticorum Deus Jao, qui idem cum Sole erat, sæpiùs cum hac ferula occurrit. Astat exinde num. 13. Figura quædam veluti gestiens, quæ forsitan gaudium ob Horum repertum significat. Succedunt hinc num. 14. duæ aliæ Icones cernuæ, ac pronæ in signum adorationis, qua-

rum quæ à læva eſt, manum ori admovens, cultûs ipſius actum exprimere credi poteſt: ambæ verò videntur in ſtagno quodam effictæ, fortè ut ad aquas alluderetur, in quibus Horus repertus fuit, quem amiſſum, ac fato functum, funebri næniâ lamentabantur.

Nec prætereunda ſunt quædam vaſa imaginibus interpoſita, quæ aquaria eſſe, & in pompis ferri ſolita, colligitur ex Vitruvio Prooem. lib. 8. Unde fortaſſe Julius Firmicus lib. 2. Aegyptios aquam adorâſſe aſſervit. Porrò hæc vaſa non unius ſpeciei ſunt, quatuor enim altiora collum arctius habent, labrum latiſſimum: reliquis verò duobus, quæ humiliora ſunt, latius collum eſt, labrum anguſtius. Quælibet autem ad Niloticas urnas referri poſſunt, quæ ideò in Pompis ac Hieroglyphicis apponebantur, ut maximè opportunum, ac ſalutare ſubſidium ſignificaretur, quod Aegyptiacis arvis afferre ſolet Nilus exundans, ac diù ſtagnans; ut benè ſentit Kircher. in ſuo *Obeliſco Pamphil.* lib. 5. Schematiſm 1. pag. 446. In periſtromatis inverſione hinc inde num. 15. & 15. cuidam Aræ, ſeu Baſi ſuperpoſitus aſtat Harpocrates, ſive Horus, manu ori admotâ ſilentium indicans. Harpocratem enim inter præcipua numina Aegyptii connumerârunt, quem cùm immaturo, ac penè abortivo fœtu editus eſſet, atque ideò elinguis, ſilentii Deum reputaverunt, eumque in Templorum veſtibulis collocabant, ut Sacerdotibus, ceteriſque ſacrorum Miniſtris, ac ſpectatoribus, rituum arcanorum, myſteriorumque ſilentium ſuaderet: Ad Harpocratis latus viſitur quædam paraſtaſis, quæ fortaſſe januæ indicium eſt, cùm Harpocratis ſtatuam propè januas collocare conſueverint. Num. 16. ſubeſt Propheta cum hydria, quem ſic deſcribit Clem. Alex. Stromat. lib. 6. *Poſt. omnes* (inquit) *exiit Propheta, qui apertè in ſinu geſtat hydriam &c.* Tandem num. 17. occurrit Iſis cum amphora, & ſceptro, deſuper Loti flore inſignito, qui ei ſacer eſt, exornato, ut in aliis monimentis clariùs apparet.

Sed jam ad alteram Tabulam accedamus, quæ itidem in eadem Baſilica Siciniana extabat, at modò viſitur in ſupradicto Palatio Eminentiſs. Nerlii, in ſummitate ſcalarum, ſiniſtrorſum, ſupra Primam ambulacri januam; ipſa quoque ex opere ſectili, ac variis marmorum incruſtationibus compoſita. Hæc Tabula fabuloſum Hylæ raptum continet, quem hîc, antequam ad Figurarum indagationem deveniamus, reponere neceſſum exiſtimavimus. Hercules, ut ſcribit Apollonius Rhodius Argonaut. li. 1. Theocrit. Idyll. 13 Valerius Flac. lib. 3. & alii, cum Argonautis, quorum Iaſon dux erat, navigaturus, Ceycis filium nomine Hylam ſecum duxit, ſpeciei ſingularis adoleſcentulum. Cùm autem vi ventorum, ac fluctuum navi quâ vehebantur, diù iactatâ, litora tandem tenuiſſet, Alcides, ſociique Pelagi erroribus fatigati, ac languidi, paſſos labores refecturi, cœnam parârunt. Alcides verò miſit Hylam cum amphora ad amnem Aſcanium, qui Myſiæ, quò appulerant, ſylvas interfluit, ut aquam quâ laborabant, afferret; ſed eximiâ illius formâ correptæ Nymphæ ejus fluminis, facto impetu puerum tenuêre, projeceruntque in fluenta, Quare Alcides moræ longioris impatiens,

pag. 60.

tiens, relictis ſociis, nemus omne luſtravit, Hylam quærens, Hylam vocitans, quibus attonitæ Nymphæ, timenteſque, ne raptus puer apud ipſas iuveniretur, illicò effecêre, ut inviſibilis vocanti domino reſponderet: verùm cùm ille nil præter vocem referre poſſet, navim repetit, ſolvitque, relicto Polyphemo, qui puerum otioſiùs perveſtigaret. Hìc verò decedens, accolis morem reliquit Hylæ ſacrificandi juxta fontem. Quod cùm Sacerdos efficeret, illum ter appellare ſolitus erat, eique totidem vocibus echo reſpondens, Hylam reddebat. Hanc fabulam brevi periodo complectitur, alteratque Strabo lib. 12. in deſcriptiote Bithyniæ, ubi ſic: *Supra Pruſiadem mons eſt, Arganthonius nomine. Ibi fabulæ tradunt Hylam Herculis ſocium, qui Argo navi cum eo vectus fuit, dum aquatum exit, raptum fuiſſe à Nymphis. Cium verò, ipſum quoque de ſociis Herculis unum, revertentem à Colchis urbem ſibi cognominem iſthic condidiſſe. Et nunc quoque apud Pruſienſes feſtivitas quædam celebratur, & montes cum Thiaſorum choro conſcenduntur, Hylaſque vocatur, quaſi ſi ad eum requirendum in ſylvas iviſſent.*

Unde Valerius Flaccus Argonaut. lib. 3. v. 595.

*Rurſus Hylam, & rurſus Hylam per longa reclamant.*

*Avia, reſponſant ſylvæ, & vaga certat imago.*

Apollonius ab una Nympha raptum Hylam ſcribit, quem ſequitur ipſe Valerius Flaccus. Theocritus tamen ab iis recedens, à tribus Nymphis raptum tradit; cui nos plaudimus, utpote noſtro Iconiſmo conformi, licèt Nicander, & Orpheus à pluribus autument.

Ut igitur noſtræ Tabulæ intendamus, fabulamque applicemus, trium Nympharum imagines notandæ ſunt, quæ cùm fontibus præſint, veluti fluviorum numina, frontem arundinibus redimunt, ut de fluvio Calidonio canit Ovidius lib. 9. Metamorph.

*Inornatos redimitus arundine crines.*

De Tyberi Virgilius Aeneid. 8.

*Et crines umbroſa tegebat arundo.*

Et inter alia inſignia, quibus Valerius Flaccus ſæpè memoratus, arguit Hylam aquarum Deum futurum fore, arundo eſt, ait enim lib. 1. v. 218.

*Subitâ cur pulcher arundine crines*
*Velat Hylas? unde urna humeris, niveoſque per artus*
*Cæruleæ veſtes?*

Notandæ ſunt etiam illæ duæ amphoræ, quarum una humi jacet, depoſita: ut conjicitur, à proxima Nympha, quò liberiùs Hylæ manus admoveret, altera ſub lævum Nymphæ alterius cubitum, ambæ aquam fundentes, ut Najades fontium, fluviorumque præſides Deas oſtenderent. Obſervandus eſt quoque Hylas, urnam dextera tenes, aquam hauſturus, qui omni niſu luctatur, ut Nymphæ illius conatum eludat, quæ præcipuè in raptum exarſerat, & de qua inquit præcitatus Apollonius:

*Nympha dexterâ cubitum traxit manu,*
*Medio injecit alveo.*

Sed jam ad Figuras inferiùs poſitas deſcendamus. Quidam ſunt, qui totam earum ſeriem ad Minervale ſacrificium referri contendant. Quæ opinio ſuâ probalitate non caret.

Enim

Enimverò Aegyptii quotannis in honorem Minervæ in Saim Urbem convenientes, nocte incumbente, sub dio, undique per mœnia frequentia luminaria, ollasque profundiores oleo refertas, ac sale aspersas incendebant, ut totâ nocte exardescerent: quæ solennitas λυχνοκαΐν idest *accensio lucernarum* vocitata fuit, ut ex Herodoto lib.2. quæ omnia præcipuè ostendi videntur hoc nostro Iconismo; ubi plures lucernæ, seu candelabra accensa sunt, urnæque non paucæ quiddam veluti ignem ex orificio spirantes.

Mihi tamen persuasum semper erit, utpotè verosimilius, ac superioribus magìs consonum, istas figuras ad cœnam revocari, quæ ab Argonautis (ut diximus) in litore instructa fuit. Et quidem si quælibet accuratiús examinentur, sub 1. numero Tabulæ rostrum ratis videre est, quam Argonavem dicere possumus. Nu.1.Nympha sedens. Num.3. alia similis Nympha. Num. 4. Hylas. Num. 5. duo Sacerdotes, seu Aruspices. Num. 6. Mensa. Figura num.7.Herculi aptissima est, cùm clavam gestet, quam insigne Herculeum esse scimus,& Theocritus Herculem cum clava, & arcu raptum Hylam quæsiisse tradit. Hinc per 8. Figuram Elatidem Polyphemum, ipsius Herculis socium denotari conjicimus. Is enim cùm Hylam vociferantem, dum raperetur, audivisset, Herculem inquirebat, oberrabatque districto gladio per sylvam, ac prope fontem, puero simul ac sibi timens: cùmque diù aberrasset, Herculem obviam habuit, cui non sine fletu, atque ejulatu, Hylæ càsum significavit. Figuras autem cum candelabris, & facibus, Tridentibus, paterisque, ad sacrificium Boni eventûs spectare posse crediderim; pateræ namque, quas habent Figuræ 6. 10. 11. supra hydrias, quibusdam veluti radiis, sive flammulis coronatas, ac si vinum effundant, ut in maris Deorum sacrificiis mos erat, Argonautarum libamina significare videntur, quibus Pelagi numina propitiarent, & sibi ad aurei velleris acquisitionem Colchos tendentibus prosperum iter ab eisdem exorarent, quod & Aeneâ navigaturo factum cecinit Virgilius Aeneid. lib.5. ubi hæc:

*Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ*
*Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos*
*Porrigit in fluctus, ac vina liquentia fundit.*

Patera enim boni ominis nota est; si Plinio credimus lib. 34. cap. 8. *Ibi simulacrum boni Eventûs dexterâ Pateram, sinistrâ spicam, ac papaver tenens.* Et non absimile nostro Iconismo Argonautas sacrificium fecisse legimus apud eundem Apollonium Rhodium in sua de Argonautis fabula, ubi sæpius ante absolutum iter in epulis Heroas sacrificâsse narrat. Primò lib.2. sub num. 155. ibi.

καὶ ἀθανάτοισι θοηλὰς
Ῥέξαντες, μέγα δόρπον ἐρώπλισαν, οὐδέ τιν' ὕπνος
Εἷλε παρὰ κρητῆρι καὶ αἰθομένοις ἱεροῖσιν.

*Atque immortalibus sacra*
*Exhibentes, solennem cœnam instruxerunt, neque quenquam somnus*
*Infestavit inter pocula, & incensa sacra.*

Item versu 492. ejusdem libri.

ἀνὰ δ' ἵστατ' Ιάσων,
Αν δὲ βορηΐοι υἷες ἐρημοσύνῃσι γέροντος.
Ωκα δε κεκλόμενοι μαντήϊον Απόλλωνα.
Ῥέζον επ' ἐσχάροφιν, νέον ἥματος ἀνομένοιο.
Κουρότεροι δ' ἐτάρων μενοεικέα δαῖπ' αλεγύνον.

*Exsur-*

pag. 63.

*Exſurrexit verò Iaſon,*
*Boreii filii etiam ex præcepto ſenis:*
*Illicò verò invocantes fatidicum Apollinem*
*Sacra fecerunt in foco ſub diem Orientem,*
*Juniores tamen ſocii lætam cœnam adornârunt.*

En quas pro ingenii mei viribus potui noſtræ Tabulæ explicationes afferre. Tuum eſt modò(amice Lector) meliorem optare: omnia etenim hucuſque congeſta prudentiæ tuæ, & eruditioni commiſſa ſunt, ut aptiora feligas.

Sed ut à fabulis non ſine aliquo hiſtoriæ emolumento diſcedamus, inveſtigandum hîc nobis eſt quantum res dubia permittit. An etiam hæ Tabulæ ad M. Antonium referri poſſint, ſicut & cæteræ, quæ in his ruderibus perſpectæ ſunt.

Multum ſtudii profectò impendimus, ut eas ad M. Antonium aliquo modo reduceremus. Hoc autem nobis inter alia tandem aliquando perſuasêre victimæ humanæ in priori ex his duabus Tabulis jam demonſtratæ; quibus victimis M. Antonium in triumpho Aegyptiaco oſtentâſſe opinamur, ſe ab Alcide originem ducere, cui humanis hoſtiis olim ſacrificari conſuetum fuiſſe didicimus ex Plinio, loco ſupra citato. Atque ita eam Tabulam M. Antonio bellè accommodari aſſerimus.

Secundam quoque, ac poſtremam Tabulam eidem referimus, arbitrantes Hylam puerulũ, Herculi in primis charum, raptum à Nymphis, ut ibi exprimitur, Antonium notare, qui Cleopatræ illecebris in Aegyptum attractus, inibi quodam amoris faſcino moram duxit, Patriæ tam ingratam, quippè quæ grave majeſtati Romanæ præjudicium afferret, ut ex Plutarcho ſupra indicavimus; quàm ſibi indecoram, utpote nimis mollem, atque ideò ab omnibus ferè Scriptoribus turpitudinis notâ inuſtam: Præcipuè verò ab Horatio, qui in Epodo Ode 9. de M. Antonio ſic ait:

*Romanus (Eheu poſteri negabitis)*
*Emancipatus feminæ,*
*Fert vallum, & arma miles, & ſpadonibus*
*Servire rugoſis poteſt.*
*Interque ſigna, turpe, militaria*
*Sol aſpicit Canopæum,*

Hæ autem conjecturæ noſtræ quantumnam roboris aſſequi potuiſſent, ſi plures alias, quondam in eadem Baſilica extantes Icones perluſtrari, illuſtrarique explicatione, voracitas temporis permiſiſſet?

Hactenus de ornamentis, quæ Gentilitatem reſpiciebant in Baſilica Siciniana ſuperſtitibus, differuimus. Modò ad unicam tantùm Tabulam in eadem Baſilica pictam, & uſque ad noſtra tempora ſervatam, itaut ipſi eam viderimus, ſtylum convertimus. Iſtius Emblema habes in Tab. XXV. Pictura hæc erat in una ex illis magnis feneſtris ad meridiem vergentibus, quæ muro ducto clauſæ fuerunt, ea de cauſa opinor, ut immodica lux, radiique ſolares orantibus in Eccleſia officientes, excluderentur: nimiâ etenim amplitudine ſpatia feneſtrarum patebant, quod oſtendit exemplar in Tab. XXI. ſub lit. C. D. omnes ſic muro cluſas depictas fuiſſe judico, ſed ævi diuturnitate deletas. Hæc, quæ ſupererat, Petrum, & Paulum Romanum populum alloquentes, docenteſque

demon-

demonſtrat, ut ipſius epigraphe declaratur, ubi ſic legendum exiſtimo: *Hîc Petrus, & Paulus Romano Populo prædicant, & docent verbum.* Cùm in Tabula initialem literam ultimæ vocis DER, Pictoris incuria vitiatam eſſe judicem, nempè loco V. literæ, poſitam literam D. prout etiam in literis PDCNS vltima litera S. ſit errata, quæ erat T. Hæ Figuræ martyrium utriuſque Apoſtoli repræſentantes vetuſtiſſimæ ſunt: nam ſi earundem habitus inſpectemus, redolent tempora V. ſæculi, pictæque fortè ſunt iuſſu Simplicii Põtificis, qui Muſivum opus in Tribuna ejuſdem Baſilicæ conſtruxit, de quo infra ſuo loco. Ulteriùs multa alia obſervatione digna ſunt, quæ vetuſtiſſimum tempus indicant, cùm Pictores ea, quæ depingunt, vt plurimùm juxtà ſuorum temporum mores exprimere ſoleant: Itidem ipſe character epigraphes hanc conjecturam confirmat, qui V. aut ad ſummum VI. ſæculum refert.

Sed meliùs quæque expendamus, Apoſtoli Dalmaticâ, & Pallio induti ſunt, reliqui verò Togâ, & Sago, ſive Chlamyde; è quibus Togis nonnullas peculiariter obſervandas exiſtimo, quę ora, ſive extremitates acu pictas habent, qua cultûs varietate Pictor fortaſſe Principes viros, Patritioſque à plebe diſtinxit, ac ſecrevit. Notandi etiam ſunt muri ex lapide quadrato cum turribus, quæ Romanæ Urbis, non verò alterius civitatis mœnia denotant. Antiquitùs enim erat ex lapidibus quadratis, ut benè obſervavit Marlianus in ſua *Typographia Urbis* lib. 1. c. 4. & 9. Illi verò qui hodie lateritii viſuntur, ſunt poſterioris ævi, ut docet Euſebius in Chronico: ac Flavius Vopiſcus in eodem Aureliano ſic ait: *Muros Urbis Romæ ſic ampliavit, ut quinquaginta propè millia murorum ejus ambitus teneant.* Voluit igitur Pictor exprimere Urbis muros, non prout ſuo tempore erant, ſed ævo quo Beati Apoſtoli prædicabant.

Nec prætereunda ſunt vela, quæ complicata hinc inde à lateribus pendent; eiſque (ut arbitror) Pictor Imperatoris Palatium denotavit, in cujus foribus vela aderant, ut cecinit Coripus lib. 3.

*Verum, ut contacto patuerunt intima velo*
*Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti,*
*Cæſareumque caput diademate fulgere ſacro*
*Ter gazis ſuſpexit Avar.*

Ex Anaſtaſio in vita Silveſtri Papæ, ubi hæc. *Fecit B. Silveſtrum Papam venire ſe in Palatium Pincii* (ſeu potiùs Principis, nam vocem abbreviatam puto) *& ad primum, & ſecundum velum obtinuit omnem Clerum.*

Hujuſmodi vela affabrè expreſſa viſuntur in Muſivo opere, quod Ravennæ eſt in Eccleſia S. Apollinaris, repræſentatque Palatium cum novem januis, è quibus omnibus vela dependent. Hujus Muſivi operis Iconem in ſecunda noſtri Operis parte apponemus.

Supra ac retro vela ſunt quædam domus ab invicem paullò diſtantes, ac propterea Romanam Urbem exprimentes; cùm antiquitùs, & præcipuè in V. ſæculo, non contigua, ſed ſejuncta ædificia conſtruerentur, quod habetur ex quadam conſtitutione Theodoſii Imperatoris, cujus ſumma refer-

refertur ab eruditiſſimo Gothofredo in ſuo Cod. Theodoſ. lib.4.tit.24. *De ædif. privat.* ubi inter privatorum fabricas decem, inter publicas quindecim pedum intervallum relinqui juſſiſſe Imperatorem enarrat. Et in Comment. ad eandem Conſtitutionem addit, intervallum, ſeu ſpatium inter vicinas ædes fuiſſe præſcriptum, cùm incendii vitandi cauſâ, tum luminis, aëriſque liberiùs excipiendi : antea enim ea ſpatia anguſtiora, & vix ulla fuiſſe docemur, ex L. *Mæniana*, C. *De ædific. privat.* l. *Sciendum*, ff. *Fin. regund.*

Omnia autem hæc, quæ in ultimæ hujus Tabulæ explicatione notavimus; ſi ſeriò perpendantur, perſpicuum erit, non ſolùm ambos Apoſtolos Romæ prædicâſſe, quod docet epigraphe penè Palatium Imperatoris, imò in eadem etiam permanſiſſe; quæ conjectura conſona eſſe videtur verbis illis Doctoris Gentium in ſua Epiſt. ad Philip. cap.4. v. 2. *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.* Hi autem eſſe illi videntur, qui togas acu depictas habent. Neque conſideranti minùs apertum erit, Beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum Romæ paſſos : primum quidem Cruci affixum, alterum decollatum, quod à quibuſdam diverſa à Catholicis, & adversùs eoſdem ſentientibus, pertinaciùs denegatur. Nobis interim, cùm hæc tradidiſſe ſufficiat; aliò iter inſtituendum eſt, & ad reliqua properandum.

## CAPUT VIII.

*Quomodo ex ſtructura, atque cæmentis, conſtructionis Aedificiorum tempus argui poſſit.*

HABENT ſaxa, æra, lapides, & quæcunque vetuſta monimenta quodammodo voces ſuas, quibus, non tam geſta Majorum, quàm & originem, ætatemque ſuam benè advertentibus, abſque literis indicant.

Et quidem ſtructuræ, cæmentorumque in ædificiis varietatem indicium eſſe minimè fallax ad dignoſcendas differentias temporum, quibus ædificia illa conſtructa ſint, mihi tot priſcorum, tum prophana, tum ſacra monimenta, ac fabricarum rudera perſcrutanti, facilè perſuaſum fuit.

Cùm enim diligenter attenderem, an diſpoſitio partium, cæmentorum genus, feneſtrarum forma, parietum concinnitas, firmitas, ſpecies, ars denique, tum ſtruendarum, tum ornandarum ædium par ubique eſſet, tantam in illis adnotavi varietatem, ut ſæculorum quorundam barbaries, quorundam cultura, ex ſuis ædificiis adhuc apertè loquatur.

Ex hac ergò animadverſione, cùm ferè unoquoque ſæculo quaſdam veluti certas regulas in cæmentorum ſelectione, & in ædificiis conſtruendis, atque ornandis, ſicuti illorum temporum, vel præſtantia, vel imperitia ferebat, ſervatas fuiſſe viderim : collegi propterea eiſdem regulis, aut notis uti poſſe ad indagandam eorundem ædificiorum conſtructionis, aut reparationis originem, ac vetuſtatem.

Sed ut benè de ætate incertorum, quæ reperientur, judicare poſſimus,

præmonſtranda eſſe arbitror nonnulla antiqua ædificia, ac monimenta, de quorum vetuſtate, ac ſtructuræ forma, certa mentio apud probtaos Auctores fiat; & ſic illis benè conſideratis, ad cætera eis ſimilia judicanda probabiliter deſcendamus.

Progrediamur itaq; ad ſacras ædes, Eccleſiarumq; vetuſtas fabricas; exordium ſumentes à profanis ædificiis, tanquam vetuſtioribus, & ſeveriori, certioriſque Architecturæ lege conſtructis.

Et primùm quidem certò ſcimus, nonnulla vetuſtiſſima ædificia, quorum rudera adhuc viſuntur, à priſcis Romanorum Regibus conſtructa fuiſſe. Ductum enim Aquæ Marciæ ab Anco Marcio IV. Romanorum Rege ædificatum fuiſſe, facilè perſuaderi poteſt; dum Aquam Marciam in ultimis montibus Pelignorum naſcentem, per Marſos, & Lacum Fucinum tranſeuntem,& Romam petendo,merſam ſpecu, in Tiburtina ſe aperientem, IX.M.P.fornicibus ſtructisperductam, primus in Urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius unus è Regibus, ut ait Plinius lib. 31. cap. 3. Hiſt.

Hunc ego Aquæductum obſervavi totum conſtare ex lapidibus Gabinis, ſeu Albanis quadratis, de quibus ſupra egimus cap. 1.

Ex iiſdem quoque Gabinis, ſeu Albanis quadratis lapidibus animadverti conſtare Cloacam Maximam, & ideò à Tarquinio Priſco, Anci ſucceſſore, conſtructam fuiſſe arbitror. Maximè quia à Tarquinio Priſco Cloacas conſtructas fuiſſe affirmat Plin. lib. 36. cap. 15. Hiſt. De Cloacis enim loquens ait: *Trahuntur moles internæ tantæ, non ſuccumbentibus cauſſis operis: pulſant ruinæ ſpontè præcipites, aut impactæ incendiis, quatitur ſolùm terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Priſco annis octingentis propè inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eò magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omiſſum eſt, cùm id opus Tarquinius Priſcus plebis manibus faceret, eſſetque labor incertum longior an periculoſior, paſſim conſcitâ nece Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea, poſteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret Crucibus corpora ſpectanda civibus, ſimul & feris, volucribuſque laceranda.* Suffragantur huic conjecturæ de rituædificiorum ſub Regibus parietinæ nonnullæ, quæ adhuc ſuperſunt in Atrio Nobiliſs. de Caffarellis in Capitolio. Cùm enim conſtet ad complanandam aream templi Jovis Capitolini, ſubſtructiones ex quadrato lapide, regnante Tarquinio Priſco, erectas fuiſſe, ut probat ſæpè laudatus Abbas Fabrettus in Addendis ad *Syntagma Columnæ Trajani*, ubi iſtius ædificii parietinarum Iconiſmum affert; reliquiæ iſtæ nos docent, qualibus cæmentis magnificentia Regum æternitati conſtrueret. Viſuntur etiam ſubtus Palatinm Senatoris, & Conſervatorũ Populi Romani in loco pro equorum ſtabulo hodiè inſerviente, columnæ aliquot ex eodem Gabino lapide. Locus iſte annis anteactis appellabatur *Salaria*, à *Salis* diſtributione, quam ibidem fieri mos fuerat. Nonnulli Antiquarii ædificium hoc Curiam Calabram, alii verò Tabularium fuiſſe exiſtimant; quidquid fuerit, antiquiſſima fabrica ante Imperium pro certo haberi poteſt, cùm Impera-

TAB. XXVI.

Fig. 1



Fig 2



Fig. 3.



Fig. 4.



pag. 67.

peratores utplurimùm, neque Gabino, neque Albano lapide, ſed Tiburtino marmore, aut laterculis ædificia conſtruerent. Quadratis lapidibus, iiſque magnis, uti in publicis operibus vetuſtâ conſuetudine Thuſcos conſueviſſe, refert Leo Baptiſta Albertus lib. 7. cap. 2. ſuæ Architecturæ; à Thuſcis verò accepiſſe Romanos. Hanc conjecturam ex muris Urbium nonnullarum deducit, ut Civitatum, Caſtrorũ Thuſciæ, Volaterræ, Feſulæ &c. Id confirmat Livius ad Annum Urbis conditæ 378. ac benè animadvertit Marlianus lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 9. ſuæ *Topographiæ Urbis antiquæ*. Structuræ hujus exemplar affero in Tab. XXVI. ſub Fig. 1.

Imò & ipſis Thuſcis multò antiquiorem fuiſſe conſuetudinem ædificia quadratis lapidibus conſtruendi, colligitur apertiſſimè ex iis, quæ deſcribit horreis à Joſepho conſtructis enarrat Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 1. c. 10. cujus hæc verba: *Super ripam verò ejus* (Nilum intellige) *non Babylonia, de qua ſupra meminimus, ſed Babylonia civitas collocatur: in qua Joſeph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cæmento ædificavit: itaut ad fundum capaciora, ad ſummum verò conſtricta ſint, ut per parvulum foramen ibidem triticum jaceretur, quæ horrea uſque hodie cernuntur.*

Expulſis Regibus unà cum Romana Republica; novum genus Architecturæ ortum fuiſſe videtur, quod à Vitruvio lib. 2. c. 8. appellatur *antiquũ incertum*, quod ſub nomine *reticulati incerti*, ſive *antiqui* comprehendi poſſe puto. Cumque quâdam die Romanum agrum ultra Pontem Salarium, & locũ, qui nunc dicitur *la Serpentara*, perluſtrarem cum ſupra laudato Abbate Fabretto, nonnullas adinvenimus ruinas antiqui Cruſtumii, ubi viſuntur diruti templi parietinæ ex quadratis tophis inconcinnè formatis, qui retis formam præſeferunt, ſpeciemque, non tamen adamuſſim, ob inæqualitatem: cùm lapidum, ſeu tophorum quamplurimi, rhombi potiùs, quàm quadrati figuram oſtendant; eandem Tab. XXVI. vide ſub Fig. 2. conjeci propterea ſupradictũ opus *antiquum incertum* eſſe, ac conſtructionis illius tempus principium Romanæ Reipublicæ redolere.

Exemplum haud abſimile ſtructuræ reticulatæ adinveni menſe Octobris anni ſuperioris, cùm in Tuſculanum ſecedens aëris liberioris cupidine, & ruſticandi gratiâ, apud meam Villam S. Andreæ divertiſſem, cui agro S. Andreæ nomen factum à Templo, quod ibi olim eidem Apoſtolo conſtructum fuit. Non procul itaque ab eadem Villa (puta ad ictum bombardæ minoris) in eminentiori loco parietinæ viſuntur, quà ſpeciem ambulacri, quà cuſtodias aquarum referentes. At exterior ędificii facies conſtat ex ſilice ac opere *certo reticulato*: Interior verò eodem opere ſilicis, ſed *reticulato incerto*.

*Certum reticulatum opus* illud appello, in quo lapides id componentes ita ſecti ſunt, ut priſma quadratum referant, adeoque juncti veram retis extenſi formam demonſtrent; ad diſcrimen *incerti*, quod paullò ante compingi docuimus ex lapidibus, quorum adverſæ facies, ſeu baſes priſmatum, vel in rhombum, vel in rhomboïdem, vel etiam in aliam multilateram figuram extenduntur.

*Certi* habes exemplar ſub Figura 3. præfatæ Tabulæ. Structuræ iſtiuſmodi

ſpecies redolet tempora florentis Reipublicæ; ex opere hoc reticulato, plura adhuc extant ædificia, quorum unum ſufficiat indicâſſe, tanquam notiſſimum, nempè ſubſtructiones illas extra portam Flaminiam, quæ à vulgo denominantur *Muro Torto*, ideſt, murus inclinatus.

Verùm & in *reticulatis certis* non eadem diſpoſitio perpetuò ſervata eſt. In aliquibus enim parietibus, alternatim diſponuntur plures horizontales ordines laterũ, intercipientes ordines, operis reticulati, adinvicem ſuperpoſitos; adeò ut paries totus multiplici veluti faſciâ circumligatus appareat, alia quidem productis in longum lineis, horizonti parallelis, quas nempè efficiunt lateres ita diſpoſiti. Alia verò lineis ſe decuſſantibus conſtans, quales efformant ſectorum priſmatum latera, dum aptè connectuntur. Hujus ſtructuræ ſchema vide in eadem Tab. Fig. 4. ubi animadvertendum eſt, quòd ordinum intercapedo æqualis ubique non eſt. In aliquibus ædificiis numerantur novem lateres, in aliis decem, vel undecim, quorum conjunctione conſtituitur faſciæ altitudo, puta unius circiter pedis. Huic deinde incumbit altera reticulati operis faſcia, duorum vel trium pedum menſuram ſuâ latitudine complens. Illi autem ſuperponitur novus ordo laterum; iſtiſque denuò reticulatum opus. Formam ita conſtruendi uſurpatam ſuiſſe puto inclinante Republicâ, ac viguiſſe uſque ad initium Imperii: quo tempore cùm augeretur ſervorum numerus, qui laterum fabricæ applicari poſſent, aucta ſimul fuit eorundem laterum copia, & novum ſubinde ſtructionis genus exortum eſt. Speciem prioris ſtructuræ intercalaris (ſi eam ita vocare fas ſit) obſervavi in antiquo Tuſculo, unà cum laudato D. Abbate Blanchino, in loco, qui nunc dicitur, *le Scole di Cicerone*, ac Romæ in viridario Eccleſiæ S. Mariæ Sanitatis, ac in Aquæductu Trajani.

Dum hæc reticulata opera rimabar, animadverti non omnia ex topho elaborata eſſe, ut hîc Romæ, neque ex ſilice, ut Tuſculi, ſed etiam quandoque ex marmore Tiburtino, & ex lapide Albano, ſicut loci opportunitas, & vicinarum fodinarum natura ferebat. Antiquiſſimum ædificium reticulati operis vidi Corniculi, quod ipſi Corniculani Servii Tullii, VI. Romanorum Regis, ex Nobili femina Corniculana, captivâ tamen, & ancillâ nati, Palatium fuiſſe exiſtimant. Hæc mihi indicavit D. Franciſcus Maria Lancianus dum præterito anno apud ipſum, unà cum ſolitis amicis hoſpes eſſem.

Lateritium opus reticulato inſeri cœptum ultimo Reipublicæ tempore, ut ſuperiùs diximus; à Græcis enim lateritiam excepiſſe Romanos, cùm ſubactâ Græciâ omnes artes adveherent, minimè obſcurum videri poteſt, ſi Plinii locus lib. 35. cap. 14. diligenter perpendatur. Ibi enim opera lateritia cùm recenſeat, plurima, & celeberrima Græcorum nominat: in Italia verò Arretii, & Mevaniæ murum eſſe aſſerit, cujus nec ætatem, nec magnitudinem prodit. Cùm igitur conſtet, ipſas laterum differentias Græcis nominibus afferri Didoron, Tetradoron, Pentadoron, & Architecturæ incrementa, arteſque hùc pertinentes ab eodem fonte manâſſe; quis dubitet etiam lateritiam inde advectam? Ea verò,

verò cùm ſit artium novarum conditio, ut ſenſim augmentum accipiant, principio quidem muri ex ſolis lateribus non conſtruebantur, ſed inſertis veluti faſciis reticulatum opus alternabatur, tum quia novus ædificandi mos ob Artificum penuriam difficulter exerceri poterat, tum quia (ut ibidem Plinius teſtatur) fruſtrà ex lateribus privatas ædes Romani ſtruxiſſent, quibus craſſities parietum ultra ſeſquipedem cùm interdiceretur, quærenda non erat ſumptuoſioris ſtructuræ magnificentia. Præſtat totum Plinii caput conſulere, cujus partem hîc infero, quâ potiora Græcorum ædificia in hoc ſtructuræ genere recenſet: *Græci* (inquit) *præterquàm ubi è ſilice fieri poterat ſtructura, parietes lateritios prætulêre. Sunt enim æterni, ſi ad perpendiculum fiant: ideò & in publica opera, & Regias domos adduntur. Sic ſtruxêre murum Athenis, qui ad montem Hymettum ſpectat: ſic Patris ædes Jovis & Hærculis, quamvis lapideas columnas, & epiſtylia circundarent: domum Trallibus Regiam Attali: item Sardibus Croeſi, quam Geruſian fecêre: Halicarnaſſi Mauſoli: quæ etiam nunc durant. Lacedæmone quidem exciſum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis incluſam, Romam deportavêre in Aediliate ad Comitium exornandum Muræna, & Varro. Quod opus cùm per ſe mirum eſſet, tranſlatum tamen magis mirabantur.* Muræna, & Varro floruerunt regnante Aug. ut ex eorum conſulatu apparet, ex quo nova ſententiæ noſtræ confirmatio reſultat; nam tectorium illud nõ tantùm picturæ gratiâ, ſed etiam ſtructuræ genere, Romanis minus trito, pretioſum videri poterat. Ævo itaque Auguſti, & ſubſequentium Imperatorum, mos iſte conſtruendi ex ſolis lateribus prolatus, uſurpatuſq; paſſim fuit. Copia fortaſſis ſervorum in Urbem adducta, per frequentes Cæſarum victorias in cauſſa fuit, ut ampliſſima quæque opera tentarentur, cùm non deeſſent, qui fabricæ addicerentur. Innumeræ proinde officinæ ubique aperiri: & lateritiæ ſtructuræ genus præ cæteris probari cœptum, utpotè minori difficultate parabile per ingentem artificum, & inſervientium numerum. Hinc circa Imperatorum ætatem maxima quæque ædificia opere lateritio conſtantia adhuc viſuntur, cujus ſtructuræ imaginem afferrem, niſi omnibus foret notiſſima. Porrò innumera occurrerent, ſi univerſa, quæ adhuc extant lateritiæ conſtructionis opera recenſendi neceſſitas urgeret. Celebriora tantùm indicáſſe ſufficiat, Pantheon, Templum Pacis, Palatium Imperiale, Majus nuncupatum, Thermas, Mœnia Urbis, & alia multa ab Imperatoribus ædificata, per ſpatium videlicet annorum ducentorum, & ultra, quo tempore nonnullæ antiquæ laterum fabricæ adeò diligenter, ac delicatè formatæ cernuntur, ut nullus augmento artis ſit locus; cùm laterum facies viſui expoſita, non ſolùm ſit ſupra marmor, arenâ per manum Artificis lævigatâ ac politâ; verùm etiam ipſorum ſuperficies, mutuò incumbentes, ferro cavatæ fuerint; itaut inter utrunque laterem calx detruſa, nequeat exteriùs, ad deturpandum aſpectum operis proſilire. Quare cæmenta inter ſe ita cohærent, ut inter ſuperiorem, & inferiorem laterem nullum calcis veſtigium,

gium, ſed ſimplex linea appareat. Inſuper eiſdem lateribus inveniuntur formatæ paraſtatæ cum ſuis baſibus, capitulis, epiſtyliis, ac coronide ex omnibus Arctitecturæ ordinibus, ut ſingulas quandoque ædium partes eâ materiâ tàm affabrè elaboratas intuentibus, & præcipuè Architecturæ ſtudioſis, quám maximam admirationem inducant. Quo in genere quoddam præ cæteris adnotavi parvulum templum, ſed diligentiſſimè ornatũ, dum ad inviſenda rudera Romani agri, cum ſolito amicorum comitatu, profectus eſſem. Intima templi conſtructio marmorea erat, cum operis muſivi veſtigio in fornice apparente. At exterior parietum facies, & frons ipſa templi lateritia erat, ad ordinis Corinthii leges delicatiſſimè extructa. Quæſiit olim ex me R.P. Franciſcus Eſchinardi Soc. Jesu in Collegio Romano, præterito anno Matheſeos Profeſſor, vir omni eruditione refertus, quânam de cauſſa Priſci Romani adeò pulchrũ opus in materia tam vili, ac fragili perdidiſſent, cùm copia marmorum illis ſuppeteret, ut parietinæ marmoreæ adhuc ſuperſtites teſtabantur. Nulla mihi reſponſio tunc opportunior viſa fuit, quàm ſupponendum, quòd fuiſſet quâdam ab Imperatoribus lege, ſive Senatûs Conſulto prohibitum, ne quis niſi Senatoriâ præditus Dignitate marmorea conſtrueret ædificia: eo utique conſilio, ut immodici luxûs impenſæ, Procerum etiam, nedum hominum privatorum patrimonia dilapidantes, coërcerentur. Impediti propterea Cives, quominus in tranſvehendis montium diſſitorum tributis cenſus impenderent, pretium fabricarum arte ſupplentes, ut opus materiem ſuperaret, effecerunt, & incolumi legum robore magnifica tecta extruxêre; quare adeò lateritia promota fuit, ut ſculpturæ etiam delicatiſſimè patiens eſſet argillæ fragilitas. Verùm, cùm ea ſæcula non habuerint in quo luxum ſiſterent privatorum, & coërcerent, infelici rerum viciſſitudine optandum poſterioribus fuit, ut inveniri ſaltem poſſet, quo dignitas operum publicorum cuſtodiretur. Cùm enim Romanum Imperium declinare in deterius cœpit, par fuit Imperio conditio bonarum artium, excluſa quodammodo de ſede ſua, & in pejorem ſortem prolapſa. Indicat ſatis adverſæ ſortis initia Circus ille extra portam Capenam, ſecundo ab Urbe lapide, qui, priſco errore, à Caracalla, recenti verò emendatione vulgaris opinionis per laudatum Abbatem Raphaëlem Fabrettum ſublatæ de *Columna Trajani* cap. 6. pag. 147. à Gallieno conſtructus exiſtimatur. Conſpiciuntur in ea duæ ſpecies cæmentorum, nempe tophi, & lateres, ita diſpoſiti, ut unus ordo, ſive una linea ex tophis quadratis, alter verò ordo ex lateribus conſtet: quo in ordine aliquando tantùm unus eſt later, quandoque duo, quandoque etiam tres, ut Tab. XXVII. Figura 1. meliùs indicat. Hujus ſtructuræ ſpeciem per tria circiter ſæcula perdurâſſe, cùm adhuc Italia ab extraneis nationibus excidium paſſa non eſſet; poſt ejus verò devaſtationem, laterum officinas ceſſâſſe, pro certo habeo. Quare nova ſuborta eſt, mutatis in parte cæmentis, nam fabricæ illâ ætate conſtructæ alternis ordinibus conſtant tophorum, & ſilicum, & marmorum cruſtis ad duorum circiter laterum craſſitiem conciſis, ut in eadem Tabula XXVII.

Fig.

# TAB. XXVII

Fig. 1.



Fig. 2.



pag. 70.

TAB XXVIII

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



pag. 71.

Fig. 2. rarò autem ex iiſdem lateribus.

Ædificia hoc modo excitata nonnulla conſpiciuntur, tam in Urbe, quàm extra. Intra Urbem pro exemplo ſit Turris Comitum; extra Urbem Turris Virgata, ſic dicta (nî fallor) à varietate aſpectûs, quaſi Turris variegata. Hæc autem ſtructuræ forma ab Italiæ invaſione ad Caroli Magni tempora fortè viguit.

Verùm eadem mihi dubitandi occaſionem præbuit, undenam tanta marmorearum cruſtrarum copia (cùm ferè omnes ex Pario ſint marmore, quod ſtatuarium vocant) effluxerit? Hæc lapidis peregrini affluentia ex diffractis Idolis tanta Romæ fuit, ut Caſſiodorus lib. 7. *Variarum*, in formula ad Præfectum Urbis *de Architecto faciendo*, ſub num. 15. loquens de ſtatuis in Italiam introductis, dixerit: *Has primùm Thuſci in Italia inveniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas penè parem populum Urbi dedit*. Vnde Theodoſius Imperator impiiſſimum Idolorum cultum aboliturus, ann. 399. lege quâdam ſpeciali, quæ habetur in Codice Theodoſiano ſub tit. de Pag. l. 16. decrevit, ut Templa Idolorum, ſi quæ in agris eſſent, ſuis ædibus evellerentur.

Idem confirmat Zoſimus lib. 5. pag. 815. Eruditiſſimus verò Gothofredus in Commentario ad l. 8. ejuſdem tituli, notat, *Theodoſii Magni mentem hanc fuiſſe, poſſe Religioni conſuli, ſacrificiis videlicet prohibitis, neque interea voluptatibus, atque ornatui publico quidquam detrahendum. Quo etiam ornatûs publici tuendi argumento Gentiles, & in his Libanius, hoc ipſo tempore Imperatorem Theodoſium dehortatus eſt à templorum ſtragè. Verùm, ubi rerum experimentis contra evenit, eidem neceſſarium viſum ad eradicandam ſuperſtitionem, Templa occludere, vel etiam exſcindere, quod quidem etiam non ſemper Principium auctoritate, juſſuve factum; verùm Eccleſiaſticorum, Monachorumque zelo; vti factum queritur Libanius eâ oratione* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν Ita etiam intelligenda videntur ea, quę narrat pręcitatus Caſſiodorus lib. 1. *Variarum*, num. 28. Theodericum Regem, Gothis atque Romanis juſſiſſe, ut ſaxa in eorum agris jacentia muris Romę profutura, libenti animo ſine dilatione concederent: ex qua juſſione tempus præcipuè colligitur nonnullarum reparationum murorum Urbis, quas adhuc videmus, partim è ſilice, partim ex marmorum cruſtis, ut in Tab. XXVIII. Fig. 1. Alię reſtitutiones murorum cernuntur à Beliſario curatę, nempe exeuntibus Portâ nunc Majore, olim Neviâ, ſive Labicanâ, & deflectentibus versùs Piam, ſive Nomentanam, inter decimam, & undecimam Turres, ac inter decimam ſeptimam, ac decimam octavam, ac poſt has alia ſimilis, & magna ſequitur refectio.

Conſtant enim hę refectiones tum opere tumultuario, tum cæmentis. Adhibuit enim Dux ille, Romani Imperii vindex, tophos quamplures, eoſque magnitudine inſignes, à Viis publicis ablatos, pro quarum cuſtodia utrinque opponebantur ſtratis filicibus, uſus eſt lateribus, ac lapidibus diverſi generis temerè exemptis, pejuſque diſpoſitis, pro militum imperitia, quibus & conſtruendi, & diruendi cura demandabatur. Similium refectionum icones habes, ut in dicta Tab. XXVIII. Fig. 2.

Impe-

Imperii habenas regente Carolo Magno, ſcientiæ, bonæque artes aliquantiſper cœperunt revireſcere; quare ſtructuræ formam fuiſſe immutatam exiſtimo, ac denuò receptam illam, quę in principio declinationis Imperii, nempe tempore Gallieni, vigebat, de qua ſupra jam diſſeruimus. Immutata tantummodò eſt menſura tophorum, itaut quadrilateri priſmatis figuram retinerent; ſed longitudine, & latitudine ſuperarent illos, quibus Gallieni ætas utebatur. Præſtant verò antiquiores illi etiam diligentiâ expolitioris figuræ. Hujuſmodi ſtructuræ ſpecies conſpicitur in reſtaurationibus murorum Urbis, factis ab Hadriano I. & in Eccleſia SS. Vincentii, & Anaſtaſii ad Aquas Salvias, reſtitutâ à Leone III. Summis Pontificibus, tempore Caroli Magni; ac in diverſis aliis ædificiis, quorum exemplar habes in eadem Tab. XXVIII. Fig. 3. Hanc uſque ad milleſimum annum æræ Chriſtianæ viguiſſe opinor; quo tempore, vnà cum cæteris artibus in deterius labi cœpit Architectura. Non ſubinde cæmentorum ſpecies adhibita in ædificiis, tophi, ſcilicet, quadrilateri, nullo alio lapidum genere permixti, ut exemplum Fig. 4. indicat. Si quis malit prototypum inſpicere, multa illi tum in Urbe, tum in agro Romano indicare poſſum. Intra Urbis mœnia conſulat ædificia adhærentia Eccleſiæ S. Xyſti prope portam Capenam tempore S. Dominici conſtructa. Domos quamplurimas in Regione Tranſtyberina præſertim ſitas. Extra Urbem duo præ cæteris obvia, & in ſuburbano locata animadvertat: primum ſit perantiquum Deo ſacrarum Virginum Monaſterium Sanctæ Agnetis Viâ Nomentanâ, ubi viſitur marmoreum ſepulchrũ cujuſdam ipſius Monaſterii Abbatiſſæ, in quo anni 1256. nota inſculpta eſt: alterum Viâ Appiâ tertio circiter ab Urbe lapide, prope ſepulchrum Metellæ, vulgò hodie dictum *Capo di bove*, ubi diruti Caſtri ruinas offendet, ex hujuſmodi tophis conſtructi. Quin etiam eodem loco reperiet Eccleſiæ cujuſdam veſtigia parietum, feneſtrarum, & cæterarum partium adhuc ſuperſtitum, ruderibus illam fermè ætatem indicantia.

Hujuſmodi conſtructionis formam tandiù ſervatam eſſe conjicio, quamdiù Sedes Apoſtolica Romanæ perſtitit: nam Avenionem translata, ſecum abduxiſſe viſa eſt Urbis Romæ decorem, ac ipſam propemodum vitam, artiumque, ſi quę erant, ſpem & progreſſum, Civitas porrò in eam ſolitudinem perſit, ut incolę ad quatuor millia vix ceſtingerent, teſte Blondo, niſi memoriâ fallar. Artes verò, præſertim eæ, quę ad ędificandi rationem ſpectant, omnino corruerunt, itaut ęgrè potuerint ſęculorum ſubſequentium, & diuturnę pacis beneficio convaleſcere: tunc enim ſolâ neceſſitate Magiſtrâ edocti ſunt homines ex confractis ędificiorum veterum fragmentis, ſaxiſque, & ruderibus, quę ſors tulerat, opera tumultuaria excitare. Vitium quoque peſſimum in noſtram uſque ętatem irrepſit, licet immunem hanc reddere debuiſſent ab hujuſmodi mendis reſtituta bonarum Artium univerſitas: nam etiamnum viget paſſim cõſuetudo barbarę conſtructionis, quamvis ęvi prętereuntis felicitas eouſque pręſtantiam evexerit Architecturę, ut nobiliora veterum opera vel ęquari videantur, vel ſuperari. Imperatorum certè ſtructura

ctura lateritia poſtliminio redux inſpicitur in facie Palatii Farneſiani, à celebri Architecto Michaële Angelo Buonarota excitati: in exterioribus etiam Collegii Romani parietibus; nec non Domûs Profeſſę Societ. Jesu, & quampluribus aliis ędibus, quę in dies eriguntur.

Attamen pro reſtitutę Architecturę virtutibus, vitia tumultuarię conſtructionis à pluribus eliguntur, qui compendio rei familiaris cunſulere putant, ut minori impendio heredes reparationibus incumbere poſſint.

Gratulari tamen poſſumus ęvo noſtro, cujus opera quum in ruinis requirent poſteri, vel component cum optimis, vel laudatiſſimis prędicent.

## CAPUT IX.

*Quomodo ex numero, amplitudine, ac forma feneſtrarum, tempus quo Aedificia conſtructa ſint, deduci valeat.*

*Quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, debemus ſeparare; meliùs enim diſtincta ſervantur. Deinde adhibitâ ingenii noſtri curâ, & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere.* Ita olim Seneca Lucilio ſuadebat Epiſt. 84. Idem mihi ſervare placuit in legendis antiquorum ruderum monimentis, quorum ſpecies apertum volumen eſt, ſuam referens autographiam. Diligenter enim à ſingulis cùm proprias quaſdam notas excerpſerim, variam conſtructionem, ac temporum indolem indicantes, ita volui unamquamque certis capitibus ſigillatim includere, ut omnes in unam ętatis, ac hiſtorię ſuę teſſeram coaleſcerent. Poſtquam igitur ſuperiori Diſſertatione conati ſumus expendere, quomodo ex antiquorum ædificiorum cæmentis illorum ætâs probabili ſententiâ poſſet dijudicari; reliquum eſt, ut experiamur, an alia ſuperſint in hiſce ruderibus partium diſcrimina, in quibus nativa veluti effigies cujuſque ſæculi appareat.

Feneſtrarum figura, & numerus, plurimum mihi videtur conferre ad hanc rem illuſtrandam. Neque enim varietatem illarum adeò promiſcuè uſurpatam priſcis temporibus autumo, ut certis quibuſdam regulis adſtringi non patiatur. Et quamvis aliarum latitudo major ſit, aliarum baſis anguſtior, rotundæ aliæ, aliæ quadratæ, quædam ſemicirculares, quædam biſſectæ, formâ denique, ſerie, numero, inter ſe diſcrepent: ſervant tamen (ut ex antiquis ædificiis longâ inſpectione didici) analogiam quandam eæ, quarum ætas communis eſt, produntque (ut ita dicam) ſingulæ ſuas æquales.

Neque verò, cùm noſtras obſervationes adduxerim, aliorum conjecturas excludo, quinimmò lubentiſſimè conſuluiſſem Auctores rerum antiquarum ſtudioſos, ſi quenquam reſciviſſem in hac materia typis aliquid conſignâſſe. Verùm, cùm nullus, quem adhuc ſciam, hæc proſecutus ſit, aut animadverterit, amicorum tantummodo, quibus cum aliquando ſermonem ſuper his habui, quaſi inter ſe diſſerentium opiniones adducam, ac noſtræ demum ſententiæ locum faciam, quando illis dicendi prærogativa, uti par eſt, delata fuerit.

Nihil itaque intercedere arbitrantur nonnulli, altæ ne ſint, an depreſſæ ſacrarum ædium feneſtræ, dummodò ſint anguſtæ: perinde enim unius, ac alterius formæ optionem fuiſſe apud priſcos, & utramque promiſcuè uſurpâſſe Architectos, quorum una mens erat, immodicum lumen excludere. Peræquè igitur vetuſtatis characterem illis tribuunt (quacunque tandem figurâ fuerint) ſi arctiùs excavatæ brevi ambitu, parcam lucem admittant. Ut autem probent, propoſitum id fuiſſe primarum Eccleſiarum Structoribus, modicum lumen excipere, hæc fermè conſiderant: ſub Chriſtianæ Religionis exordium, in cryptis plerunque, & latibulis, metu ſcilicet ingruente perſecutionum, conventus Fidelium haberi conſueviſſe; ibi divina tractare Myſteria; ibi ſacris ſermonibus eò frequentiùs indulgere, quò tutiùs poterant; ibi Dominicæ menſæ participes fieri; ibi denique Eccleſiam (unde loco nomen) congregare. Compoſitis inde fluctibus, cùm quies Fidelibus redderetur, poſſentque jam in apertum prodire; eos tamen antiqua cryptarum ſilentia amaviſſe, ſeu loci conſuetudine, ſeu Martyrum memoriâ ſimilitudinem latebrarum ſuadente, ſeu Religionis conſtantiâ in ſanctiſſimis Patrum ritibus cuſtodiendis. Hinc ne formam quidem feneſtrarum fuiſſe apud eos mutatam, etſi novæ in dies Eccleſiæ conſtruerentur.

Sed illi, qui indicium æui antiquioris deferunt amplis feneſtris, præcepta ſervari à priſcis ſolita in Baſilicis conſtruendis adducunt. Conſtat proculdubio Vitruvium lumini propenſiorem ſe præbuiſſe in earundem forma definienda. Cùm verò Baſilicas Romanorum (unde ædibus Chriſtianorum, omine meliori, utpotè Regi Regum ſacratis, nomen deductum eſt) imitati potiſſimùm ſint Principes, primi Eccleſiarum in Urbe erectores, evenit, ut inter cætera Vitruvii præcepta, ſervarent etiam feneſtrarum amplitudinem, & numerum, à quo dignitas quædam, & elegantia, non ſine utili, notabilique compendio proveniebat. Nam copia lucis, præterquàm quod innocentem parit hilaritatem, & reverentiam eorum, quos præſentes videmus, expreſſiùs legendis ſacris Codicibus, ac reliquis Clericorum miniſteriis obeundis plurimum opitulatur: quemadmodum in Baſilicis gentium juri dicendo poſitis lumen uberrimum quærebatur, ut poſſent faciliùs tabulæ litigantium recitari, aut tranſcribi. Quæ cùm non perpenderent Wandali, Italiæ devaſtatores, dum templa reficerent, vel erigerent, pro ſuorum fortaſſis conſilio, aut conſuetudine, qui frigoris excludendi gratiâ (ut de Borealium Regionum cultoribus ſuſpicari par eſt) vel nullas, vel raras admodum, eaſque arctiſſimas aperuère feneſtras, ſuumque morem, unà cum cæteris artium detrimentis, noſtris finibus intulère. His itaque argumentis adducti nonnulli, antiquiores Eccleſias reputant eas, quæ pluribus, aut certè auguſtioribus feneſtris multam lucem excipiunt.

Hæc fermè ſunt, quæ utrinque proferuntur in hoc antiquitatis criterio, deducta potiùs à conjecturis veriſimilibus, quàm à diligentiori vetuſtarum ædium indagine. Addere adhuc valerent poſtremæ ſententię aſſertores, plurimas ſupereſſe Baſilicas, quarum de primo, eoque antiquiſſimo con-

conſtructionis tempore, controverſia nulla eſt, in quibus feneſtræ numero, & amplitudine inſignes reperiuntur.

Attulimus ſuprà exemplaria Baſilicarum Sicinianę, Seſſorianę, ac Divi Pauli, quę ſola ſupra centum & viginti feneſtras habet, magnitudine non mediocres, ut ſupra cap. 1. indicavimus. Afferri hîc etiam poſſent ędificia poſteriora, Baſilicę nempe SS. Ioannis & Pauli ſęculo quarto conſtructa, ut Pancirolus narrat. Conſtat hæc opere lateritio; ſingula illius latera treſdecim feneſtris ornantur, quarum latitudo eſt, oculo judice, palmorum quinque; altitudo verò ſeſquidupla.

Unicuique feneſtræ imminet alia orbicularis, cujus diameter ad quinque circiter palmos extenditur: ejuſdem magnitudinis quinque in fronte ædificii laxantur.

Eccleſiæ itidem S. Sabinæ (de cujus antiquitate inferiùs diſſeremus) totidem, treſdecim nempe feneſtras obtinet, latas palmos decem, altas viginti, in fronte verò quinque, altitudinis ejuſdem, & latitudinis. Ab hac non procul, Eccleſia S. Balbinę, cujus quamvis ignoretur, vetuſtiſſima tamen creditur fundationis ætas, cùm eundem in Architectura ſervet ordinem cum Baſilica Seſſoriana; in quolibet latere ſex habet feneſtras latas pal. 8. altas 16. ſub eiſdem feneſtris apparent arcuum veſtigia ad illorum ſimilitudinem, quos videmus in eadem Baſilica Seſſoriana, ut tabula orthographica ſub num. 5. ſuperiùs allata demonſtrat. Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani quinque ingentes feneſtras habet in facie pal. 16. latas; altas 18. lateralibus caret, cùm nova murorum ſtructura in anguſtiorem formam redactaſit. Etiam extra Urbem viâ Tiburtinâ, vidi ſemidirutam Baſilicam S. Simphoroſæ (ut fama fert) olim dicatam, cujus feneſtræ in latitudinem, & longitudinem inſignem extendebantur. Retulimus feneſtras, quæ adhuc hodie viſuntur: demolitarum verò unicum ſub oculis venit exemplum; nempe antiquæ Vaticanæ Baſilicæ, ubi ad numerum octoginta octo erant, quarum latitudinem, & altitudinem deſcribit Alpharanus in ſuo tractatu MS. de eadem Baſilica. Plures aliæ ſimiles Eccleſiæ afferri poſſent, quæ brevitatis cauſsâ omittuntur; cùm illæ, quas hucuſque congeſſimus, ſatìs ſuperque eſſe poſſint ad oſtendendum antiquas Baſilicas abundâſſe feneſtris, formamque illarum ante tempora Conſtantini incœpiſſe. Hunc autem uſum Baſilicas conſtruendi feneſtrarum numero abundantes, non Romæ ſolummodò viguiſſe, verùm etiam extra Italiam, ex infraſcripta S. Gregorii Turonenſis narratione probatur, qui lib. 2. *Hiſtoriæ Francorum*, deſcribens formam templi Turone à Perpetuo ipſius Eccleſiæ Epiſcopo circa annum 460. conſtructi, *Feneſtras* (ait) *in Altario triginta duas, in Capſo viginti, columnas* 41. *in toto ædificio, feneſtras* 52. *columnas* 120. *oſtia octo, tria in Altario, quinque in Capſo*. Idem deducitur ex Euſebio, qui Conſtantini Magni ęqualis hæc protulit lib. 10 hiſt. cap 4. in oratione Panegyrica de ædificatione Eccleſiarum, Paulino Tyriorum Epiſcopo dictâ, ubi ſecundùm Valeſii verſionem ſic ſe habet: *Ad eundem modum, cùm porticibus ad utrumque templi latus fabricatis, parem veſtibulorum numerum diſpoſuiſſet, diverſos aditus,*

*quibus* COPIOSUM LUMEN *ſupernè in ædem infunderetur, ſupra ipſas Porticus excogitavit, eaſque feneſtras variis è ligno ſculpturis minutiſſimi operis ornavit, &c.* ac paullò poſt, ejuſdem Baſilicæ deſcriptionem proſecutus, hæc ſubdit: *Præterea vivos, & ſtabiles, ac firmos animarum lapides undique ſeligens, amplam, ac Regiam Domum ex omnibus conſtruxit: ſplendoris, ac luminis plenam, tam intus, quàm extra, &c.*

Numerus iſte Baſilicarum priori ſententiæ adverſatur; cui tamen aliæ ſuffragantur Eccleſiæ, illis nequaquam originis ſuæ antiquitate cedentes. In his enim anguſti admodum viſuntur aditus lumini admittendo. Ut verum tamen fatear, ſicubi appareat exiguitas feneſtrarum, conſtabit apertè, vel Eccleſias illas non poſſe inter antiquiſſimas recenſeri, vel contractas fuiſſe areas feneſtrarum à reſtauratoribus ſubſequentium ætatum. Manifeſtè id conſpicitur in vetuſtiſſima Baſilica Seſſoriana, quam antea diximus quinas feneſtras in ſingulis lateribus obtinere, latas pal. 20. altas 40. Harum unica tantùm hodie priſcam retinet amplitudinem, eaque Tribunæ proxima eſt, & à columna marmorea biſariàm dividitur. At reliquarum quatuor, una omnino clauſa, tres verò in anguſtius foramen contractæ ſunt, altum 25. pal. latum 3. Neque licet ſuſpicari, coarctionem iſtam in conſtructione contigiſſe, nam ipſa murorum ſtructura, quâ oppleta ſunt ſpatia feneſtrarum, longè diverſam ætatem prodit; præterquàm quod Architectus rogandus erat, quorſum ſpatia tam lata deſignâſſet, qui tam anguſtis hiatibus contentus eſſet?

Plurimum mihi contulit obſervatio iſta Seſſorianæ Baſilicæ in ſententia roboranda, quam de hujuſmodi quæſtione videor mihi proferre poſſe. Meo itaque judicio diſtinctione utendum eſt, quum inquiritur, an vetuſtatis potiùs indicium ſit feneſtrarum anguſtia, vel amplitudo? Si ſub terminis diſputatio proponatur, ex iis, quæ extant, ævo priores reputandæ ſunt, quę majori numero vel amplitudine feneſtrarum pollent, cùm è ſupra dictis apertè conſtet, antiquiſſimas Eccleſiarum, quę apud nos ſunt, ita fuiſſe conſtructas. Si verò ſenſus quęſtionis ſit, an inter antiquitatis indicia, referri poſſit tam amplitudo, quàm anguſtia feneſtrarum? reſpondeo, utramque formam vetuſtatis indicium eſſe, dummodò conſtet, an Monachorum Eccleſia fuerit, vel Clericorum. In hanc me ſententiam manuduxit animadverſio ſuperior, quam in coarctatis Seſſorianę Baſilicę feneſtris notavi. Ut enim ex cæmentis conjicio, murus ille ad reſtringenda ampliora ſpatia feneſtrarum, conſtructus eſt circa ſęculum decimum reparatę ſalutis: eâ verò tempeſtate, Baſilica illa Monachis conceſſa fuit per Benedictum VII. ſedentem in Apoſtolico Solio anno 976. qui Monaſterium in illa ſtatuit, Monachoſque locavit, ut in marmoreo epitaphio eidem Eccleſiæ affixo legitur. Conjecturare ergo poſſumus, ideò excluſum fuiſſe nimium lumen, quod antea in Baſilicam admittebatur, quia Monachis meditantibus fortaſſe officiebat, quominus poſſent intento animo Deo ſoli vacare: non ſecus, ac hodie quoque ſolemus, adductis velis ingentem lucem excludere, quũ publicę adorationi exponitur auguſtiſ-

guſtiſſimum Dominici Corporis Sacramentum, quia tunc temporis Fidelium pietas ſanctis potiſſimùm meditationibus vacat, adeòque moderationi divini fulgoris efficitur, ne faciles nimium in vanitates oculi divagentur: Hinc laxior regula deduci poſſet, quòd nempe templa, quæ à Regularibus ſeu Monachis colebãtur, feneſtris pauciſſimis, aut exiguis illuſtrarentur: è contrario verò Clericorum, quos Sæculares vocant, Eccleſiæ, copiâ vel magnitudine feneſtrarum excellerent: Primi enim cum ſolitudinem, & ſilentium meditaturi ex inſtituto ſuo ſectarentur, cur lumen uberius exquirerent? Secundi verò, cùm ſint ſuper candelabrum poſiti, ut omnibus luceant, qui in domo ſunt, nempe activæ vitæ ſtudia proſequantur, ac propterea Sacramenta Chriſti Fidelibus miniſtrare debeant, num ingentem eorum numerum in claſſes digerere, & incõfusè ſua munera exercere potuiſſent, niſi copiâ lucis accerſitâ univerſos probè diſtinguere, & diſtingui curâſſent? Inſuper accedit, quòd ſacri ritus à Populo confluente conſpici meliùs poterant, & cęrimoniarum myſteria recoli, cùm à ſingulis diſtinctè cernerẽtur Presbyteri, Levitæ, aliique ipſarum Eccleſiaru mminiſtri, quorum etiam aſpectu, & gravitate ad modeſtiam, & religionem eò faciliùs quiſq; componebatur, quò illuſtriùs, & evidentiùs ſanctiſſimorum virorum cultus diſcerneretur. Argumentis quamplurimis ea, quæ diximus, firmari poſſent, quæ inter, unum attingam, quod noſtri inſtituti eſt, cùm ad Eccleſiarum notitiam peculiariter ſpectet. Obſervo nempe quamplures antiquas Monachorũ Baſilicas ita eſſe conſtructas. Sic Eccleſia Sanctæ Mariæ in Aventino, una ex viginti Abbatiis, quarum Abbates Pontifici Max. aſtabant, cùm in Baſilica Lateranenſi Sacra conficeret. Iſta inquam Eccleſia anguſtiſſimas habuit feneſtras, quæ tamen anno præterito ampliatæ ſunt, cùm pia, ſplendidaque Eminentiſſimi Cardinalis Pamphilii liberalitas Eccleſiam reſtauraverit. Illis omnino pares viſuntur in Eccleſia Sancti Gregorii in Clivo Scauri, Sanctæ Priſcæ, Sancti Sabbæ, SS. Coſmæ & Damiani in vico aureo Tranſtyberim; quæ omnes erant ex præfatis viginti Abbatiis, nec non in Eccleſiis SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias, quæ à fundamentis cum Monaſterio ab Honorio I. ſub annum 625. fuit ædificata, ut ſcribit Panvinius *de ſeptem Urbis Eccleſiis*.

Quin etiam in pluribus Monachorum templis extra Romanum agrum conſtructis (ne hîc tantum ſita videar attingere) eandem regulàm ſervatam audio. Profectò in auguſta Baſilica Veronenſi, quam Diuo Zenoni ejus Urbis Epiſcopo Pipinus Caroli Magni filius conſtruxit, cuique colendæ etiamnum Monachi Benedictini addicti ſunt, tanta eſt feneſtrarum anguſtia, ut vir clariſſimus Octavianus Roboretus, omni diſciplinarum genere ornatus, dum illarum Iconem hùc traſmitteret, teſtatus ſit, ſe è templi pavimento judicâſſe, illarum latitudinem ad duos circiter palmos, altitudinem verò ad ſex tantùm pertingere. Quare concludendum exiſtimo, cùm de vetuſtis Eccleſiis agitur, illas, quæ per anguſtas feneſtras diem excipiunt, à Monachis, vel ab aliis in eorundem uſum fuiſſe conſtructas, quarum ea ſæculis anteactis copia, ac frequentia

quentia fuit, ut Miræus in epiſtola dedicatoria ſui Tractatus *originum Monaſticarum*, duo ſupra quinquaginta millia Monaſteria unius ordinis Benedictini fuiſſe, tradiderit: eas verò, quæ per plures, laxioreſque feneſtras lucem admitterent: in populi totius conventum, utque à Clericis, Parochis, vel Canonicis, & Epiſcopo incolerentur, excitatas fuiſſe.

Quandoquidem materia ſuppetit, ut de profanis ædificiis aliqua ſparſim dicam, ubi occaſio ſe obtulerit, abs re fortè non erit, ſi aliqua hîc attingam potiùs quàm proſequar, ad feneſtras ædium privatarum pertinentia. Tempore igitur Imperatorum exiguas eas fuiſſe judicio, & quadratas, atque à columna marmorea bifariàm ſectas, vel etiam paullò plus in latitudinem, quàm in altitudinem extenſas, haſque poſtremas à duplici utplurimùm columna in tria parallelogrammata diſtinctas. Iſtarum exempla viſuntur in antiquiſſima fabrica prope Eccleſiam Sancti Stephani *in Rotundo* vulgò dicti; & in nonnullis æquè vetuſtis domibus in regione Tranſtyberina adhuc ſtantibus: An verò mos iſte per priora duodecim ſæcula à Chriſto nato perpetuò fuerit uſu ſervatus, omnino nullis edoceor monimentis. Sæculo tamen decimo tertio, vel decimo quarto, feneſtræ privatarum ædium hîc Romæ quadrilaterâ formâ conſtruebantur à Cruce marmorea quadrifariàm ſectæ, eâ lege, ut ſuperiores duæ ſectiones quadratæ eſſent, inferiores verò partes cum illis in latitudine, ſed paullò in altitudinem productiores. Exemplo eſſe poſſunt in Urbe Palatia Sancti Marci, Vaticanum antiquum, Capranicum, aliaque, quæ tribus, & ultra, ab hinc ſæculis excitata fuêre.

Illæ demum feneſtræ, quæ in antiquis, ac magnificis templis cernuntur, arcuatæ, & unicâ, vel duabus columnis bifariàm ſectæ, ut in exhibita orthographia Baſilicæ S. Crucis videre eſt; aut trifariàm, ut in veteri Vaticana, non Monachos ibi, ſed Clericos Sæculares divinis Officiis perſolvendis operam navâſſe, demonſtrant.

## CAPUT X.

*De Muſivorum operum origine, nominibus, & ſpeciebus.*

OPERUM Muſivorum originem antiquiſſimam eſſe, & hominum, ac ſæculorum memoriam excedere, neutiquam inficiabitur, qui vel ſupremis utcunque labris literarum Sacrarum monimenta libaverit. Nam Eſther cap. 10. legimus, Aſſuerum Perſarum Regem ſmaragdino, ac Pario lapide pavimentum ſtraviſſe, quod lapillis verſicoloribus arte mirâ diſpoſitis compoſitiſque, picturam emulabatur. Quamobrem facilè adducor ut credam, opificii tam elegantis primordia Perſidi nos debere, quæ iſtiuſmodi lapillorum, quàm feraciſſima fuit, tum incolarum ingenia ad exquiſitioris luxûs irritamenta ſemper inſtruxit. Verùm, è Perſarum confinio ad Aſſyrios finitimos, à quibus ad Græcos, poſtremò in Latium, Syllę temporibus, (ut Plinius Auctor eſt) jugi decoris incremento traductum eſt. Bonarum ſcilicet artium, uti vitiorum propagines, non in altricibus plagis effœtæ ſenio marceſcunt, ſed

in

in varios, ac diffitos populos perenni virore trahuntur.

Muſivum autem opus varia nomina, variumque pro diverſitate etymon ab Auctoribus ſortitum eſt. Quidam enim *Muſivum*, alii *Moſibum*, ut in plurimis accuratiſſimis MS. videre eſt, ac in magno præcipuè Gruteri Inſcriptionum Theſauro: alii *Muſaïcum*, *Muſeacum*, & *Moſiacum* appellant. Porrò qui *Muſivum*, ſive *Muſaïcum* dixêre, à *Muſa* deduci ſunt arbitrati, quòd ſcilicet quaſi Muſæ, ideſt artis eximiæ ſit opus. Qui verò *Muſeacum*, & *Muſiacum*, à *Muſcis* nomen fecêre; ut notavit Joannes Ludovicus Vives in cap. 8. lib. 16. S. Aug. *de Ciuit. Dei*, hâc eâdem voce. Nec deſunt, qui *Muſivum*, aut *Moſivum* à Græco verbo μυσεῖον, ideſt *Muſico cantu*, deducunt, vel ab Hebræa radice מָסַךְ, quæ (ut in Lexico Buxtorfii) ſonat idem, ac *miſcuit*: ex illa enim deducitur מֶסֶךְ hoc eſt *miſtio*, vox uti ſoni affinitate *Moſeaco* proxima, ita *miſturæ* ſignificatione quàm maximè arti hujuſmodi conſentanea. Nam quemadmodum ſi liquores commiſceantur, minimæ eorum partes mutuâ, molliſſimâque colliſione ita copulantur, ut nullus omnino diſtinctioni locus ſuperſit; ſic elegans hæc lapillorum compoſitio fallit oculos, adeò ut quidpiam perpetuum cenſeatur unicâ lapidis venâ, vel eodem coloris ductu conſpicuum. Plinius verò in hoc opere deſcribendo vocem aliam uſurpat, ut in lib. 36. cap. 25. ubi: *Lithoſtrota*, (inquit) *cœptavêre jam ſub Sylla parvulis certè cruſtis, extat hodieque, quod in Fortunæ delubro Prænefte fecit. Pulſa deinde ex humo pavimenta in cameras tranſière è vitro: Novitium & hoc inventum, Aggrippa certè in Thermis, quas Romæ fecit, ſiglinum opus encauſto pinxit: In reliquis albaria adornavit: non dubiè vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet, aut à parietibus Scenæ, ut diximus, Scauri perveniſſet in cameras.* Marcus enim Scaurus primus fuit, qui Scenæ parietes marmore obduxit. Vocem hanc *Lithoſtrota* Iſidorus *de Orig.* lib. 15. cap. 8. ſic exponit: *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ.* Lithoſtrota *parvulis cruſtis ac teſſellis junctis in varios colores.* Quæ quidem vox ex duplici Græca voce conſtat, nempe ex λιθος, ideſt *lapis*, & στρωτὸς ideſt *ſtratus*, à verbo στρώω *ſterno*. Vnde nomen *Lithoſtroti* generalius quiddam eſt, ea omnia complectens, quæ lapidibus ſtrata ſunt, adeoque etiam publica viarum itinera, quæ ſilicibus impolitâ, rudiorique Minerva ſternuntur. Qua de re, cùm Latini Auctores pavimentum deſcriberent, lapide nobiliori nitentia, declinaverunt ab ea voce *Lithoſtrotos*, utpotè nimis laxæ ſignificationis, aliiſque magè propriis uſi ſunt, arti, de qua ſermo eſt, aptioribus. Hinc *teſſellatum*, hinc *ſectile*, inde *ſiglinum*, & *vermiculatum* audivit opus *Muſivum*, totidemque nominibus quot ſpeciebus, inſigne fuit.

Antequam ulteriùs progrediamur, non injucundum fore puto, ſi hìc marmoreum fragmentum ex Agro Tunetano Africæ Florentiam allatum referam, in quo de *Muſivo* opere mentio fit. Habetur hæc inſcriptio in *Miſcellaneis eruditæ antiquitatis* Jacobi Sponii ſect. 2. art. 8. pag. 39. & eſt

unica

unica ex ethnicis, quam apud Epigrammatum Collectores inveni; atque ita se habet:

. . . . . .

PECVNIA PERFECIT ET
DEDICAVIT ET OB DEDICATIONEM PVGILVM CERTAMINA EDIDIT ET DECVRIONIBVS SPORTVLAS ET POPVLO GYMNASIVM EPVLVM DEDIT ET HOC AMPLIVS PRO SVA LIBERALITATE CAMERAM SVPERPOSVIT ET OPERE MVSEO EXORNAVIT . . . . . .
. . . .CVM . . .AREIS. . . FELICE ET RVFINO III. . . . ISDED. OB QVAM DEDICAT. EPVL. DEC. ET. POP. FRVM. DED.

Notat idem Sponius, hanc inscriptionem videri positam fuisse in alicujus ædis dedicatione, quæ magnâ pompâ celebrata fuerit, pugilum scilicet certaminibus, sportulis, ideſt munusculis, Decurionibus, populo verò epulis & frumento donatis sub Consulatu, ut inde elicitur Felicis, & Rufini; sed quia hoc Consulum par in Fastis non legitur, sed Felix dumtaxat cum Brutio Præsente sub Antonino Pio, quem in annum incidat affirmare non audet.

*Tessellatum* profectò antiquissimum esse videtur, cùm simplicissimum sit, & hoc nomine illud (meo judicio) opus intelligitur, quod è diversis versiculorum marmorum crustis in formas diversas resectis elaboratur; in quadrati videlicet formam, Quadrilateri, Trianguli, sectionis Conicæ, sphericæ, sive circularis, Pentagoni, Hexagoni, Octagoni, & aliarum Geometricarum figurarum, quæ variè inter se dispositæ, insimulque conjunctæ, non inconcinnum oculis præbent aspectum. Ex his *tessellatis* operibus plurima Romæ visuntur antiqua veterum Ecclesiarum pavimenta; è quibus duo affero exempla; unum sub Fig. I. Tab. XXIX. quod est in Ecclesia S. Clementis, ac alterum summè probatum, ut in Fig. 2. quod est in Ecclesia S. Silvestri, in atrio alterius Ecclesiæ SS. Quatuor Coronatorum.

*Sectile* deinde, post *tessellatum* inventum est, in quo tribus, aut duobus tantummodo diversorum colorum marmoribus, hominum, & animalium figuræ repræsentantur; sic dictum à *Seco*, quod prius in tenuissima marmoris lamina figura delineatur, deinde serram per figuræ delineamenta circumvolvendo, secatur lapis, cujus rimis, sive lacunis alterius coloris lapis inseritur; è quorum diversitate colorum, ac variis lineamentis figura efficitur, ut in Tab. XXII videri potest.

Hujusmodi *sectilis* operis monimenta satìs antiqua spectantur in Cathedrali Anconitana, cùm in fronte, tum intra Ecclesiam, in qua plurimæ Sanctorum imagines rudi arte, ut ea ferebant tempora, expressæ sunt.

Multò tamen antiquiùs, & ornatiùs etiam apud vetustiores *tessellati* operis rationem floruisse, facilè credam, cùm apud eosdem difficilior Musivorum ars culta fuerit.

Musiva itaque opera ab antiquis post *tessellatum*, ac *sectile* adinventa fuisse, non improbabili conjecturâ argui potest: ea siquidem esse solent artium quarumlibet fata, ut ab humillimo principio ad summum fastigium attollantur. Structuræ hujusmodi specimen in illo eodem opere adhuc supereſt,

Fig. 1.





Fig. 2.



Fig 1

Fig 2

Fig 3

TAB. XXX.

Fig. 2.

pereſt, quod à Plinio paullò ſuperiùs indicatum fuit in Prænestino Fortunæ delubro: aſſervaturque ibidem in Palatio Excellentiſſimi Maphæi Barberini ad præſens ipſius Civitatis Principis. Ejuſdem Muſivi operis Iconem oſtendo in Tab. XXX. ſub Fig. 1. Conſtat autem hoc Muſivum opus è minutiſſimis diverſorum marmorum, diverſorumque colorum lapillis, adeò affabrè elaboratum, ut illud aſpicientes mirum in ſtuporem trahat. Quid enim repræſentet, ipſe lector ex conjuncto exemplari videre poteſt: quid autem figuræ illæ denotent, bo. mem. Pater Kircherus in ſuo *Latio*, part. 4. cap. 4. interpretari conatus eſt; quali autem fortunâ, eruditis examinandum relinquo. Habes etiam aliud antiquiſſimi Muſivi operis exemplar, quod adhuc ſervatur Lugduni apud D. de Caſſaire, ut refert ſupra laudatus Sponius loco citato, quod habes in Fig. 2. Vides etiam in eadem Tab. ſub Fig. 3. ejuſdem Muſivi operis aliud fragmentum, quod protulit in ſua Præneste bo. mem. Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, Vir cùm eruditione, bonis artibus, ac virtutum exemplo, quibus, dum viveret, apud optimos quoſque præclarè audiebat, præſtantiſſimus; tum ſummâ, ac veteri mecum neceſſitudine conjunctiſſimus.

Poſt Syllæ tempora hominum ingenia per artium apices gliſcentia, præſtantiùs ſe exercuerunt, adeò ut ætate Agrippæ pavimenta figlini operis encauſto picti, ſternere cogitaverint, ut habetur ex Plinio ſupracitato.

Hujuſmodi operis ſpecies hoc tempore in lucem eſt revocata, cùm & hîc aliquæ privatorum Cameræ, & Venetiis ferè omnia, talibus figulinis operibus encauſto pictis pavimenta ſternantur. Temporum illorum ingenia novo huic invento non aquieſcentia, nobilius quoddam opus excogitârunt, non ex marmoribus; aut figulina, ſed ex vitro colorato: Cumque illud pulcherrimum, ac eximium appareret, non pavimentis, ſed parietibus accommodârunt: cujuſmodi operis nullam prorſus aliam memoriam reperi, præter eam, quæ in variis Urbis Eccleſiis viſitur. Ejus exemplaria inferiùs afferam, quum de Eccleſiis ſermo erit.

Supereſt modò, quid, qualeve ſit opus *vermiculatum*, oſtendere; quod nîl aliud puto intelligendum, niſi Muſivum, ſed minutis adeò lapillis formatum, ut vermium aſpectum cominùs repræſentet, qui dorſum variegatâ macularum ſerie, tot veluti punctis depictum habent; unde *vermiculati operis* nomen fortè deſcendit. Quin & ab eiſdem curioſiùs, ac diligentiùs obſervatis, fortaſſe artis exordia deducta ſunt; ſi enim attentè lacertarum cutis, & ſerpentum exuviæ inſpiciantur, miram certè præſeferunt areolarum compagem à Muſivorum fruſtulis minimè abludentem. Genus verò Muſivorum in plures differentias dividitur, magnitudine lapillorum finitas, adeò ut alia *majora* dici poſſint, alia *minora*, ſeu *media* alia *minima*. *Majora* ſunt, quæ effinguntur quadratis ſcrupulis, quorum ſingulę facies, ſeu latera tria circiter minuta Romani pedis expleant: Quæ verò duobus minutis patent, *minora*: Quæ tandem unico, *minima* vocitantur. At hæc iſto loco de Muſivorum operum differentia genericè dicta ſunt, cùm in cap. ſequenti ſpecialiùs dicturi ſimus.

*Majoribus* Muſivis operibus priſci Romani ſternere conſueverunt quæ pedibus calcabantur, & ut plurimùm ſub dio poſita erant. Hoc enim operis genus durabile maximè eſt, injuriis temporum minimè obnoxium. Verum non hominum, aut animalium figuras, ſed foliatas tantùm picturas, illiſque perſimiles, quas Arabicas nominamus, repræſentabat.

*Medium* inde opus, minoribus (ut jam dictum eſt) lapidibus conficitur; ideoque facilius in eo exprimi poſſunt figuræ, quæ licèt lapidum diverſorum cruſtis, ſive fragmentis formatæ, rudes nihilominus apparent. Duo hîc afferuntur exempla; primùm in Tab. XXXI. ſub Fig. 1. extatque adhuc integrum in Baſilica S. Laurentii in agro Verano; alterum ſub Fig. 2. quod in Baſilica Liberiana, cùm penè lacerum diù jacuiſſet, anno Jubilæi 1675. bo. me. Fabritius Guaſtaferrus neceſſarius meus reſtituit; & hodie iterum in ruinam labitur.

*Minimi* demùm operis prævetuſtis temporibus elaborati, exemplum eſt in Eccleſia S. Alexii, dextrâ mox ingredientibus parieti affixum, quod olim in pavimento jacuiſſe memini: hoc verò illud eſſe opus, quod *vermiculatum* propriè dicitur, ſemper ſum arbitratus. Hujus occaſione quatuor alia antiqua, & profana exempla in Lectoris gratiam ſub oculis referre duco, quæ habes in Tab. XXXII. ubi ſub num. 4. ſupradictum *vermiculatum* opus expreſſum eſt, & adhuc viſitur in eadem Eccleſia S. Alexii. Alia duo ſub num. 1. & 2. ſunt in Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim in Paraſtata, quæ triumphalem arcum ſuſtinet, ac è conſpectu Sacrarii. Tertium verò ſub num. 3. anno præterito repertum fuit in quodam antiquo Monimento, tertio ab Urbe lapide, extra Portam Aſinariam, nunc S. Joannis via Latinâ. Figura hîc expreſſa Somni (nî fallor) imaginem repræſentat, cùm tota nigra ſit, alludens ad tenebras noctis; ſiniſtrâ tenet tres flores, quos papaveris eſſe judicio, quod Somnum conciliat, eſtque ipſius Somni characteriſmus: quid autem dextrâ ferret, haud appareret, cum temporis lapſu deletum ſit: fortè verò cornu illud erat, in quo aquam Lethæam geſtâſſe, Poëtæ fabulantur.

Allatis exemplis, nonnulla etiam alia vetuſta adjiciam, quæ cùm pauciſſimis nota ſint, ideò gratiora fore confido. Primum habes in Tabula XXXIII. ubi Europam Agenoris Regis Phœniciæ filiam à Jove in bovis formam transformato, raptam vides. Quod ex Ovidio Metamorph. 2. aliiſque, notiſſimus eſt.

Muſivum hoc adeò minutis marmoreis lapillis conſtat, ut artis miraculum dici poſſit. Hodie inter ſpectabiliora Eminentiſs. Cardinalis Caroli Barberini aſſervatur, & quaquà libeat, inſtar tabulæ pictæ movetur. Habet in altitudine palmos tres, uncias novem, tantundem ferè in latitudine.

Hoc Muſivum opus nobis ſignificavit amicus noſter Stephanus Fantonus Caſtruccius, nobilis Prænestinus, ipſius Civitatis copiarum equeſtrium Ductor, extra, ac prope ejuſdem Civitatis mœnia repertum fuiſſe, in loco vulgò dicto *l'Arcione*: ubi adhuc multa rudera, multæque parietinæ viſuntur, quæ antiquitùs variis marmorum incruſtationibus, variiſque columnis, aliiſque Corinthiacis ornamentis ob-

ductæ

Fig. 1.

Fig. 2.
PAPARO
NE
Ioho
PAPA
RONE
FILI
EI
FABRITIVS GVNSTA FERRVS LAVRÆ PAPARONE EX FILIA NEPOS REST CVR

TAB XXXII




pag. 82.

TAB XXXIII
pag. 82.

n°II.

n°III.

ductæ erant, ex quibus; & ipso Musivo, ejusdem fabricæ magnificentia deducitur.

Secundum Musivum expono in Tab. XXXIV. sub num. 1. Hoc quoque minutissimis lapillis compactum est, servaturque penès Eminent. & Rever. D. Flavium Cardinalem Chisium. In hujus autem explicatione non laboro, cùm unicè ab opificis sui arbitratu dependeat. Magnitudo picturę est palmorum duorum cum dimidio.

Tertium in eadem Tabula sub num. 2. elaboratum est in tabula figulina: hujus exemplar habui à laudato Illustris. D. Equite Carolo Antonio à Puteo, antiquarum eruditionum, ac literarum amantissimo, cujus vestigia sequitur Eques Gabriel ejus filius. Quid in eodem expressum sit, nempe supracitatum Europæ raptum, pictura ipsa docet.

Quartum opus Musivum exhibeo sub num. 3. in eadem Tabula XXXIV. visiturque hodie in Oppido Mevaniæ, quod olim Urbs erat Episcopalis Umbriæ ad Clitumnum fluvium viâ Flaminiâ, sex millibus à Fulgineo passibus, à Perusia verò duodecim distans, armentorum, gregumque copiâ percelebris. De ea fusè antiqui Scriptores meminêre, utpotè Plinius, Columella, Lucanus, Silius, Statius, Propertius, Strabo, Ptolomæus, & alii. Innocentium jam ejusdem Civitatis Episcopum anno 487. subscripsisse comperio in Concilio III. Romano *De lapsis Africanæ Ecclesiæ recipiendis* sub Felice, ac iterum anno 499. in alio Concilio Romano, videlicet I. ubi actum fuit *De tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis* sub Symmacho. Hæc præmittenda curavi ad ejusdem Urbis antiquitatem, atque splendorem insinuandum, ut ex parietinis, quæ adhuc ibidem visuntur, argui potest: nam adhuc tria pavimenta lapillis marmoreis strata supersunt. Primum cernitur in domibus Alexandri Alberti in duabus cameris, quarum prima lapillis unciarum duarum circiter, albi, & nigri coloris non uno modo dispositis, variegatur.

Secundæ verò cameræ lapilli in magnitudine primos excedunt, cùm in qualibet facie sint minutorum circiter octo, omnes tamen ex albo marmore.

Secundum pavimentum (proh dolor!) in stabulo est Jacobi Luciani, quod à temporis, & animalium injuria, ut evenire necesse erat, valde corrosum est. Lapilli pavimentum ornantes cùm magnitudine, tum coloribus, eos imitantur, quos in duabus cameris Alexandri Alberti extare jam diximus.

Tertium pavimentum ab hoc haud procul distat, ejusque longitudo est passuum decem, latitudo verò septem: Stratum est lapillis marmoreis albis, & nigris, magnitudine circiter unciarum duarum; varios pisces repræsentantibus, ut in dicta Tab. XXXIV. num. 3. conspici potest. Visuntur enim ibi tres Delphini, duæ Locustæ, unus Polypus, necnon ipsæ Neptunus cum Tridente, sive aliud marinum numen, necnon vestigia trium aliorum piscium, quorum non modica pars ævo dilapsa est; si tamen divinari fas sit, unus est Vitulus marinus, alter Equus marinus, tertius verò penitus ignoratur. Hinc haud temerè deduci potest, antiquitùs ibi Balneum extitisse, in quo aquarum copia, ac perspicuitas oculis aspicientium hujusmodi piscium figuris

illuderet, cùm cominùs intuentibus aquam, imagines earum rerum, quæ in imo cujuslibet vasis sunt, sursum eleventur, unde visui gratissimus error. Horum pavimentorum peculiarem notitiam debemus Reverendiss. D. Abbati Ambrosio Spezia, qui eam illinc nobis obtinuit.

Musivorum huc usque operum originem, nomina, speciesque, & eorum in Italiam introductionem, ac progressum narravimus; sed, ut uberior sit historica hæc narratio, silentio mihi minimè prætereundum est, quid scripserit de iisdem Leo Ostiensis in Chronico Monasteriii Casinensis; quod Notis illustravit Illustrissimus, ac eruditissimus vir Angelus de Nuce, olim ejusdem Monasterii Abbas, postmodùm Archiepiscopus Rossanensis, literatorum nulli secundus, & mihi summá necessitudine conjunctissimus. Ostiensis igitur lib. 3. cap. 28. ait. Desiderium ejusdem Monasterii Abbatem, postea Cardinalem, anno Dominicæ Incarnationis MLXVI. novam Ecclesiæ fabricam inchoâsse in honorem S. Benedicti, & in cap. 29. sequenti: *Legatos Constantinopolim ad locandos Artifices destinat, peritos in arte* Musivaria, *& quadrataria, ex quibus alii Absidam, & Arcum, atque vestibulum majoris Basilicæ,* Musivo *comerent; alii verò totius Ecclesiæ pavimentum diversorum lapidum varietate consternerent. Quarum artium tunc ei destinati Magistri, cujus perfectionis extiterint, in eorum est operibus extimari; cùm & in* Musivo *animatas ferè autumet se quisque figuras, & quæque virentia cernere, & in marmoribus omnigenûm colorum flores pulchrâ putet diversitate vernare. Et quoniam artium istarum ingenium, à quingentis & ultra jam annis Magistra Latinitas intermiserat, & studio hujus inspirante, & cooperante Deo nostro, hoc tempore recuperare promeruit, ne sanè id ultra Italiæ deperiret, studuit vir totius prudentiæ, pleroscque de Monasterii pueris diligenter iisdem artibus erudiri.* Ipsa Leonis verba retuli, ut appareat, quàm facilis ad efferenda Desiderii Cardinalis opera fuerit: nam inter postremum, quod Romæ constructum est Musivum, ac illud, quod in Monte Casino fuit, nõ interceſsère nisi ducenti ac septuaginta circiter anni, nõ autem quingenti; Romanum namq; est Triclinium Lateranense adhuc extans, & à Leone III. qui circa finem VIII. sæculi Pontificatum gessit, excitatum.

## CAPUT XI.

### *Ex quanam materia Opera Musiva componantur, & quomodo ipsæ materiæ præparentur,*

DVO tantùm in operum Musivorum compositione requiruntur; lapilli videlicet, & gluten. Primò igitur de lapillis, mox de glutine differemus. Antiquiora Musiva opera ex lapidum crustis constitisse quis ambigat, cùm ex Sacra Scriptura, & ex Plinio superiùs relatis id evidenter appareat?

Sub Augusti deinde tempora, cùm summoperè, ac mirum in modum Romanorum opera, ac ingenia florerent, novum prodiit inventum, ut ex Plinio audivimus, pingendi scilicet nobiliores ex vitri frustulis non uno modo coloratis opere encaustico Imagines.

nes. Quis hanc artem invenerit, ob ſilentium antiquorum latet; ipſius vitri preparatione, ſtudio brevitatis omiſsâ, cùm luculenter de illa ſcripſerit Nerius in *Arte vitraria*, ad ipſius coctionem me confero, unde *encauſtum* Græco vocabulo dicitur, nec non reliquam politionem, quæ illi adhibenda eſt, antequam parietibus inſeri, componendiſque figuris valeat uſurpari.

Paratâ igitur à vitrario maſsâ vitri, in plures dividitur terreas ſartagines, vim ignis patientes, pro colorum numero (ſeorſim enim ſingulis proprius color commiſcetur) ac per integrum octo dierum ſpatium valido igne ſuppoſito fornaci committitur excoquenda.

Abſolutâ coctione, ferrei cochlearis ope vitrum elicitur, politoque marmori infunditur horizontaliter locato, ut inſitæ gravitatis vi dilatari queat in placentulas ſubſidentes. Quod ut faciliùs contingat, imponitur ſupernè marmor aliud lævigatum, quo premente, validiùs comprimitur utraque vitri ſuperficies, & in æqualem placentulam craſſam circiter tribus minutis unciæ Romani pedis, redigitur.

Ita comparatis ſingulorum colorum orbiculis utrimque levigatis, ferreum ſcalprum, quod Italis dicitur *il tagliuolo*, lapidi imponitur, acieque ſurſùm ſpectante, ita locatur, ut placentulæ vitreæ ferro acutiſſimo inſtratæ, dividi commodè in ſtrias longiuſculas poſſint. Quapropter ita ſcalpro aptantur placentulæ, ut extrorſum promineant tribus circiter unciæ minutis, juxta fruſtulorum latitudinem: tum malleolo leviter adacto, ictus ſupernè iterantur, quouſque acies ferri intimam placentulam pervadens, illam in parallelepipeda longiuſcula ſecet. Hæc verò ſingillatim ſcalpro imponuntur, ac decuſſatâ diviſione in cubica rediguntur corpora, quibus tanquam elementis Muſiva compingantur.

Hæc tamen dividendorum fruſtulorum methodus *majori* tantùm inſervit Muſeaco. Alia uſurpantur organa in ſecandis *medii* Muſivi teſſeris: res enim nec ſcalpro, nec malleolo perficitur, ſed æreâ ferrâ, ſive continuâ edentulâ, & ſmyride opus eſt: ſive malis cubos omninò æquales efformare, imponenda erunt fruſtula vitrea rotæ plumbeæ verſatili, cujus celerrimo motu, non ſecùs ac in gemmis fit, eorum ſuperficies quadratæ, læveſque reddantur.

Eidem rotæ expoliendæ commendantur *minimi* Muſeaci teſſeræ, quæ non educuntur è ſtriis, aut placentulis, ut in ſuperioribus Muſivorum ſpeciebus: vitrum enim, quod in iſta inſumendum eſt, ſtatim atque è fornace fuerit eductum, in tenuia filamenta elongatur; hæc verò minutè conciſa, in breviſſimos cylindros rotæ corroſione ad cubicam figuram atteruntur.

Eadem poliendi ratio in coloribus ſingulis eſt; ſecùs in ea vitri parte, quæ auro obducitur; illa enim rotæ non ſubditur, ne aurum unà cum vitro abſumatur. Cæterum ad hoc ut auri bractea vitro pertinaciùs adhæreat, eidem imponitur ſtatim atque è fornace candens educitur: quo denuò in fornacem immiſſo, brevi temporis ſpatio tam arctè illi agglutinatur, ut nullo pacto divelli, niſi corrodendo, poſſit.

Hîc lubet inſerere induſtrium Artificum recentiorum conatum, qui in

lucem

lucem revocare tentárunt fictile opus encauſto pictum, ævo Agrippæ olim inventum, ut Plinio teſte didicimus; & nos Itali *Maiolica* denominamus. Ad Muſivorum penu illud etiam traducere contenderunt, prout nuper vidimus in Capella Gregoriana; infelici tamen eventu: hujuſmodi enim conſilium fruſtratus eſt aër, qui mordaci, quo pollet, nitro, non colorem modò teſſellarum obliterat, verùm etiam in pulverem redigit extimam earundem ſuperficiem.

Pars altera, cui caput iſtud addiximus, abſumenda eſt in percenſenda methodo, quâ gluten, ſive marmoratum, Italicè dictum *Stucco*, perfici ſolet. Gluten itaque illud, quo lapilli ad Muſivum pertinentes validè vinciuntur, diverſum apud veteres fuit ab eo, quod à noſtratibus uſurpatur. Antiquitùs calci vivæ aquâ prius extinctæ addebatur marmoreus pulvis, eidem triplà proportione reſpondens, adeò ut ſingulo calcis ſextario v. g. tria marmorei pulveris immiſcerentur. Aquâ deinde communi, & ovorum albumine omnia illa ſubigebantur in maſſam, cui *Marmorati* nomen indidêre. At experimento edocti ſumus, id glutinis genus minus accomodum opificibus contingere: nam ut parieti inductum erat, modico temporis tractu adeò obdureſcebat, ut Muſivarii celeritatem præverteret, ne lapillos diſponere, & aptè collocare ante illius exſiccationem poſſet. Recentiores itaque artifices alio glutine utendum eſſe cenſuerunt, quod moræ diuturnioris patiens eſſet, antequam invictam ævo duritiem concreſceret. Hoc itaque pacto gluten componunt.

Sumitur calcis vivæ aquâ extinctæ portio una, quæ tanta eſſe ſolet, quantam vas capit, in quo calx geſtari ſolet; Italicè dictum *Schifo*. Accipiuntur deinde tres pulveris partes è marmore Tiburtino, non autem alterius ſpeciei; quæ omnia ſimul immiſta, non aquâ, ſed oleo lini molliuntur, ac ſubiguntur, & ſingulo quoque die murario ligone revolvuntur, & contrectantur, uti communis calx ſubigi ſolet: olei lini quantitas in prima congerie ſeptuaginta, vel octoginta librarum eſt; nam calx, & pulvis eòuſque linei oleo irrorantur, donec ſufficienter coagulatæ, & unitæ fuerint ambæ materiæ. Signum autem perfectæ unionis ex infraſcriptis adminiculis deducitur. Congeries, ſive maſſa principio quidem plana eſt, deinde in dies tumeſcit, & ad pyramidis formam elevatur: maſſâ aſſurgente, aqua, quæ erat in calce, ſiccatur; quare oportet ſingulo quoque die maſſam eandem oleo novo irrorare, ne areſcat, & intractabilis fiat: qua in irroratione ſeptem circiter olei libræ ſolent inſumi, juxta maſſæ deſiccationem, quæ modò celerior, modò lentior cedit, pro diverſo locorum ſitu, & aëris temperie. Æſtate enim viginti circiter dierum ſpatio maſſa ad perfectionem deducitur, quod ab ipſa materia cognoſcitur, cùm ſcilicet intumeſcere deſiſtit; quia aqua, quæ erat in calce, jam evanuit; ideoque, ſi extendatur, neque attollitur, neque in ſe concidit, ſed unguenti ad inſtar ſtat. Reliquis verò anni temporibus majus in ejuſdem exſiccatione, & perfectione temporis ſpatium inſumitur, juxta aëris humiditatem; adeò ut hyeme quandoque menſis integer non ſufficiat.

Sciendum tamen eſt, aliquando in urgenti

ırgenti caſu, breviſſimo tempore *Mar-*
*ıoratum* hoc fieri poſſe. Accipitur
nim calx, quæ in aqua prius extincta,
leinde exſiccata, denique in pulverem
edacta fuerit, cum tribus partibus
ɔulveris è lapide Tiburtino, cum oleo
ıupradicto: cunctaque hæc manibus,
ıt in panificio, ſubiguntur, & in maſ-
ſam coguntur. Et hæc de *Marmorati*,
ſive glutinis confectione: modò au-
tem quâ ratione pariter aptetur, oſten-
dendum eſt.

Gluten igitur, antequam ſupra-
murum extendatur, abradere calcem
ıeceſſe eſt, unum inter & alterum la-
terem exiſtentem, eamque excavare,
ut tot canaliculi ad unciæ unius circi-
ter palmi Romani profunditatem for-
mentur, ad eum finem, ut ſuperim-
poſitum gluten tenaciùs muro cohæ-
reat, eas cavitates ſubimplens, ac to-
tidem concatenationes efformans. Si
verò (quod accidit aliquando) murus
ex magnis lapidibus conſtet: quia tunc
cavitates ex calcis abraſione formatæ
lapidum ob latitudinem inter ſe valdè
diſtarent, nec glutini minimus pate-
ret aditus, quo lapidis ſuperficiem-
penetraret, eique pertinaciter inhære-
ret, ut muro perpetuò infixum rema-
neat, & ne divelli quidem poſſit, cla-
vi longitudinis ſaltem unciarum quin-
que, capita grandiora habentes, quo-
rum nempe diameter duas uncias ex-
cedat, eodem ſaxo vi multâ infigan-
tur; ita tamen, ut unus ab altero non
ultra palmi quadrantem diſtet, ac ſin-
guli è marmoris ſuperficie promi-
neant, adeò ut eorum capita amplecti,
& circundare gluten poſſit, iis ſuper-
inductum.

Compendioſius alii inventum ex-
cogitrâunt, cùm ſæpenumero lapidum
tanta durities ſit, ut impervii prorſus,
nec ferro quolibet penetrabiles inve-
niantur: implantatis videlicet clavis
longioribus, ubi fas eſt, validum ferri
filum decuſſatim illis circumducitur,
adeò ut rete quoddam efficiat; quod
impoſito glutine oppletur.

Paries ita præparatus lini oleo illi-
nitur ope penicilli: tum ſubſequenti
die, ſive eodem etiam, prout Muſiva-
rio libuerit, gluten expanditur, ſo-
lentque utplurimùm viginti quatuor
tantùm palmos obducere penſum,
quod abſolvi facilè poteſt, antequam
gluten obdureſcat. Hoc verò molliùs
præparatur, ut celeriùs excipiat in-
truſos encauſti lapillos. Glutinis len-
tor uſque ad vigeſimum circiter diem
perdurare ſolet; quo temporis ſpatio
abſoluto, lini oleum corporibus per-
miſtum proſilit, & marmoris, calciſ-
que compages in duram ſuperficiem
obcalleſcit. Hanc verò ſi emollire-
iterum cupias, ferro in lanceæ formam
acuminato, aut trullâ, erit concidenda,
decuſſatis impreſſionibus ad retis ima-
ginem, trullaque rurſus obtrectanda,
quouſque lapillis iterum recipiendis
obtemperet. Lini oleum à recentio-
ribus maſſæ commiſtum, diſcriminat
ab antiquorum glutine, gluten junio-
rum; hoc enim luteum evadit, cùm
illud ad albitudinem vergat, unda-
etiam coſtructionis tempus eruitur.

Habes itaque Lector ea, quæ ad
Muſivorum operum fabricam perti-
nent, nedum genericè prolata, ſed
etiam ſingillatim explicita pro ſingu-
lis eorumdem ſpeciebus, quas elegan-
tiſſimè elaboratas inſpicies, ſi Romam
veneris. Si elenchum inſigniorum
expoſtulas, en tibi carptim recenſeo.

Primæ magnitudinis ſunt ferè
omnia

omnia Muſiva antiqua. Secundæ, ſeu *mediæ* in fornice Vaticanæ Baſilicæ eſt inſigne Gentilitium ſanc. mem. Pauli V. In Eccleſia Sancti Alexii de Urbe, ubi depoſitum vides bo. me. Cardin. à Balneo, tholus eſt operis imperfecti. In Eccleſia S. Mariæ Scalæ Cæli, ad tres fontes, Tribuna eſt Scipionis Provenzalis Muſivarii. In Eccleſia S. Laurentii extra mœnia, Imago Rondinini, opus Cæſaris Vacchi diſcipuli Io: Baptiſtæ Callandræ. Sunt & alia nonnulla vetuſtiora; ut facies Baſilicæ S. Pauli extra Urbem: Abſis Baſilicæ Theodori, & alia, de quibus ſuo loco.

Tertiæ ſpeciei, ſive *minimi* Muſeaci exemplaria, ſunt in Vaticana Baſilica. Altare cum tabula Muſiva, in qua exhibetur S. Michaël Archangelus: hujus Artifex, ſive Muſivarius fuit ſupramemoratus Ioannes Baptiſta Callandra, cui pro quolibet palmo quadrato, in induſtrii laboris præmium, ſoluta fuiſſe quindecim ſcuta fama eſt, exceptis encauſto, & aliis cæmentis. In Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam Imago cũ duplici ſtemmate Octaviani Ubaldini. In Eccleſia S. Claræ Imago Marii Bovii, omnia Callandræ ejuſdem opera. In Palatio Excellentiſs. Principis Burgheſii extat opere minutiſſimo Imago Pauli V. Sum. Pontif. continens, ut fama eſt, lapillorum decies & ſepties centena millia. Artificii ejuſdem alię duæ, quarum una Orpheum refert animalibus variæ ſpeciei quamplurimis conſtipatum: altera verò, loca campeſtria; in quibus omnibus Eques Marcellus Provenzalis inſudavit, ejuſque ſudores, & curam, Pontifex ipſe, manu etiam in poſteros ejus liberali, rependit.

Allatis notitiis non incongruum hîc reor addere pretium laboris, quod primis in nova Baſilica Vaticana laborantibus Muſivariis ſolutum fuit. Quatuor igitur ſcuta pro quolibet palmo quadrato retulêre, qui primum in ea Muſivum, ideſt, Imaginem Patris æterni in concameratione parvi tholi, & in Summâ peripheria magni tholi literas, nec non ſtellas uſque ad Icones Apoſtolorum moliti fuerunt. Vulgatâ verò per Orbem Terrarum famâ tam immodici pretii, & copiæ Muſivi operis, quod inibi conſtrui cœperat, plurimos Muſivarios, Venetiis eâ tempeſtate degentes, Romam vocavit, incitavitque. Quapropter aucto, & in dies creſcente numero Artificum, decreſcere præmium cœpit, & ad Iulios viginti quinque, ideſt, ſcuta duo cum dimidio, redactum fuit. Noviſſimè autem denuò imminutum, ſex tantùm pro quolibet palmo Iulios non excedit.

## CAPUT XII.

### *Quid requiratur, ad Muſivi operis pulchritudinem, & elegantiam.*

PICTURAM, & opus Muſivum penè germana eſſe dixeris, dum utriuſque munus præcipuum eſt, oculis hominum variâ, pulcherrimâque colorum ſcenâ blandiri, & ea bellè repræſentare, quæ vel intimos animi noſtri ſenſus exprimere, vel diutiſſimâ apud Poſteros laude, ac memoriâ digna cenſemus. Qua de re, ſi inter artis prodigia magnum Pictura ducitur, qua naturam vel æmulamur, vel vincimus; par operi Muſivo gloria debetur, imò

&

& major, cùm gravior in eo labor ſit, ac difficultas vincenda; & illa facili colorum ductu, tenuiſſimâque, & umbratili ſuperficie conſtet, iſtud verò altiùs penetret, & muro pertinaciùs inhærens, haud impar, cum molibus auguſtioribus Fatum ſortiatur, Hinc ævi longioris injuriâ, aut aeris afflatu vivax quantumvis pictura decoloratur, corrumpiturque: Muſivum autem induiſſe videtur immortalitatem, cùm nullo temporis morſu debilitetur, nullâ aëris intemperie, aut rigore dejiciatur: quod eximiè teſtantur tot vetuſtiſſima Monimenta, quæ plurima ſæcula ſuperârunt, imò & ab ipſis non parva ſui decoris incrementa accepêre, Prænestinum præſertim, aliaque, quorum exemplaria ſuis locis appoſuimus. Quare maximo jure, & conſilio æternam picturam illud vocaveris, cùm ei pulchritudine ac ſpecie par ſit, ac deinde perennitatis conſtantiâ longè eam ſuperet.

Verùm ingenuè fatendum eſt, ut venuſtatis, ac bonitatis præmia, laudes hominum aſſequatur, maximam à pictura opem expetere, & in ſuis primordiis illâ precipuè indigere. Quocirca primò prototypus ab eximio Pictore aliquo delineetur, coloribuſque accuratè diſtinguatur, ut inde pictam tabellam exprimat adamuſſim, ac ſcitâ, opportunâque lapillorum diſpoſitione Muſivarius æmuletur, cui unicè imitari incumbet, non autem invenire figuras, aut quid aliud opere Muſivo repræſentare ſtuduerit. Cùm autem magna ejus pulchritudinis portio penès Pictorem ſit, ſedulò ſui operis finem recogitare neceſſe habet, ac proinde graphidem latam, apertam, facilemque continuet; & ſi in aliarum delineatione tabularum vigil, ac magna cum praxi, tum judicii ſolertiâ uſus eſt, in hac, quæ Muſivis inſervit, & maximâ utatur, & vigilantiſſimus ſit. Vitanda præterea eſt pro viribus copia figurarum, nam earundē congeries, ac multiplicitas importuna, decorem operis minuit, confunditque: in *Majori* præcipuè, ac *Medio*, licèt in *Minimo* Muſivo fas ſit; cùm adeò minutim conciſi, ac diſcreti lapilli inveniantur, ut vel implexos rerum, figurarumque nexus diſcriminent, ac diſcernant. Hinc quàm parum ſâna mens eſſet, ac vecors conſilium, prælia, aut quid ſimile in prima, & ſecunda ſpecie Muſivi delineare, ſuâpte natura confuſum, & vix ab exili, leviſſimoque penicillo reddendum? Neque tamen judicio meo graviùs peccaret, qui in operibus hiſce multa, ac implicita repræſentaret, quàm qui figuris, vel paucis, aliiſque rebus umbras apponeret, longoſque atræ caliginis tractus veluti pediſequos adderet, ut in picturis non ſine laude conſpicimus. Illud igitur palmas, & hominum plauſus ferret, quod paucis contentum, areolis, ac ſpatiis interjectis, figuras divideret, clariùſque in illis niteret non quidem perpetuum, ſed pompam lucidam diſtinguentibus, augentibuſque lapillis obſcurioribus: unde feliciter caperet, ac deciperet oculos, non quid interraſile, ſedpicturam objectam ſibi eſſe putantes, miranteſque.

## CAPUT XIII.

*Dissertatio de Monogrammate L. & de nonnullis aliis literis, seu signis in vestium fimbriis antiquitùs pingi solitis.*

SPECTATUM admissi risum tenerent ne Progenitores nostri, si eis è sepulchro datum esset observare, quàm depravatum, quàm insulsum, & à veritate prorsus alienum de nonnullis antiquorum dictis, gestisque, de quibusdam Statuarum, Picturarumque formis, atque figuris; de multorum numismatum facie, characteribus, vetustate, ac genuino interpretationis sensu à nonnullis recentioris ævi Scriptoribus judicium fuerit pronunciatum?

Ego verò fatum hoc contigisse quibusdam vetustioribus hîc Romæ existentibus Musivis operibus, in quibus nonnullæ visuntur Imagines, quæ in vestium fimbriis seu laciniis habent ut plurimùm literam L. aliæ H. paucæ verò P. & I. sive nonnullas alias notas aut characteres, facilè me persuasurum esse arbitror, si aliqua prius de istarum literarum, characterum, aut notarum nomine: de antiquo more signandi, pingendique pretiosiores vestes apud Gentes, & an ab illis ad Christianos mos iste defluxerit, & multorum super hoc recentiorum varias opiniones prænotavero, meamque denique probabilibus conjecturis, atque argumentis fulcitam, prudenti Lectorum judicio sententiam exposuero.

Et primùm quoad nomen, non uno modo à recentioris ævi Scriptoribus hæ literatæ vestes, seu potiùs vestium characteres, & notæ nominantur.

Aringhius eas *Symbola* appellat, Suaresius *literatas Vestes*; Macrus *Gammadias*; alii *Tesseras*; Ego verò *Monogrammata*: Sic eas denominandas existimans à Græci vocibus τὸ μόνον, καὶ τὸ γράμμα, quæ unicam literam denotant. Scio *Monogramma* à Scriptoribus accipi pro nonnullis literis inter se ita dispositis, sive contextis, ut in compendio alicujus nomen denotent. HRabanus Maurus Abbas Fudlensis de *Inventione linguarum* tom. 6. sic *Monogramma* describit; *Literæ enim* Monogrammæ *scriptæ nonnullis in locis inveniuntur, ubi pictura cum Museo in pariete Imaginis, aut in velis, vel alicubi aliter facta fuerit, ibi eorum nomina cum congerie literarum unum characterem Pictores facere soliti sunt, quod* Monogramma *dicitur*. Et Primasius Africanus Episcopus, S. Augustini discipulus, in Apocal. lib. 4. c. 13. de nota Labari sic ait: *In* Monogramma, *quæ in hunc modum fit, exprimitur, ubi compendio totum Christi nomen includitur*.

Sed ne diutiùs ipsi nomini hæreamus, hæc de varia hujuscemodi vestium apud Auctores appellatione delibâsse sit satis: uberiùs modò de illarum apud Gentes origine, atque usu ex probatis Auctorum testimoniis agamus.

Postquam vana mortalium ambitio, quæ fuerant primævæ culpæ erubescenda argumenta, à necessitatis usu, ad superbiæ fastum, & luxûs irritamentum, simplicibus vestibus, atque necessariis indumentis abusa fuit, tanta in vestimentis hominum varietas, ac discrepantia reperta est, ut ob hanc

non

non ſolum unius Regionis incolæ ab alterius incolis diſcriminentur, ſed & diverſus ejuſdem Regionis, Provinciæ, ac civitatis hominum ſtatus, Officia, & Religio per hanc veſtium varietatem, ac diverſas notas dignoſcantur.

Verum, cum nobis propoſitum ſit in hac Diſceptatione tantùm de *Monogrammate*, & aliis characteribus in Laciniis veſtium appingi ſolitis differere, pleniorem de antiquorum veſtium varietate, formâ, & pretioſitate Tractatum, agentibus *De re veſtiaria*, aut de veſtibus antiquorum in genere, relinquemus.

Ex rubenio igitur lib. 1. cap. 10. *De re veſtiaria*, & præſertim *De Græcorum palliis clavatis* tractante, nonnulla ad Illuſtrandam hanc rem, de qua agimus, excerpi poſſe mihi videntur. Ego (*inquit ille*) credo σημεῖα illa, quæ palliis intexebantur, non fuiſſe clavos, quales deſcripſimus, ſed literas laciniis palliorum inſertas: Ita Suidas: Τεβεννοφόρος, ὁ φορῶν στολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γράμματα. Τήβεννος eſt gerens ſtolam habentem ſigna, ut literas. Ubi Meurſius in Lexico Græco-barbaro in voce γάμμα legendum cenſet, γαμμάτα, cui facilè aſſentior; ſic enim & Heſychius: Τήβων, στολὴ ἔχουσα σημεῖα ὡς γαμμάτα. Scio tamen non ſolùm γάμματα, ſed alias literas palliis intexi ſolitas, ut obſervari poteſt in picturis veterum cæmeteriorum, quas exhibet Boſſius *in Roma Subterranea*, ubi ſæpè 1. literam, aliquando τὸ H. ſæpè Υ aut X, aut alias literas laciniis Palliorum intextas videmus; ut & in muſivo Triclinii Leoniani, in Pallio D. Petri τὸ. L. in aliorum Palliis aliæ literæ rubro colore ſcriptæ ſunt: ita Boëtius lib. 1. *de Conſol.* de veſtibus Philoſophiæ: *Harum in extremo margine* Π, *in ſupremo verò* Θ *legebatur intextum, atque inter utraſque literas, in ſcalarum modum gradus quidam inſigniti videbantur, quibus ab inferiore elemento ad ſuperius eſſet aſcenſus*. Unde aliquis haud abſurdè ſuſpicari poſſet, Græcis in uſu fuiſſe, Sigla aut Monogrammatia Patriæ, aut Gentis ſuæ, tanquam Inſigne, Palliis intexere, ut in bello, & clypeis ſuis primariam Patriæ ſuæ literam præferebant: quod ex Xenofonte conſtat lib. 4. *Hiſt. Græcæ*. Hinc Heſychius has notas Palliorum ἐπίσημα vocat; σάμεια, inquit, τὰ ἐν ταῖς ὠαῖς τῶν ἱματίων ἐπίσημα. Eædem appellabantur σφραγίδες. Idem Heſychius: σφραγίδες, αἱ ὅτι τῶν δακτυλίων ἢ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Sic enim & ſigna, quæ pecorum armis inuri ſolebant, σφραγίδες vocantur; & D. Chryſoſtomus σφραγίδα appellat literas Imperatoris nomen referentes, quibus milites ſignabantur. Homilia 3. in II. ad Corinthios: Καθάπερ γὰρ στρατιώτης σφραγὶς, ἵνα ᾖ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐντέθηται. *Sicut militibus ſignum Imperatoris, ſic & fidelibus ſpiritus imponitur*.

Sed ut hæc, quæ diximus merâ conjecturâ nituntur, ita illud certum, aliquos nomen proprium Palliorum oris inſcripſiſſe. Vopiſcus in Carino: *Inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalæ nomen, & uxoris*. Plinius lib. 35. cap. 9. de Zeuxi: *Opes quoque tantas acquiſivit, ut in oſtentatione earum, Olympiæ aureis literis in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentârit*. Ubi *teſſeras* appellat Palliorum quadratas tabellas, palliis intextas, quibus literæ nomen referentes, conſcriptæ erant. Sic & Sa-

laminii, Hesychio teste, κύβον vocant, τὸ τῶ ἱματίω σημεῖον. Aliquando etiam non in quadratis sigillis, sed in orbiculis nomen describebatur. Anastasius in Leone IV. *Atque super ipsum Altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextrâ lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis quibus insigne ipsius Præsulis nomen est descriptum.*

Ita & sub ultimi ævi Imperatoribus Græculi videntur vestes literis inscriptas portâsse. Balsamon in Canonem 27. Synodi VI. in Trullo: Ἀνοίκεια δὲ τῷ κληρικῷ στολή ἐστιν, οὐχὶ τὰ τῶν στρατιωτῶν ἐνδύματα. ταῦτα γὰρ εἰποτέ τις κληρικὸς ἐνδυνθῇ μεγάλως κολασθήσεται, ἀλλὰ τὰ πολυτελῆ χρυσοφαντα ὑποβλήματα τὰ δημοσικῶς λεγόμενα μαργελλια, γραμματα, & ἀντίπανα, & τὰ ἐκ κογχύλης πορφυρίζοντα ἱμάτια. Nisi fortè cum Cl. Salmasio in Fl. Vopiscũ f. 406. ῥαμματα legendum, qui hæc tria: μαργέλλια, ῥάμματα, & ἀντίπανα, idem esse contendit; distinguit tamen hæc Balsamon in 16. Canonẽ Synodi VII. in Trullo.

Cùm hunc ego Rubenii discursum de literis, seu notis in laciniis vestium pigni solitis, aliis conjecturis, & auctorum testimoniis comprobare studerem, & præcipuè quodam loco S. Asterii Amaseæ Episcopi, Homiliâ in Euangelio *De Divite, & Lazaro* contra varias in vestibus picturas exclamantis, communicavi hujus Auctoris testimonium Illustriss. D. Marcello Severolo, quem honoris caussâ nomino: ille verò tanquam uberrimo literarum omnium flumine, atque omni eruditionum genere inundatus, mihi alium, de hac re præcitati Asterii locum ab ipso Rubenio suorum *Electorum* c. 1. adducunt, libentissimè, ac promptè indicavit. Unde & Rubenii verba, cum supradicto Asterii testimonio hìc transcribere placuit: sic enim se habent.

Quantum ævi longinqua valet mutare vetustas! Quis nunc ferat, præterquam in scena, spectaculis, ac rebus ludicris, inscriptas versibus, ac titulis, aut variis depictas Imaginibus vestes? Et tamen has olim frequenti in usu fuisse scriptis veterum constat. Ut omittam Homerum, qui variegatam animalium figuris tunicam Ulyssi attribuit. Ut taceam de Massagetis, quos Herodotus herbarum succo pinxisse animalia in vestibus tradit, & hæc talia casca nimis, & vetusta, sub ipsis Cæsaribus in Imperio Romano legimus id ipsum usurpatum. Et quidem apud Vopiscum in Carino de Pallio tyrianthino, cui Messallæ nomen & uxoris inscriptum. apud Ausonium etiam in Epigrammatis, de Sabina textrice simul & Poëtria.

*Licia qui texunt, & carmina; carmina Musis,*
*Licia contribuunt casta Minervæ tibi.*
*Ast ego rem sociam non dissociabo Sabina,*
*Versibus inscripsi, quæ mea texta meis.*

De eâdem.

*Sive probas Tyrio textam sub tegmine vestem,*
*Seu placet inscripti commoditas tituli.*
*Ipsius hæc Dominæ cõcinnat utrumque venustas:*
*Has geminas artes una Sabina colit.*

De Hermiones Zona.

*Punica turgentes redimibat Zona pupillas*

Her-

*Hermiones, Zonæ textum elegeion erat.*

*Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ameſme.*

*Exemploque tuo neminem amare vetes.*

In gratiarum actione, ex epiſtola Gratiani Auguſti: *Palmatam tibi miſi, in qua Divus Conſtantinus parens noſter intextus eſt.* Sed ut palàm fiat, quod initio dictum, frequens id atque adeò promiſcuum, & commune omnibus fuiſſe, audiamus Aſterium Amaſeæ Epiſcopum in Homilia quadam. ἀνεκδότῳ, *inedità.* *De divite & Lazaro* veſtes ejuſmodi, dum uſum earum carpit, nimis quàm graphicè deſcribentem: Οὐ γὰρ μέχρι τῆς ἐρημίας ἔστησαν τὴν μωρᾶς δαπάνας τὰς ὁρμὰς, ἀλλά τινα κενὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τὸ σήμερον πρὸς τὸν κρόκον τὴν γραφικὴν μιμεῖται τῷ δύναμιν, καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐνσημαίνεται, τῷ ἀνθινῷ, καὶ μυρίοις ἐιδώλοις πεποικιλμένῳ φιλοτεχνῆσιν ἑαυτῆς τε, καὶ γυναιξὶ, καὶ παισὶν. παίζοντες λοιπὸν, ἢ σπουδάζοντες τῆς ἀμερίας, τὸ πλέτος ἀποβαλόμενοι τῷ βίῳ, ἢ χρώμενοι, ἀντινομοθετοῦντες τῷ Παύλῳ, καὶ μαχόμενοι τοῖς θεοπνεύστοις φωναῖς, ἢ γράμμασιν, ἀλλὰ πράγμασιν. ἃ γὰρ ἐκεῖνος ἀπεκήρυξε λόγῳ, ταυτὶ οὗτοι κρατοῦσι, καὶ κυροῦσι τοῖς ἔργοις. ὅταν οὖν ἐνδυσάμενοι φανῶσι, ὡς τοίχοι γεγραμμένοι, ἀπὸ τῆς συμπτυχῆς. νόν τῶν ὁρῶνται, καὶ πῶς καὶ τὰ παιδία ἀυτοὺς ἀπειλήσανται μειδιῶντα πρὸς ἄλληλα καὶ δακτυλοδεικτοῦντα τὸν ἐν τοῖς ἱματίοις γραφὸν. βαδίζουσι γὰρ παραπόμπιμα, οὐκ ἀναχωροῦντα μέχρι πολλοῦ. ἐκεῖ λέοντες, καὶ παρδάλεις, ἄρκοι, καὶ ταῦροι, καὶ κύνες, ὕλαι, καὶ πέτραι, καὶ ἄνδρες θηρευτικοὶ, καὶ πᾶσα ἡ τῆς γραφικῆς ἀπατήλευσις μιμουμένη τὸν φύσιν. ἔδει γὰρ μὴ τοὺς τοίχους ἀυτῆς μόνον, ὡς ἔοικεν, καὶ τὰς οἰκίας κοσμεῖν, ἀλλὰ δὴ καὶ τοὺς χιτῶνας, καὶ τὰ ἐν ἐκείνοις ἱμάτια. ὅσοι γὰρ καὶ ὅσῳ τῆς πλουτοῦντων ἐυλαβέστερῳ, ἀναλεξάμενοι τὴν ἐυαγγελικὴν ἱστορίαν τοῖς ὑφαντοῖς παρέδωκαν, αὐτὸν λέγω τὸν Χριστὸν ἡμῶν μὴ τῆς μαθητῆς ἁπάντων, καὶ τῆς θαυμασίων ἕκαστον, ὡς ἡ διήγησις ἔχει. ὅπου τὸν γάμον τῆς Γαλιλαίας καὶ τὰς ὑδρίας, τὸν παραλυτικὸν τὸν κλίνην ὅπου τῆς ὤμων φερούσας, τὸν τυφλὸν τῆς πηλοῦ θεραπεφόμενον, τὸν αἱμορρόουσαν τοῦ κρασπέδου λαμβανομένην, τὸν ἀμαρτωλὸν τοῖς ποσὶν τοῦ Ἰησοῦ προσπίπτουσαν, τὸν Λάζαρον ἐκ τοῦ τάφου πρὸς τὸν ζωὴν ἀναστρέφοντας. καὶ ταῦτα ποιοῦντες ἐυλαβεῖν νομίζουσιν, καὶ ἱμάτιον κεχαρισμένον τῷ θεῷ ἀμφιεννυσι.

*Nec verò conſtituerunt hîc ſtultæ ſolertiæ fines; ſed unâ quâdam, & ſupervacuâ arte texendi inventâ, quæ ſtaminis, atque ſubtegminis contextu pictoriam facultatem imitatur, & omnium formas animalium in veſtibus exprimit; Floridam, & infinitis imaginibus variegatam veſtem tum ſibi, tum uxoribus, & liberis ſtudiosè comparant: ludentes etiam in reliquis puerili more, nihilque ſedulò uel ſeriò agentes, per immodicas divitias, abutentes vitâ, non utentes, adverſantes denique Paulo, pugnantesque cum iis, quæ numinis inſtinctu profatus eſt, non dictis, ſed factis. Quæ enim ille verbo proſcripſit hæc iſti mordicùs retinent, & ipsâ re confirmant. Quandocumque igitur amicti prodeunt, quaſi depicti inter ſe, digitiſque commonſtrantes in veſtibus picturam. Proſequuntur etiam ad multum ſpatii, neque temerè recedunt: ſunt ibi Leones, Pantheræ, Urſi, Tauri, Canes, Silvæ, Saxa, ac Venatores, & omnia denique, circa quæ pictorum verſatur induſtria, ad imitationem naturæ expreſſa. Neceſſe quippè erat, ut videtur, parietes non ſolùm, atque domos ita adornari, verùm etiam ipſas tunicas, & pallia eis ſuperjecta. Qui verò, quæque ex divitibus illis religioſiores ſunt, ex hiſtoria Euangelica textoribus argumenta ſuppeditant: ipſum dico Chriſtum cum diſcipulis omnibus, & unumquodque miraculorum, hoc ipſo quo narratur modo. Videbis nuptias Galilææ, & hydrias, Paralyticum humeris lectum ferentem, cæcum*

qui

*qui luto curatur, mulierem, quæ ſanguinis profluvio laborat, fimbriam prehendentem, peccatricem ad pedes Ieſu accedentem, Lazarum è ſepulchro ad vitam revertentem. Et hæc cum faciunt, piè ſe facere, & veſtimenta Deo grata induere arbitrantur.*

Sed ne integros præcitatorum Auctorum Textus afferendo, diſtinctam ſcribendi methodum, ſacra nempe profanis immiſcentes, confundere videamur, nonnulla alia de pictis, & characteratis veſtibus apud barbaras Nationes adjungere hîc placet.

Fortunius Licetus in ſua *Hydrologia Peripatetica* diſp. 9. de fluminis Iſtri ſcaturigine pag. mihi 108. poſt varias Ariſtotelicæ doctrinæ explicationes, multos citat Auctores ambigentes, an libellus *De admirandis Auditionibus* genuinus ſit Ariſtotelis fœtus, ac ſubinde Patritium allegans, ſic ait: *Patritius enim in ſuis Diſcuſſionibus Peripateticis hunc librum inter Ariſtotelicos numerat, inquiens*; nam libellus *de Mirabilibus Auſcultationibus* Ariſtotelis videtur Sexto teſtimonio. *Dein Athenæus in ſuis Dipnoſophiſtarum libris, infit*: Ἀλκισθένη ϕησὶ τὸν Συβαρίτην Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς Θαυμασίοις, ὡς τρυφῆς ἱμάτιον τοιοῦτον κατασκευάσαι τὴν πολυτελείᾳ, ὥστε προτίθεσθαι αὐτὸ ὅτε τὴν ἐν Λακινίῳ πανηγύρει τῆς Ἥρας, εἰς ἣν συμπορεύονται πάντες Ἰταλιῶται, καὶ τὰ θηρία πάντων ἐκεῖνο θαυμάζεσθαι. Hoc eſt: *Alciſthenem Sybaritam ait Ariſtoteles in mirabilibus luxûs, veſtem talem ſumptu parâſſe, ut proponeretur in Lacinio in Panegyri Junonis, quò conveniunt omnes Itali, & eam præ omnibus aliis admirationi habitam*. Quæ verba deſcripta legimus apud Ariſtotelem in opere *De admirandis auditionibus*, ita: Ἀλκισθένει τῷ Συβαρίτῃ ϕασὶ καταστευασθῆναι ἱμάτιον τοιοῦτον τῇ πολυτελείᾳ, ὥστε προτίθεσθαι αὐτὸ ὅτε τῇ ἐν Λακινίῳ πανηγύρει τῆς Ἥρας, εἰς ἣν συμπορεύονται πάντες Ἰταλιῶται. τῶν τε θηρίων πάντων ἐκεῖνο θαυμάζεσθαι. οὗ ϕασι κυριεύσαντα Διονύσιον τὸν πρεσβύτερον ἀποδόσθαι Καρχηδονίοις ἑκατὸν καὶ εἴκοσι τάλαντων. ἦν δ' αὐτὸ μῆκος ἀλυργὲς, τῷ μεγέθει πεντεκαιδεκάπηχυ, ἐκαθέρωθεν ἢ διείληπτο ζῳδίοις ἐνυφασμένοις, ἄνωθεν μὲν Σέσοις, κάτωθεν δὲ Πέρσαις. ἀνὰ μέσον δὲ ἦν Ζεὺς, Ἥρα, Θέμις, Ἀθηνᾶ, Ἀπόλλων, Ἀφροδίτη. ἐκάτερον δὲ πέρας Ἀλκισθένης ἦν, ἐκαθέρωθεν δὲ Σύβαρις. Ideſt; *Alciſtheni Sybaritæ tradunt, veſtem tantâ magnificentiâ confectam eſſe, ut cùm in Laciniæ Junonis Panegyri, ad quam tota confluere ſolet Italia, propoſuiſſet ſpectandam, omnium oculos à reliquis in ſe converterit. Hanc ajunt Carthaginenſibus emptam à Dioniſio ſeniore, tum regnante, centum viginti talentorum pretio. Purpurea erat tota amplitudine quindecim cubitorum, animalculis intertextis diſtincta. Supernè quidem Suſis, infernè verò Perſicis. In medio autem Jupiter, Juno, Themis, Minerva, Apollo, Venus elucebant. Ad latera Alciſthenes, utrinquè autem Sybaris*. Tzetzes in Chiliadibus hunc locum Ariſtotelis non vidit, nec Athenæi, dum hanc hiſtoriam Plutarcho tribuit, ita:

Τοιοῦτον τὸ ἱμάτιον ὑπῆρχεν Ἀντισθένης,
Ἦν Σῆσον ἀλυργὲς πεντεκαιδεκαπηχιαῖον,
Ἔχον μὲν ζῴδια Θεοὺς, Περσικὰ, Σῦσα,
Μαργάροις ἠσκημένα τε, λίθοις τιμαλφέσι.
Χειρὶ δὴ θατέρᾳ μὲν εἶχε, τὸν Ἀντισθένη,
Ἐν δὲ θατέρᾳ Σύβαριν, τὴν πόλιν Ἀντισθένους,
Τοῦτο δὴ Διονύσιος ὁ πρὸς κρατήσας,
Εἰς ἑκατὸν καὶ εἴκοσι τάλαντα νομισμάτων,
Καρχηδονίοις ἐμπωλεῖ. ἃ Πλούταρχος ὅιμαι γράφει.

*Tale veſtimentum fuit Antiſthenis. Erat Suſinum purpureum, quinque & decem cubitorum.*

*Habens animalia, & Deos, & Perſica, & Suſa.* Mar-

*Margaritis ornata, & lapidibus pretiosis.*

*Manica verò una quidem habuit Antisthenem.*

*In altera autem Sybarim Civitatem Antisthenis.*

*Hoc autem Dionysius prior ille quum potius esset,*

*Centum & viginti talentis nummorũ Carthaginensibus vendit; Plutarchus arbitror scribit.*

Sub silentio pretereundam minimè censo observationem à me factam in nominis discrepantia; nam Aristoteles, & Athenæus, ac Casaubonus ad eundem Athenæum, Alcisthenem vocant: Joannes verò Tzetzes Antisthenem. Quodnam autem ex hisce nominibus magìs congruat, aliis examinandum relinquo.

An verò characteres, Monogrammata, & alia signa in fimbriis vestium depicta, de quibus hanc instituimus Disceptationem, ad supradicta vestium ornamenta, & imagines referenda sint; & an ab illis originem habuerint, non ita facilè judicari potest; sed ex totius discursûs textura prudens Lector in fine hujus Disceptationis videbit: modò quæ apud ethnicos de characteribus in vestimentorum Laciniis testimonia adinveni, accipiat.

Occurrit primò testimonium Plinii lib. 35. cap. 9. hist. de Zeuxi celeberrimo Pictore, nomen suum literis aureis inscriptum gerente. *Opes quoque* (inquit Plinius) *tantas acquisivit, ut in ostentatione harum, Olympiæ aureis literis in Palliorum* Tesseris *intextum nomen suum ostentârit,*

Carolus Dati in hunc Plinii locum ad Zeuxis vitam notas faciens Italico sermone, ad notam 8. sic ait: *Che per far mostra di sue ricchezze in Olimpia, portasse nel Mantello à lettere d' oro intessuto il suo nome.* Sed hæc Dati verba nihil ad explanationem hujus Textûs faciunt, non innuendo quidnam fuerint *tesseræ palliorum*, quibus nomen suum Zeuxis intextum (ut ait Plinus) ad ostentationem suarum opum ferebat. Locum hunc difficillimum, & penè omnis declarationis expertem ab Octavio Ferrario, qui fuit in Patavino Lycęo clarissimum literarum jubar, existimatum fuisse; & Dalecampium, & Pincianum in aliquibus manuscriptis observâsse *insertum nomen suum ostentaret*, ex ejusdem Dati notis colligitur, affirmantis eodem modo se legisse in quodam manuscripto Cod. Bibliothecæ Vaticanæ; sed utcumque res se habeat, nisi explicetur quidnam fuerint *tesseræ Palliorum*, nihil ad solutionem difficultatis, varia prædictorum Auctorum lectio affert.

Joannes Baptista Adrianus in Epist. ad Vasarium, difficultatem hanc quoquo vitaturus, summariè locum Plinii sic in Italicum idioma vertit. *Per pompa à lettere d' oro nel Mantello portava scritto il nome suo.* Hermolaus Barbarus in Glossario Pliniano, verbo *Clavatæ vestes. Erant* (inquit) *& tessellatæ quædam tunicæ*: quod probat supradicto Plinii loco, verbum *tesseris* in *tessellatæ* vertendum esse judicans. Ex hac lectionis varietate hæsitavi, an verbum illud *tessera* textum seu texturam aliquam, vel Phrygium auro obductum opus significaret; sed cùm nullum occurreret testimonium, quo aliquam è tribus à me excogitatis variis lectionibus comprobarem, audiens, quod etiam Ferrarius in hanc meam sen-

ſententiam jam iturus penè fuerat, ab iis cogitationibus prorſus diſceſsi, & inveſtigare cœpi, quidnam *teſſeræ* illæ eſſent, an ex ſolido auro, an formâ quadratâ, quo loco inſererentur, an fibularum vicem gererent, &c. & ob id Ferrarii judicium requiſivi, ut ille ad nodum hunc mearum dubitationum aliquo pacto abſolvendum adjuvaret; qui reſpondit, ſe oſtendiſſe in ſuo veſtium Tractatu, quòd in communi Pallio non fibulæ, neque fimbriæ, neque limbi, neque alii erant ornatus: ſed cùm in hoc loco non de communi Pallio ſermo ſit, verùm de Zeuxi Pictoris vagæ, & liberæ mentis, poſſe nos non incongruè ſuſpicari, eum ab uſu communi receſſiſſe, Pallia nimirùm colorata pingendo, Phrygio opere intexta, cum fibulis, & alio ſingulari, atque extraneo cultu, quod tamen non affirmarem.

Addit ulteriùs Ferrarius Appuleji locum lib. 6. *de Aſino aureo*, ſibi ab Amico commnicatum, ubi de literatis veſtibus ſic Appulejus: *Videt dona ſpecioſa, & lacinias auro literatas, ramis arborum, poſtibuſque ſuffixas, quæ cum gratia facti, nomen Deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur*. Et aliis ab eodem Dati in elucidatione textûs Pliniani adductis, ſubſcribit præfatus Ferrarius in ſuis *Analectis de re veſtiaria* cap. 13.

Facit ad hoc etiam locus Beotii lib. 1 *De conſol.* ubi imaginatur per viſum Philoſophiam ſibi ſe contemplandam exhibuiſſe, cujus habitum hujuſmodi notis exculptum, atque inſignitum fuiſſe, deſcribit. *Veſtes erant* (inquit) *tenuiſſimis, &c. harum in extremo margine* P. *ſcilicet* Π. *Græcum, in ſupremo* T. *ſeu* Θ *legebatur intextum, atque inter utraſque literas in ſcalarum modum gradus quidam inſigniti videbantur, quibus ab inferiore ad ſuperius elementum eſſet aſcenſus*.

Hæc de ornamentis, & characteribus veſtium apud ethnicos, & veteres Scriptores tantùm reperire potui teſtimonia; an verò ab iis characteribus mos etiam apud Chriſtianos pingendi in veſtibus, Chriſti, ac Sanctorum notas, atque literas, quæ reperiuntur in antiquis picturis, atque muſivis emanaverint, & quidnam illæ notæ, & characteres ſignificent, non benè adhuc compertum eſt, cùm nemo ex prædictis Auctoribus indicaverit. Verùm, ut meas ſuper hac re conjecturas probabilioribus argumentis exponam, opere pertium eſſe duxi, prius referre ſingulas opiniones recentiorum Auctorum, qui prædictorum characterum, ſeu notarum ſignificationem indagârunt; poſtea meam, eruditorum judicio definiendam ſententiam exponam.

Primus igitur iſtis dilucidantis characteris, ſeu ſignis operam dedit Aringhius, qui to. 2. lib. 6. cap. 28. *Romæ Subterraneæ*, inquirit, quidam ſignificent elementorum illæ notæ, quæ in nonnullis vetuſtis imaginibus cernuntur, nimirùm T. X. I. H. ubi cenſet, per prædictas notas, ſeu characteres, peculiaria quædam, & arcana Chriſtianorum myſteria obumbrata fuiſſe, quæ à nemine ex SS. Patribus huc uſque explicata inveniuntur. Ac veriſimile eſſe, quod per literam T. Crucem Salvatoris noſtri Iesu Chriſti deſignare, antiqui Fideles voluiſſent; cujus figuræ prepotenti virtute, eos omnes apud Ezechielem Prophetam ſervatos fuiſſe legimus, qui

antea

*antea ſalutari hâc notâ Angelico miniſterio fuerant præmuniti*. Allegat deinde Aringhius teſtimonium à nobis ſupra allatum Boëtii lib. 1. *de Conſol.* ubi de characteribus P. T. Θ. in Philoſophiæ veſte inſcriptis, fit mentio, & eaſdem diſertis verbis explanationes ſuper hoc Severini Boëtii loco, quæ Divo Thomæ Aquinati tribuuntur, lectoribus exhibet. Sed Elucidationes illæ neutiquam cæmeterialibus imaginibus conſentaneæ videntur: habitâ tamen debitâ ſemper Angelico Doctori reverentiâ, in quibus characteribus ad Fidei dogmata rudorum animis ſalubriter inſerenda, hujuſcemodi rerum ſymbola piè Chriſtianorum antiquorum ingenio adinventa, exarataque fuiſſe procul dubio credendum eſt. Deinde affirmat idem Aringhius per literam ſeu notam X. decuſſatam pariter Crucem præſignari; per notam veró H. ΙΗΣ nempè auguſtiſſimum Salvatoris nomen denotari.

Conjecturas has Aringhii ad trutinam revocat Illuſtriſs. Joſephus Maria Suareſius Vaſionen. Epiſcopus, citans Aringhium, in Diatriba *De veſtibus literatis*, in vermiculatis operibus, ab illo Vaſioni impreſſa anno 1651. In hac Diatriba oſtendit primò Suareſius, quomodo veſtium uſus adverſus vim frigoris, & ad pudoris cuſtodiam à priſcis mortalibus excogitatus fuerit; deinde ad luxum, vanamque oſtentationem ſericæ veſtes introductæ, variis coloribus medicatæ, barbarâ acu depictæ, auro, gemmarumque varietate diſtinctæ, tandem etiam titulis, carminibuſque, ac diverſis figurarum, hiſtoriarumque ornamentis, notis, & characteribus, ornatæ fuerint, ac prænotatæ; allegando nonnulla veterum teſtimonia, & præcipuè locum Boëtii ſupracitatum; explicationem cujus aſſerit non Divi Thomæ Aquinatis, ſed eſſe Thomæ Joyce Angli S. R. E. Cardinalis, qui per lit. P. practicam per lit. verò T. Theoricam ſignificari volebat. Verùm Suareſius alium ſenſum hiſce characteribus tribuit; nam literam P. idem ſonare ac Pῶ Græcum, ideſt R. & ϑῶ ideſt Th. ex quibus duobus characteribus per primum Pῶ Rhetoricam, per ſecundum Θ Theologiam ſignificatam à Boëtio concludit.

His prænotatis, ſententiam ſuam, hoc modo ſtatuere conatur: ſunt ipſa verba Suareſii:

*Ex his igitur omnibus ſententiam meam tandem colligo. Crediderim enim Artifices Muſivarios, ut pretioſas veſtes demonſtrarent eas, quibus induti exhibebantur & amicti, Chriſtus Dominus, ejuſque Apoſtoli, & alii Heroës illuſtres, ſanctique viri, expreſsè illis ipſis in veſtibus varias literas abſque delectu, & temerè alludentes ad morem antiquum, uſurpatumque tandiu nomina, titulo, & verſus inſcribendi attexendique veſtimentis Patritiorum, ac Nobilium Civium, quæ in prætio ingenti habebantur. Iccircò literas eas qui tentant aliter explanare, ne illi fruſtra laborent velut in Gordiano nodo diſſolvendo, vel in ænigmate pluſquam Sphingis enucleando, & divinare, ac vaticinari nitantur. Certiſſimum namque eſt, literis hiſce, neque nomina eorum, quarum imagines, & veſtes repræſentantur, exprimi, nec artificum, ſeu Muſivariorum, qui compoſuerunt imagines, neque veſtium ipſarum appellationem, ſeu principem literam, quandoquidem literæ illæ cum literis*

*initialibus nominum, quibus Christus Dominus, Apostoli, Heroës, Sanctique illi nuncupantur, haud conveniunt, imò valdè discrepant: minimeque verisimile est, singulis in imaginibus singulos Musivarios operam navâsse singularem; cumque similibus in vestibus dissimiles literæ, ac ut plurimùm duplices, seu geminatæ conspiciantur; quæ dissimilitudo, ac geminatio, seu duplicitas arguit; præterea literas illas non esse pannorum, è quibus vestis consarciebantur, vel textorum, seu sartorum, qui pannos conficiebant, seu vestes consarciebant notas, cum plerique panni similes essent, neque textores vel Sartores singulis vestibus, panniſue incumberent. In istis ergo elementis, quæ ad arbitrium, libitumque artificum, & casu persæpè sculpta fuerunt, animi nervos acriùs intendere, ac ingenii aciem deterere, atque obtundere diutiùs, bonasque horas collocare, nihil aliud censeo, quàm oleum, & operam perdere; satisque fore duco, si agnoscamus, & fateamur ingenuè, literas illas tantummodò pictas, attextasque, ut veterem vestibus intexendi elogia consuetudinem indicarent.* Hæc est Suaresii de Monogrammatis sententia.

Post Suaresium sequitur Macrus. Iste in suo *Hierolexico*, in verbo *Gammadia*, sic scribit; *Gammadia. Vestis sacra cum figuris in forma literæ Græcæ* Gamma Γ. *contexta, quâ utebantur etiam Latini, ut in Musivis, & antiquis Romæ picturis conspicitur; ad præsens autem in planetis utuntur Græci Episcopi, &c. Quæ figuræ simul unitæ multas Cruces formant, hoc pacto* ⅃⅂ *&c. Igitur hoc vocabulum nedũ* ⅂⅃ *vestem, sed etiam textile hisce characteribus angularibus formatum significat, ad denotandum, ut Balsamon inquit, quod Christus sit angularis lapis. Item in paramentis figuratur etiam litera Græca* Eta *hoc pacto* H. *quæ nomen JESU denotat. In Musivis Latinorum picturis (ut jam diximus) leguntur etiam prima elementa denotantia principium nominis alicujus Sancti depositi.*

Nicolaus Alemannus de Lateranensibus parietinis pag. mihi 80. mentionem facit de Tunicis literatis, sed quæ sint istæ tunicæ, & quis de eisdem scripserit, reticet.

Rubenius lib. 1. cap. 10. *De re vestiaria*, agens *De Græcorum palliis clavatis*, multa de hisce literatis vestibus, seu Monogrammis affert, sed cùm illa penè ad harum vestium usum apud Gentiles, & non apud Christianos, neque ad illarum significationem explanandam omninò faciant, contenti sumus, iis, quæ supra retulimus & ideò nunc ea testimonia repetere supervacaneum censemus.

Supracitatis Auctoribus accedit examinanda de hac re opinio Benedicti Mellini clar. mem. Christinæ Svecorum Reginæ olim à Bibliotheca.

Is enim, quum Ecclesiam Sancti Andreæ *in Barbara* dictam, jam profanatam describit, in quodam suo MS. Italico sermone, quod pariter è copiosissimo Cimelio laudati Illustrissimi Severoli accepi, Latino idiomati redditis ejus verbis, ita loquitur:

*Tribuna hujus Ecclesiæ* (videlicet S. Andreæ *in Barbara*) *erat ex Musivo, nunc ferè diruta, & in ea septem Figuræ stantes, Christus in medio sex Apostolorum, ac subtus quatuor flumina Paradisi terrestris: ex figuræ in pedibus sandalia habent, ac in vestibus non-*

*nulla*

*nulla* Γ. *gammata* ; *Salvatoris habet* H. *&c.* Et paullò inferiùs : *In figurarum Tribunæ veſtibus cernuntur quædam gammata, ut indicavi, Chriſtique Figura habet veſtem obſignatam* H. *Ipſæ autem veſtes, quæ ad præſens etiam in aliis conſpiciuntur Eccleſiis, cum iis, atque aliis diverſis literis, ab eiſdem* literatæ *appellantur, aut* cifratæ, *ſignatæ ſcilicet occultis notis, in quibus aperiendis multa nobilia deſudârunt ingenia, ut verum, ac genuinum ſenſum oſtenderent. Quare nonnulli cifratas has veſtes,* Gammadias (ut verbis ipſius utar) *denominandas dixêre, quarum Anaſtaſius ſæpè meminit. At iſtæ* Gammadiæ *nihil aliud erant, quàm Crucium figuræ ex quatuor Gammatis cõpoſitæ, videlicet* ⊥|⊥ *tam in profanis, quàm in ſacris* ⅂|⅂ *veſtibus textæ, ut etiam hodie in ſuis Caſulis Græci habent.*

*Alii verò cum literis propria nomina, aliaſque peculiares res in veſtibus pingendi uſum viguiſſe arbitrantur, tam in veteri lege apud Hebræos, quam apud Ethnicos, ac præcipuè apud Græcos : ideoque exiſtimarunt literas, quas nos in aliquibus Sanctorum, aut Salvatoris veſtibus intuemur, quaſdam occultas notas eſſe, non ſignum nominis delineatæ figuræ, neque artificum, & pictorum, qui illas delineârunt, ſed ibi tantummodò poſitas ad antiquum denotandum uſum intexendi, ſive pingendi hominum dignitate, vel ſanctitate inſignium nomina, aut aliud in eorundem honorem, dictum.*

*Nihilominus, ut fatear,* ( idem ſubdit ) *neutri conſentire audeo : non primæ ſententiæ de* Gammadiis, *quia ex ſimplici gamma locus corruptus, nũquam compoſitus, ut in ipſo conſpicitur Muſivo,* Gammadii *nomen deduci minimè poteſt, quod aliùd denotare non valeat, quàm ex pluribus gammis conjunctum opus, ex cujus compoſitione ſupramemoratæ Cruces reſultant ; ac quando Anaſtaſius de* Gammadiis *locutus eſt, id ſolummodò fecit occaſione veſtium Sacerdotalium, aut Paramentorum, quæ Summi Pontifices Eccleſiis donaverant. Neque aſſentire valeo, ipſas notas, dignitatis, aut alterius rei nomen indicare ; quoniam quoad literam* H. *quæ in multis Chriſtis veſtibus cernitur, denotat nobis ipſam hieroglyphicum eſſe ; & imaginem illam, quæ* H. *ſignata eſt, Chriſtum repræſentare. Ita viſitur nota iſta in præfata Tribuna S. Andreæ, quæ à S. Simplicio Muſivo opere ornata fuit anno* 475. *circiter. Pariter in illa Sanctorum Coſmæ & Damiani, conſtructâ à Felice IV. Summo Pontifice, circa annum* 725. *In Tribuna S. Theodori fortaſſe omnibus antiquiori. In illa S. Praxedis à Paſchali I. circa annum* 820. *ædificata. In quibus omnibus Tribunis lit.* H. *procul dubio Chriſti Domini Noſtri indicativa eſt, ſicut* Γ *Gamma invariabile Symbolum eſt Apoſtolorum. Ita in ſæpè memorata Eccleſia S. Andreæ viſuntur gammata in veſtibus Apoſtolorum, ad diſcrimen veſtis Chriſti, quæ habet* H. *In illa etiam S. Mariæ Novæ, facta à Joanne VIII. circa annum* 706. *Quare minimè adducar ut credam, has notas ſignificativas eſſe, ſed utique denotâſſe, aut figuratam perſonam, aut ipſius perſonæ gradum : ut eſt in caſu noſtro, in quo* Γ. *Gamma in diverſis poſitum Tribunis, Apoſtolorum nota eſt, &* H. *Salvatoris character. Nec allegari poteſt, præfatas duas literas* Γ. *&* H. *Artificis*

*nomen denotare, quoniam qui Sancti Andreæ Tribunam concinnavit, illam certè S. Mariæ Novæ construere haud potuit, cùm inter has ducentorum & ultra annorum spatium intercedat: pariterque qui Sanctorum Cosmæ & Damiani Tribunam ædificavit, neutiquam potuit illam S. Praxedis ædificare, cùm prima constructa fuerit circa annum 539. secunda circa 820. & hæc circa has vestium notas indicâsse sufficiat.* Hæc fuêre conjecturæ Mellini.

Verùm, libet hîc, antequam meam opinionem exponam, præcitatorum Auctorum sententias methodi, & claritatis servandę caussâ compendiosiùs, ac strictiùs colligere.

Severanus sentit, has literas seu characteres in Sanctorum vestibus exaratos, esse peculiare quoddam arcanum, & Mysterium, & ideò per literam T. & X. obumbrari Crucem, & nomen Jesu Christi. Suaresius, huic Auctori proximus, arbitratur, artifices in vestibus Christi, Apostolorum aliorumque Herouni varias literas absque delectu expressisse, alludentes ad antiquum morem titulos, & versus inscribendi, attexendique vestimentis Patritiorum, Civiumque Nobilium; & certissimum esse, has literas, nunquam nomina eorum, qui hujusmodi Imaginibus repræsentabantur, neque nomina pictorum, seu Musivariorum, qui eas feciſſent exprimere, sed neque vestium illarum appellationem; nec esse literas, quas aut textores, aut sartores, in pannis consuere solerent, imò verò ad arbitrium, libitumque artificum, & casu persæpè fuisse addictas, & inscriptas hujusmodi notas, seu characteres.

Macrus sicco calamo quæstionem transit, affirmans solummodò literam L. esse gamma Græcum inversum; unde ex his quatuor gammis simul in Crucis formam dispositis ipsam Crucem, & per literam H. Salvatoris nomen significari asserens, diversisque argumentis eandem, quam Severanus sententiam profert.

Rubenius multis allatis profanæ, ac sacræ antiquitatis eruditionibus, autumat, ex illis colligi posse Græcis in usum fuisse sigla, aut Monogrammatia, patriæ vel gentis suæ tanquam insigne, palliis texere.

Dati totus est in disquisitione genuinæ, ac synceræ Pliniani textûs lectionis, *Tesseris* ne, an *Texturis*, quibus nomen Zeuxis sculptum erat, ex variis M S. Codicibus legendum sit, exquirens; nihilque de harum literarum origine, seu significatione affert.

Mellinus per literam H. Christi Domini nostri nomen cum Severano; & Macro denotari, Γ. verò Apostolorum symbolum esse, opinatur; nec se inclinare in illorum sententias affirmat, qui asserunt, per has literas aut gammadias, nomen, sive dignitatis, honoris, & cujusvis alterius rei notam significari.

His præcitatorum Auctorum sententiis adductis, ne eorum diligentiam ad hanc rem illustrandam despectam vilemque (ut mos est) habere videar, ad meas conjecturas roborandas, relictâ affirmativâ, in parte negativâ, exceptâ Suaresii sententiâ, unico casui, fortuitoque eventui hasce vestium notas adscribente, libentissimè utar, postquam eorum positivas opiniones, evidentissimis conjecturis, nequaquam subsistere demonstravero.

Illi ergo, qui per prædictos characteres,

cteres, seu literarum figuras, significari volunt, aut Monogrammas, aut Crucem, aut tesseram Patriæ, aut literam initialem nominis per tales imagines præfiguratorum, aut nomen Pictoris, seu Musivarii artificis, aut nomen Apostolorum, cæterorumque Sanctorum, aut Christi Domini, debent ante tanquam certum suę assertionis fundamentum firmare, quòd semper, & ubique iidemmet characteres, & eædemmet notæ reperiantur in illarummet Imaginum vestimentis, quarum prototypus per illas exprimitur; quod non solùm non faciunt prædicti Auctores, sed etiam inter se propter istorum characterum modò in una, modò in altera imagine repertorum diversitatem, valdè discrepant, & tantùm convenire in se videntur, quòd per literam H. & X. nomen Christi, per Γ. Apostolorum symbolum prænotetur: quæ assertio qualem habeat subsistentiam omnimoda varietas horum characterum, & notarum, modò in iisdem, modò in diversis imaginibus ad vestimentorum fimbrias expressarum diligenti per vetustiores Basilicas Sacrarum picturarum ac Musivorum observatione à nobis consideratâ, omnino demonstrabit.

Quoad literam H. Hæc non solùm cernitur in Christi veste, in Musivo opere, quod in profanata Basilica Sancti Andreæ *in Barbara* cernebatur, verùm etiam in vestibus Sanctorum Joannis Baptistæ, & Euangelistæ, & duorum Angelorum stantium ad dexteram, & sinistram Salvatoris in Oratorio S. Venantii: eadem visitur in vestibus nonnullorum Apostolorum in Triclinio Leoniano, additis aliquibus punctis, hac forma Ḧ qua de re litera H. non est peculiare signum ipsius Salvatoris, sed communis etiam aliis Sanctis, & Angelis: neque adamussim ubique delineatâ I. literâ signatæ cernuntur vestes Sanctorum Petri, & Pauli, ac Laurentii in arcu Tribunæ Ecclesiæ S. Clementis: in Tribuna Sanctorum Cosmæ, & Damiani in figura (ut opinor) S. Pauli; ut observantur etiam in veste S. Petri: in Tribuna S. Mariæ Transtyberim, ac in vestibus Patrum antiqui Testamenti, ac propterea Sancti alicujus peculiare Symbolum non est.

An verò signum hoc sit una litera L diverso modo dis-  posita, sive character, nempè L Latinorum, & Γ Gamma Græcum, ignoro: scio tamen in vestibus Apostolorum Tribunæ S. Andreæ *in Barbara* conspici posse, ut infra in Tabula LXXVI. licèt in duabus propriè non est L, sed aliud signum huic simile, prout hodieque conspicitur in vestibus Angelorum in arcu triumphali Basilicæ Liberianæ, extructo à Xysto III. ac in Figura Patrũ antiqui Testamenti, ut in Tab. LX. Musivi operis supra coronam porticûs ejusdem Basilicæ visitur: item in veste Isaïæ Prophetæ, qui in arcu, & in veste Sancti Petri, qui est in Tribuna S. Mariæ Transtyberim: pariter in vestibus SS. Petri, Jacobi, & Andreæ in S. Maria Nova, nec non in nonnullis figuris Triclinii Leoniani, aliquibus additis punctis: itidem in vestibus duarum mulierum in Ecclesia S. Sabinæ P. literâ insignitam videmus vestem Sancti Pauli: in Tribuna S. Mariæ Transtyberim, ac in Tribuna Oratorii S. Venantii, & S. Petri, in arcu S. Marci: hìc character depictus est in fimbria

Pallii

Pallii S. Anastasii in arcu supradictæ Tribunæ S. Venantii [ ] : similia signa cernuntur in vestibus Angelorum in præfato arcu Liberianæ Basilicæ. Hoc signum item est in veste unius Angeli in eodem arcu.

L. Hæc nota videtur apposita in veste cujusdam figuræ, præfatæ Liberianæ Basilicæ, ut in Tab. LX. Ista verò in alterius veste, ut in eadem Tabula; & in Hieremia Propheta in Arcu S. Mariæ Transtyberim. Z. pariter in dicta Tab. LX. cernitur.

Aderant & in Tribuna S. Agathæ in Suburra cum Christo duodecim Apostolorum figuræ, quæ signis diversis inscriptas vestes habebant; Christus videlicet cum SS. Andrea, Matthæo, Bartholomæo, Paulo, & Philippo hoc . à quibus paullò differebant SS. Jacobus, Simon, Jacobus Alphei, & Judas. S. Petrus . At SS. Joannes, & Thomas . Item Christus notatur in Ecclesia S. Pudentianæ. S. Paulus in S. Theodoro. Ibidem Sanctus  Petrus H. In Tribuna Sanctæ Mariæ Transtyberim S. Joannes T. Alia signa in vestibus Apostolorum in Leoniano Triclinio visuntur, nempe  Christus verò Dominus hoc peculiare signum exhibet.

In Tribunis SS. Praxedis, Agnetis, & Cæciliæ Virginum, vestes rotis notatæ sunt.

Hæc autem sunt signa in vestibus figuratis Musivorum operum Romæ extantium.

Similia, ac alia diversa signa observari etiam possunt in Musivis operibus Ravennæ existentibus, quorum exemplaria transcribere curavi, de quibus suo loco agendum, nunc autem summatim, ne nimio benignum Lectorem tædio afficiam, signa in vestibus figurarum extantia reponam.

In Ecclesia Sancti Apollinaris novi, in diversis figuris hæc signa impressa cernuntur: 

In Ecclesia S. Vitalis ejusdem Civitatis Ravennæ.

In Ecclesia S. Michaëlis 

In Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin 

Pariter in Ecclesia S. Agathæ Majoris laudatæ Civitatis .

Similiter in Ecclesia SS. Nazarii & Celsi .

Hæc magna diversitas, & promiscuus usus hujusmodi characterum, seu notarum in variis antiquarum imaginum vestibus, quæ notæ aliquam elementarium literarum formam utplurimùm habent, clarè demonstrat, quantum à veritate aberraverint præcitati Auctores, certam, determinatamque aliquam significationem literis hisce, seu characteribus attribuendo. Accedit insuper, quòd multæ è prædictis notis, seu signis nullam habent literæ elementaris seu Latinæ, seu Græcæ formam; ut sunt, exempli gratiâ . Quæ signa, cùm promiscuè in imaginum vestimentis (ut supra ostensum est) cernantur, nemo certè affirmabit, aut tesseram Patriæ, aut Nomen, aut Artificem, aut Crucem, aut Christum, aut Apostolos, aut reliquos Sanctos præcisè denotare; ut benè hujus totius Discursûs supracitata testimonia, & diversarum eruditionum œconomiam advertenti, patebit.

Re-

Reſtat nunc, ut his omnibus benè perpenſis, quænam ſit mea de iſtorum characterum origine, ac ſignificatione ſententia exponam.

Ex diutina ergo, ac ſeria meditatione, quam habui ſuper hac re, & ex contrarietatibus, quæ in præfatorum Auctorum ſupra allatis ſententiis reperiuntur, conjecturari certè mihi poſſe videtur, quòd ſæpè memoratæ literæ, ſigna, characteres, aut monogrammata, in veterum ſacrarum imaginum veſtibus, originem ſuam habuerint ab antiquo more, qui etiam nunc ubique in uſu eſt, ſignandi omnes pannos ſigno imaginis, aut effigiei, ſeu alterius notæ, ut vulgò dicitur *Marco*, ſive *Inpronta* officinæ Textoris, utpotè cum una, duabus, aut tribus literis, vel ſimul nexis, vel inverſo ordine compoſitis; quibus literis, aut artificum, aut loci, ubi panni illi fabricabantur, aliquam notam afferant. Unde & illa cordis figura, & aliæ, quæ nullam habent elementaris literæ formam, ut ſupra notavimus, certè nihil aliud quàm officinæ ſigna artificum eſſe poſſunt: quæ etiam ſigna diverſos figulinarum Dominos antiquitus denotabant, ut in longa ipſarum figulinarum ſerie obſervavimus.

Antiqui enim Pictores, qui neſcio ſcrupulosâ nimis, quâ pingebant diligentiâ, ruditatem ſuam exuerent ne, an augerent, cùm imagines, aut ex pictura, aut ex Muſivo opere efficerent, eaſdem notas, aut characteres, quæ in prototypis veſtibus pro officinarum, aut artificum ſigno, ſeu *Marco* erant, in pictis, aut Muſivis etiam veſtibus efformabant: & ideò ſicuti hæc ſigna in laciniis typicarum, ideſt verè pannearum veſtium appoſita erant, ita in fimbriis pictarum veſtium eadem pingere conſuêvere.

Scio, ſtatim huic noſtræ ſententiæ objici, ſigna & literas quæ in pannis ſunt, à ſutore recidi, & objici, nec unquam in veſtibus apparere; unde quæ in veſtibus Apoſtolorum, aliarumque Imaginum ſunt, talia eſſe minimè poſſe, ac nos graviter hallucinari. Verùm hoc quod objicitur, vel rationi ſat conſonum, vel ſaltem credibile foret, ſi iis temporibus, quibus Muſiva opera fabrefacta fuêre, recidendi pannos in plagas, & fruſtra, ac inde acu, filoque mediantibus in unum iterum, ſed formâ diverſum coaptandi mos extitiſſet, utì hodie. Antiquis enim temporibus ſimplex veſtitus erat, & unico pallio, & tunicâ, ut plurimùm veteres patres contenti erant, quæ inconſutilia fuiſſe exiſtimo. Plinius lib. 8. cap. 48. nos docet apud Romanos Tanaquilam, quæ & Cæcilia fuit dicta, primam fuiſſe, quæ rectam tunicam exuiſſet; quem morem etiam apud Hebræos viguiſſe comperio ex S. Joanne cap. 19. 23. ubi aſſerit, Domini Noſtri JESU CHRISTI tunicam fuiſſe inconſutilem, ac contextam per totum. Hanc autem quæſtionem, quòd antiqui Romani habuerint textas veſtes, non acu conſutas, jam movit Caſaubonus ad Ælium Spartianum in Caracalla, ubi ait: *Pleraſque omnes veterum veſtes texturâ ſolùm confici ſolitas, ſine opera ſutoris ulla, &, ut loquuntur Euangeliſtæ:* ὑφαντὸς δι' ὅλου. Idem confirmat in *exercitat. ad Baron.* 16. n. 117. *Hodie* (inquiens) *rariſſimè veſtis aliqua conficitur ſine Sarcinatoris opere; olim verò parandarum veſtium alia*

*fuit*

*fuit ratio, textores enim absolvebant, neque eorum operâ ut plurimùm utebantur, quos sermo Gallicus vocat* Couturiers, *Latini, Sartores, quæ vocabula refectorem veteris vestis potiùs denotant, quàm novæ confectorem.* Fusè super hoc dubio differuit Braunius *De vestitu Sacerdot. Heb.* lib. 1. cap. 16. num. 10. & seqq. quem adeundum curioso Lectori relinquam.

Hic idem Auctor, occasione motæ quæstionis, luculentissimè differit de modo texendi vestes in dicto cap. 16. num. 19. ex quo nonnulla delibavimus. Duo igitur apud veteres texendi genera fuêre, unum sedendo, ac deorsùm, ideſt tramam ad inferiorem partem spatâ (à similitudine gladii sic dicta) loco pectinis nunc usitati, trudendo, unamque simplicem telam tantummodò absolvebant, ut videre est in Tab. XXXV. Fig. 2. Alterum verò, quod apud nos in desuetudinem abiit, antiquis tamen usitatissimum, erat hoc: illi qui texebant, stabant, telamque perducebant ab uno latere ad aliud, tramam sursùm, ideſt ab inferioribus ad superiora ducendo. Hujus texendi forma pulcherrimum exemplum est in venerando antiquitatis Codice Virgiliano, mille, & quadringentorum circiter annorum, qui in Vaticana Bibliotheca asservatur, ubi visitur femina stans in perpendiculari jugo textorio telam conficiens. Figuram ex eodem Codice depromptam gratum lectori facturus, & confirmaturus ea, quæ Braunius in dicto capite affert, exhibeo in eadem Tab. XXXV. Fig. 1.

Nititur idem eruditè demonstrare antiquam vetustam artem texendi vestes præfatas in India coli adhuc; ac tunicam ex byſſo, sive xylino subtilissimo ex Indis ad Hollandos egregiè manicatam, ac undique clausam sine sutura, sine ullo acûs vestigio delatam fuisse, quo exemplo motus veterem hanc texturam ingeniosissimam sanè, ac rarissimam, tot jam retrò sæculis deperditam, ex veterum tenebris in apricum protraxisse, & bono publico, præsertim in Literariæ Reipublicæ monimentum vulgâsse; prout in sequenti jugi textoris emblemate in eadem Tabula Fig. 2. apparet, cujus declarationem apud ipsum Braunium videre poteris.

Dum hæc scriberem, ad aures meas pervenit, hac in Urbe artificem degere: qui similia texeret. Diù ego quæsitum inveni, quem non solùm mihi indicavit, verùm etiam domum meam duxit eruditissimus Joannes Pastricius Collegii Urbani *de Propaganda fide* Controversiarum Lector, Græcæ, Orientaliumque linguarum supra fidem peritus, ac dignissimus à secretis, sive Director, collationis Ecclesiasticæ historiæ à me institutæ, quæ in eodem Collegio quindeno quoque die fer. 2. habetur: dixi, à me *institutæ*, quoniam aliqui palmam mihi arripere tentârunt, aliis tribuendo. Textorem igitur interrogavi, an tunicam vulgò *indusium* ulla sine sutura sciret intexere? Respondit protinùs, se talia elaborandi modum jam à triginta quatuor annis excogitâsse, suadente, ac premente nobili quodam viro Principis Thomasii contubernali. Addiditque. *Quatuor jam ab illo scuta acceperam, ut opificio manus imponerem; sedulamque navabam operam, quum in manicis hæsi, velut in sicco, & inchoata perficere planè jam desperabam.*

*Hinc*

Fig. 1.

Fig. 2.

TAB. XXXV.



*Hinc maximè cogitabundus, ac de pecuniâ reſtituendâ ſollicitus, quam in familiæ ſuſtentationem impenderam, quâdam nocte texere ſomniavi, obicemque difficultatis evincere. Proſilivi ſtatim, & quod in ſomniis conceperam, vigil attentans, voti compos effectus ſui. Quatuor iude induſia confeci, quorum alterum in Hiſpaniam, duo in Sardiniam delata fuère; Quartum ſanc. mem. Clementi Papæ X. dono dedi, & inſtante poſtmodum Eminentiſs. Purpurato, ſoccos, ſeu calceolos lineos etiam texendi modum inveni.* Hæc ille. Quibus ut fidem aſtrueret, nondum abſolutum induſium oſtendit. Utque novum hoc Artis inventum, ſeu veteris reſtitutio magìs, magìſque pateſceret, publicæ illud Academiæ Phyſico-mathematicæ, quæ domi meæ pluribus ab hinc annis habetur, fideliter ſpectandum propoſui, totque ſui teſtes, ac præcones habuit, quot eâ die Academiæ intervenerant.

Artificis nomen eſt Franciſcus Maria Granchi, Natione Florentinus, novem jam ſupra quinquaginta annis in Urbe moratus, quò vix exacto novennio puer acceſſit: & quia ab eo curioſus adhuc exquirens, qualis textoris jugi ad hæc opera forma eſſet? ipſammet eſſe accepi, quæ ad pannum cujuſque generis adhibetur.

Poſt aliquot menſes fama per Urbem vulgaverat, inconſutile induſium in præfata Academia oſtenſum fuiſſe. Unde quidam alius ingenioſus artifex Franciſcus Guiot nomine, Natione verò Burgundus, recurrit ad Dominum Abbatem Joſephum Ponthiam ejuſdem Academiæ à ſecretis, ut proprii ingenii in eadem Academia pompam faceret in texendo non ſolùm induſium, verùm & mappam cum ſuis floccis ad nares detergendas: Ac parvulum Caſulam, vulgò Planetam abſque ulla acûs ope, ſed ſolâ, & ſimplici texturâ in ſolito jugo textorio propriâ ſcitâque minervâ elaboratam protulit. Quare ex iterato molimine horum artificum; quod benè, imò ultra ſpem cecidit, patet, quàm facile ſit hujuſcemodi tunica inconſutiles texere. Si ergo apud antiquos mos iſte vigebat in tunicis, quantò magìs viguiſſe exiſtimandum eſt in Palliis conficiendis, quæ non rotunda ut hodie, ſed quadrata oblonga fuiſſe judico, & ab ea forma, nomen Palliorum quadratorum ſumpſiſſe.

Singula tamen per ſe diſtinctè texta fuiſſe arbitror, ut nunc videmus lectorum culcitas, quarum ſingulæ diviſim ab aliis texuntur, habentque in altero ex angulis unam, uel duas literas, aut alium characterem, qui nomen artificis indicat, vel officinæ inſigne eſt, His ergo rationibus, vel conjecturis allatis abundè oſtenſum credo, literas, & alia ſigna laciniis veſtium Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum appoſita nil aliud omnino, niſi nomen artificum indicare, ſeu notum inſigne eſſe, in eorundem officinis publico aſpectui apponi ſolitum.

## CAPUT XIV.

### *De Coronis, aliiſque capitis ornamentis*

CVM inſtituti noſtri præcipuus penè ſit ſcopus, Iconiſmis ad rem pertinentibus hiſtoriam ornare; cumque in iis non ſemel coronas, diademata, ſerta, aliaſque id genus corollas Imaginum capitibus impoſitas in-

tueamr ; noſtræ intentioni , quam-maximè conſentaneum eſſe videtur , hîc *De Coronis* diſquirere , ut Icones illæ delucidè , ac plenè attingantur. Ideò eruditum Paſchalium conſulentes , qui luculentam de illis notitiam tradidit in ſuo Tractatu *de Coronis* , & Wolfgangum Lazium , qui longè ante ipſum *De Repub. Romana* ſcripſit, lib. 9. c. 18. aliqua ex ipſis, aliiſque curſim excerpta ſtylo Laconico pertractabimus .

Coronarum uſus tantæ vetuſtatis eſt , ut ex variis ſpeciebus , quæ longiſſimis temporis interſtitiis emersêre, non ita facilè ſuppetat modus , lumenque ad æquivoca detegenda , quæ paſſim non paucos decipiunt ; Coronas præſertim cum ſertis , radiis , ac diadematibus , & è contrario confundentes . Nos itaque eâ , quâ præ viribus valemus , ſtudii lance , omnia , quæ hujus rei errorem æquare, & corrigere poſſint , ſedulò ponderabimus

Acturi igitur *de Coronis* , dicendi lex flagitat, ut prius coronæ etymon aperiamus , de quo multifariam decernunt Hiſtorici . Alii non humilis famæ Scriptores *Coronam* à *cornu* originem ſortiri arbitrantur , fortaſse eo quòd in ſacris paginis *cornu* tanquam inſigne , notaque Regii capitis uſurpatum obſervent . Feſtus verò inter antiquos Scriptores , *Coronam* à *choro* dici autumat , carere tamen aſpiratione . Appion apud Athenæum lib. 5. ait, *Coronam* olim *Choronon* fuiſſe appellatam , qua Saltatores in theatris redimiri ſolebant . Hujus notionis videtur quoq; particeps Iſidorus lib. 19. cap. 30. ubi coronam ab eo nomen ſumpſiſſe adſtruit , quòd antiquitùs prope aras circumcurſaretur : unde ad figuram circuitus , Chorive ſimilitudinem , illam conſtruere antiquitas docuit . Paſchalius verò lib. 1. cap. 8. rejectis his omnibus , aliiſque opinionibus, Coronæ vocem à Græcis dictionibus κορωνὶς & κορώνη emanare putat , ut ipſe nominum ſonus , reique ſignificatæ univocatio , argumenta ſuppetunt . Tradunt enim Grammatici κορώνλω eſſe arcûs apicem ſphæricum , nempe illud rotundum , ſive ſit hemicyclus , ſive curvamen . Sæpè ſæpiùs quemcumque finem ſignificat ; quod ſimili hâc loquendi phraſi probari videtur ἀπὸ τῆς ἀρχῆς , ſive ἐκ νεάτης μέχρι τῆς κορωνίδος . ideſt . ἐπὶ τὸν κορυφὸν . nempe *à principio ad finem , ex infimo ad ſummum , à carceribus ad calcem , à deſtinatis ad perfecta* . Quare ponitur κορωνὶς pro ædificii faſtigio , & inter alios ab Heſychio . Cùm igitur Corona ea ſit, ultra quam hominum cupido aliud expetere haud valet , ac ex Ariſtotele *Moral.* lib. 1. cap. 9. præmium , finiſq; virtutis : nil magìs illi congruere videtur , quàm ut à Græcis illis dictionibus ortum habeat , quæ apicem , finem, ac plenitudinem innuunt . Conſtat enim , quodcumque in humanis ſummum , & perfectum intentamus , ad id ſcitè ornateque Coronæ nomine nos alludere ; adeò ut qui dicit Coronam ; culmen , apicem , finem , & perfectionem dicat . Atque hoc ſenſu docuit Sapiens *Eccleſ.* 25. timorem Domini eſſe coronam ſapientiæ , cujuſmodi eſt illud Clementis Alexandrini lib. 3. *Pædagog.* cap. 3. *Senum autem corona eſt multa experientia , & vultûs ejus canities flos eſt multæ experientiæ* .

Hæc ex plurimis apud eundem Paſchalium loco citato decerpſimus . Nos autem prædictos Auctores conciliantes ,

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.


Fig. 6.

Fig. 7.


Fig. 8.


Fig. 9.


Fig. 10.


Fig. 11.


Fig. 12.


Fig. 13.

Fig. 14.


Fig. 15.

Fig. 16.

Fig. 17.

Fig. 8

tes, putamus Coronas in locis campeſtribus, vineiſque, ubi animusâ curis levatur, caſu adinventas fuiſſe: aliquem nempè in illa animorum alacritate, pampinis, aut alicujus plantæ racemis in gyrum contextis, Coronas formâſſe, eiſque ſociorum, convivarumque tempora redemiſſe; quæ cùm quid ludicrum, ac jucundum præferrent, alios omnes invicem ſibi ſimiles capiti impoſuiſſe, illaſque tripudii, & alacritatis tempore geſtâſſe. Meam hanc, conjecturam confirmant qui ſcribunt, Bacchum Coronarum inventorem fuiſſe, hederaceam geſtàſſe. Plinius præcipuè lib. 16. cap. 4. Alii veró Baccho antiquiorem Janum faciunt; ut Athenæus lib. 15. alii Saturnum, ut ex Pherecide narrat Tertullianus libro *De Corona Militis*. Quare ſi Saturnus coronarum inventor extitit, & ipſe Saturnus Adam fuit, ut exiſtimat eruditiſſimus Vir Gerardus Voſſius *De Theolog. Gentilium*. lib. 1. cap. 18. ſi verò Bacchus, aut Janus, cùm idem ſit ac Noë, teſtante eodem Voſſio loco citato, ex hoc deducitur antiquiſſimus Coronarum uſus, & per conſequens earundem originis ignorantia. Hoc tamen ſcimus, Moſis tempore in honoris argumentum, & ſignum acceptas, ut habetur in Joſepho lib. 3. *de Antiquit Judaic.* c. 11. ubi: *Circundatur ei* (videlicet capiti Pontificis) *& aurea corona tribus ordinibus facta*. & lib. 8. cap. 3. *Corona, in qua Deum Moſes ſcripſerat unum fuiſſe*.

Propterea ſententias illorum omitto, qui opinantur, Coronas deſumptas eſſe ab animalium terreſtrium, ſeu volatilium, aut piſcium, ſive florum, aut fructum ſimilitudine: prout etiam tanquam inania Poëtarum figmenta, ſtellarum coronas in plaga Boreali Ariadnæam, & in Auſtrali Auſtrinam, ſive Rotam Ixionis; & propiùs ad earundem diverſarum ſpecierum enarrationem accedo. Coronæ igitur temporis progreſſu non ſolùm in alacritatis, ac lætitiæ ſignum inter convivas adinventæ fuêre; verùm etiam ad indicandam viri alicujus prerogativam, ob inſigne aliquod facinus, vel peculiarem virtutem, aut dignitatem; quandoque etiam in ſignum doloris, aut ingominiæ, ut infra oſtendam.

A convivalibus autem, veluti origine prioribus, initium ſumentes, materiam earum, & cauſſam demonſtrabimus. Variæ profectò, ſive capitis ad ornatum, ſive ad ipſius debilitatem, ut gravitatem levandam, aut in odorum fragrantiam pro libito convivarum, ex variis vegetabilibus coronæ conflatæ, & conſertæ fuêre. Non, nulli enim *Hederaceam* adhibebant, cujus exemplar habes in Tab. XXXVI. Fig. 3. Baccho inventori dicatã: quippè qui hederæ foliis citra cultum & artem perenni viriditate vernantibus coronati, ſine gravis odoris nauſea refrigerium experiebantur. Alii *Myrteam*, ut. Fig. 7. quæ aſtringit, merique exhalationes coërcet. Alii *Roſaceam* uſurpârunt, Fig. 1. cùm roſæ gravitati capitis cõferant, & acres vapores in cerebrũ conſpirantes expellant. Quidam *Antinoiam*, *Lotinamque* fronti imponebant, ut in Fig. 2. utramque è Loti floribus compactam, quos duplici colore arbor pingit; uno roſam imitante. ex quo corona *Antinoiam*; altero cyaneo perſimili, è quo *Lotina*. Lotos iſta eſtivo tempore affluit Alexandriæ: in Ægypto enim paſſim attollitur. Aderat quoque corona *Hypoglottis*, qua-

tanquam fræno utebantur ad loquacitatem arcendam, plerumque inter pocula oriri solitam: corona hæc ex Pastillorum massa compacta erat: *Hypoglottides* enim pastilli sunt, seu catapotia ad tussim comparata, quæ linguæ supponuntur. Moris pariter erat uti coronâ, quæ dicebatur *Hypothymis*, & quæ collo appensa protendebatur ad pectus, venustate florum, odorumque suavitate commendabilis; de qua Plutarchus *Symposiac.* 3. & meminit Ovidius *Fastorum* lib. 2.

*Ecce nurum Regis fulsis per colla coronis*
*Inveniunt posito pervigilare mero.*

Pleriq; verò, præsertim rustici; *Amerinâ salice* coronabantur, ut Fig. 5. Nec deerant qui ex *Apio* coronas gestantes, lætissimum Baccho festum, convivumque concelebrarent, in quo Aristoteles nihil Diis mutilum offerri debere asserit, sed quod integrum sit, ac perfectum, idque non nisi coronis aptiùs fieri potuit, quæ plenitudinem, ac perfectionem significant, ut supra ostendimus.

Hæ aliæque coronarum species in conviviis, & epularum initio convivis offerre solitum erat, ut describit Philoxenus Dithyramborum scriptor in opere, cui Titulus *Cœna*, apud Athenæum lib. 15. cap. 10. *Deipnosoph.* his verbis: Κατὰ χειρὸς δ' ἤλυθ' ὕδωρ ἁπαλὸς παιδίσκος ἐν ἀργυρέᾳ προχόῳ φέρων ἐπέχευεν. εἶτ' ἔφερε στεφανολεπτὰς ἀπὸ Μυρτίδων. εὐάγητον κλάδον διστύναπτον. *Aqua lavandis manibus allata est: Molliusculus puellus argenteo gutto quem tenebat, affudit, coronasque deinde advexit tenues, è puris mirti ramis magno labore contextas.* Compotationibus verò conviviisque importunam existimârunt coronã *Lauream*, ut in Fig. 4. tum propter caliditatem, quâ laurus inficitur, tum ob acrimoniã odoris, quæ capiti maximè obest. *Aramaceam* quoque coronam, tum *Violaceam* improbârunt; imò omne florum & frondium genus, quod nimis oleret, & capiti officere potuisset.

Hactenus de convivalibus: modò ad eas coronas gradum faciamus, qnæ honoris caussâ dabantur, tam in Gymnicis certaminibus, aliisque spectaculis. quàm etiam in bellis. In ludis jam à Thesei temporibus invaluit consuetudo, ludorum victores coronandi palmis in Creta insula, ubi ipse Deli ludos instituit. Theagenes Thasius cùm cursu, & luctâ, pugillatuque in Olympicis excelluisset, mille & ducentas coronas lucratus est. Antoninus Caracalla Imperator sæpius in equestribus certaminibus supra alios victor, coronarum præmio donatus fuit.

A ludicris certaminibus edocta posteritas, suos deinde milites ob aliquod magnum in bello patratum facinus coronavit, ut unius præmium aliis ad gloriam, pro calcari inserviret. Ex diverso autem præclaro facinore diversæ dabantur coronæ: nam aliæ *Civicæ*, aliæ *Murales*, aliæ *Vallares* aliæ demum *Navales Ovales*, *Obsidionales*, *Triumphalesq*; dicebantur. *Civica*, quæ ut plurimum quercu, ut Fig. 6. quandoq; etiam ex hedera, vel lauro erat, ut tradit Gellius lib. 5. cap. 6. Plin. lib. 22. cap. 3. & 4. militi illi largiebatur, qui Civem Romanum in bello servâsset, eâ lege, ut Civis ipse servatus, se ab illo servatum asseveraret; neque aliter dabatur, si quenquam alium quantumvis Regem servâsset.

*Mu-*

*Murali*, in pinnarum ſpeciem, ut Fig. 2. quæ ex auro aliquando erat, illum Imperator inſignibat, qui primus hoſtiles muros aſcendiſſet. *Vallari*, ſeu *Caſtrenſi* ex auro, ut in Fig. 10. ille honorabatur, qui prior in hoſtiũ vallum, & caſtra irrupiſſet. *Roſtratam*, ſive *Navalem*, quæ inſtar navium roſtri itidem ex auro efformabatur, ut Fig. 11. habes, ille ferebat, qui navali certamine primus in hoſtium ratem inſiluiſſet. *Ovalem* ille, qui partâ victoriâ Urbem ovans ingrediebatur, & hæc myrtea erat, ut in Fig. 7. Corona *Obſidionalis* ab iis, qui ab obſidione liberatos ſe faterentur, Duci liberatori offerebatur; & fiebat è gramine, ut ex Fig. 8. quòd in eo loco ortum eſſet, intra quem clauſi erant qui obſidebantur. Demum *Triumphalem* coronam Dux lucrabatur, qui ſedatâ Provinciâ, victiſq; hoſtibus, Tarpejam arcem triumphans aſcenderet: hæc prius ex myrto, deinde lauro, ut ex Fig. 4. poſtremò ex auro, gemmiſque confecta fuit, ut infra patebit. Primus omnium, teſte Plinio lib. 15. cap. 29. qui myrteâ coronâ uſus Urbem ovans ingreſſus ſit, Poſthumius Tubertus fuit Sabino genere natus: deinde M. Craſſus à veteri more declinans, & abhorrens à myrtea, laureâ coronatus inceſſit; ex Gellio lib. 5. cap. 6. Uſus autem coronarum ſenſim adeò excrevit, ut primis Eccleſiæ naſcentis ſæculis, in Primogenios etiam Chriſtianos perrepſerit, qui variis lectorum florum, illuſtriumque frondium, aureiſque etiam, ac gemmatis coronis perornabãtur, quos fusè, & religioſo ſtylo increpat, reprehenditque Tertullianus *De Corona Milit.* cap. 14. his verbis: *Vir Eccleſiæ* (inquit) *Chriſtus Jeſus, quale oro te, ſertum pro utroque ſexù ſubiit? ex ſpinis opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit Terra carnis, abſtulit autẽ virtus Crucis, omnem aculeum mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo & dedecoratio & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt: uti tu nunc laureâ, & myrto, & oleâ, & illuſtri aliquâ fronde, & quod magìs uſui eſt, centenariis quoque roſis de horto Midæ lectis, & utriſque liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forſitan & auro, ut & illam Chriſti coronam emuleris, quæ poſtea ei obvenit, quia & favos poſt fella guſtavit; nec ante Rex Gloriæ à Cæleſtibus ſalutatus eſt, quàm Rex Judæorum proſcriptus Cruci; minoratus primò à Patre modicùm quid citra Angelos, & ita gloriâ honore coronatus; Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi potes ei repende, quale ſuum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes.* Viguit quoque antiquitùs ritus coronandi cadavera, & floribus, coroniſque ſepulchra ſpargendi. Si quis enim virtute aliquam ſibi coronam adeptus eſſet, eâdem etiam fato functus decorabatur; id permittente lege *Duodecim Tabularum*; cujus meminit Plinius lib. 21. cap. 3. & docet Cicero lib. 2. *de leg.* his verbis: *Illa jam ſignificatio eſt laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperiſſet, & ejus parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam jubet.* Mortuorum coronas apud veteres, tetigiſſe videtur Clemens Alexandrinus lib. 2. ibi: *A turba, & negotio remotæ ſecuritatis ſignum eſt corona, quare eâ*

*& mortuos coronant*. Legem hanc coronandi defunctos, primævi Ecclesiæ Patres ab antiquis Christianis repudiatam testantur, præsertim sæpè laudatus Tertullianus citato loco *De Corona Milit.* cap. 10. sic. *Quid enim tam indignum Deo, quam quod dignum idolo? Quid autem tam dignum idolo, quàm quod & mortuo? nam & mortuorum est ita coronari: quoniam & ipsi Idola statim fiunt, & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idolatria est*. & Minucius Felix in Octavio, hæc habet: *Sanè quòd caput non coronemus, ignoscite: auram boni floris naribus ducere, non occipitio capilliſve solemus haurire, nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc satis miror quemadmodum tribuatis exanimi & non sentienti coronam, cùm & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus*. Ego autem tunc temporis Christianos abstinuisse coronis mortuos redimire non improbo, cùm in exordiis, & vagiente adhuc Ecclesiâ nimius illis inesset religionis fervor, & verecundia. Postmodum verò eâ in pace adolescente, similibus coronis, liliisque coronandi cadavera, præsertim Virginum, & Puerorum, morem introductum non dubito, cùm usque ad hæc nostra tempora, observatum id videamus. Atque hæc de mortuis dicta sufficiant, & ad Cæsarum Diademata properemus.

Glisçente cum tempore, Cæsarum luxu, lauro nequaquam contenti fuêre, sed quid augustius excogitantes diademate redimiri cœperunt. Primus autem qui diademata adhibuit, Aurelianus Augustus fuit, si Victori credimus, qui, *Iste* (inquit) *primus diadema capiti innexuit, gemmisque, & auratâ veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, usus est*.

At Lampridius in Heliogabolo narrat, hunc Imperatorem, jam ante Aurelianum diadematis gemmati usum habuisse, ubi sic: *Voluit* (Heliogabalus) *uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad feminarum vultũ aptus, quo & usus est domi*. Gestandi diadematis consuetudo mirum quantum creverit, ejusdemque eò pretiosior, & operosior ornatus erat, quò proniores Imperatores ad luxum. Alii etenim fasciam albicantem, quâ tempora stringebant, obligabantque retro vittis pendentiibus, pretiosis gemmis, & duplici margaritarum ordine decorabant; quod diadematum genus ex unionibus dicebatur, quorum exemplar habes in Fig. 12. 13. & 15. Testantur hoc plurima Cęsarum numismata, quorum Icones produnt Spanhemius in suo *Thes. numism.* & eruditiss. Du-Cange in suo Tract. *De Familiis Byzantinis*, qui cùm à pag. 54. successivè ad ulteriores iis abundet, adiri à curiosis fuerit oportunius, quàm hic à nobis referri, accedentibus jam ad nonnulla de differentiis inter coronas, & diademata pertractanda.

Porrò nemo est qui ignoret, diademata, coronas, & serta plerumque à Scriptoribus confundi tanquam fortè synonyma: verùm si sedulò, & accuratè voces hæ perpendantur, profectò haud exiguum inter eas discrimen inventuros nos puto. Diadema enim fascia quædam est candida, ac subtilis, capitisque vinculum, ut ostendit Plutarchus in Lucullo, de Mitridatis uxore sic loquens: *Lacerato capitis diademate, illud circumposuit collo, seque suspendit; statim autem fracto, ò ingrate,*

*te* (inquit) *panne, ne ad hoc quidem mihi utilis eris?* ex quo manifesta est inter coronas, & diademata differentia, cùm illæ nil prorsus cum candida, ac subtili fascia commune habeant. Hujusmodi lineo capitis vinculo, seu diademate magnum Alexandrum usum fuisse docet Justinus lib. 5. Is namque cùm Lysimachum hastæ cuspide ita vulnerâsset, ut sanguis minimè sisti posset, vulneris obligandi gratiâ diadema deposuit, & explicavit. Fasciæ quoque, seu diadematis meminit Ammianus Marcellinus lib. 17. ubi de Pompejo agens, tradit, hunc fasciam diadematis exulcerato cruri applicâsse, unde à nonnullis increpatus fuit. Marcellini verba hæc sunt; *Nec non etiam in Pompejum obtrectatores iniqui multa scrutantes, cùm nihil unde vituperari deberet inveniretur, duo hæc observaverunt ludibriosa & irrita: quòd genuino quodam more caput digito uno scalpebat: quodque aliquandiu tegendi ulceris caussâ deformis, fasciolâ candidâ crus colligabat: quorum alterum factitare ut dissolutum, alterum ut novarum rerum cupidum asserebant: nihil interesse oblatrantes argumento subfrigido quam partem corporis redimeret Regiæ Majestatis insigni, eum virum quo nec fortior, nec cautior quisquam patriæ fuit.* Unde de eo sic Cinna cecinit.

*Fasciolâ qui crura tegit, digito caput uno*
*Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum?*

Plutarchus in Cæsare, ubi de Lupercalibus agit, discrimen, quod quærimus, inter diademata & coronas satìs innuit; ait enim, Antonium Consulem Cęsari Lupercalia spectanti diadema serto laureo circumvolutum obtulisse. ejus verba sic se habent: *Is* (nempe Antonius) *ut in forum pervenit, populusque ei locum adeundi dedit, diadema serto laureo circumplicatum porrexit.* Ex quibus aliud à diademate fuisse sertum, seu lauream coronam, nemo nõ videt. Clarius ad rem loquitur Petrus Blesens. Bathoniensis Archidiac. Serm. 19. *ad cant.* 3. 11. ibi: Egredimini & videte filie Sion Regem Salomonem in diademate, &c. *Aliud est corona, & aliud est diadema. Corona simplex est circulus aureus, quo utuntur Reges in minoribus solennitatibus. Diadema est quasi duplex corona, cùm ipsi coronæ quasi alius circulus gemmis superpositus superadditur. Ex ipsa enim Græci nominis interpretatione duplicantem sonat.* Hanc etiam differentiam patefacit Honorius Augustodunen. lib. 1. *De antiq. Rit. Miss.* ubi agens de corona, & diademate, duo sejuncta capita exequitur, in quibus manifestè tanquam de diversis signis discurrit cap. namque 224. de corona Imperatoris, & Augusti hæc habet: *Corona Imperatoris est circulus Orbis; portat ergo Augustus coronam, quæ declarat se regere mundi Monarchiam, &c.* cap. verò 223. de diademate hæc ait: *Diadema autem Regum designat Regni ambitum, & omnes, qui in agone contenebant, diadema accipiebant, quòd si pro justitia certaverint, cum Rege omnium coronati regebunt. Hæc verò Regalia insignia à Nino primò traduntur inventa.*

Sed præter diadematis ornamenta Augusti divinitatem superbè affectantes, radiatam sphærulam capiti circundedêre. Quapropter hîc poscere res mihi videtur, ut aliqua de hujus-

mido

modi radiis, quibus capita Cæsarum, magnatumque in statuis antiquitùs condecorabantur, obiter tradamus. Porrò ora Augusti passim radiata occurrunt apud Golzium in Augusti nummis à pag. 18. usq; ad 21. Item Augusti statuam cum radiis frontem occupantibus insculptam cernimus, cum Titulo: *Augusto Deo*. Dio Cassius narrat, stellas, quæ etiam ad radios referri possunt, capiti statuarum appositas: unde lib. 15. *Augustus* (ait) *statuam Patris æream cum stella supra, in Veneris templo posuit*. Idem hoc adstruit, & causam addit Suetonius in Julii Cæs. vita, sic scribens: *Periit* (Julius Cæsar) *sexto & quinquagesimo ætatis anno, atque in Deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione vulgi; siquidem ludis, quos primò consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditum est animam esse Cæsaris in Cælum recepti, & hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella*. Pub. Victor in Colosso Solis, quem Zenodorus Neroni dicavit, de quo Plin. cap. 34. lib. 7. septenis caput ejus radiis coruscâsse, tradit, quorum singuli viginti duos pedes, & semis in longitudine præstabant. Mos iste radiis circumducendi capita augustorum, ex eo acceptus invaluit, ut ii se supra hominum sortem positos, & in albo Deorum adscriptos jam tum esse ostentantes, populis hac majestate timorem incuterent, & iisdem securiùs illuderent. Hinc illud Lucani 7. *Pharsaliæ*.

*Fulminibus manes radiis ornabit & astris*.

Hinc de Domitiani statua sub Dio exposita hæc Statius *Thebaid.* 1.

*Licet ignipedum frænator equorum*
*Ipse suis altè radiantem crinibus arcum*
*Imprimat*.

Has radiorum circumferentias edidicit, adhibuitque Christiana pietas in decorandis Sanctorum imaginibus, ut antiquissimæ Icones docent: fronteque id etiam exemplo Mosis fecisse Christiadas non abit à verisimili. Moses enim cum Tabulis legis lapideis de monte descendens, vultum radiis coruscantem, afflatumque splendoribus è consortio, & colloquio Dei protulit, ex illo Exodi 34. num. 29. *Cumque descenderet Moses de monte Sinai, tenebat duas Tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filii Israël cornutam Mosi faciem, timuerunt propè accedere*. Itaque ex consortio, claraque visione Dei, qua Beatorum animæ perfruuntur, haud extra rem erit si conjiciamus primævos Patres sedulos legum sacrarum Interpretes, has radiorum sphæras veluti gloriæ notam Sanctorum virorum Iconismis aptâsse.

Quòd verò antiqua Christiana pietas Sanctorum capita hujusmodi radiantibus lineis insignire studuerit, sive in statuis, sive in picturis, opinantur nonnulli, non ex eo ortum esse, quòd veteres doctrinam, vitæ excellentiam, & gloriæ typum in saxis, tabulisque posteritati consignare voluerint; sed antiquarum potius statuarum exemplo, quibus opificum studio addebantur lunulæ quædam, seu patellæ, ob longè alienam causam, nempe ut supra capita aptatæ, contra avium

for-

ſordes, & ſtercora pro tegumento inſerviret. apertè id innuit Ariſtophanes in *Avibus*. ibi:

Ην δέ πȣ δειπνῆτε πρηγορεῶντας ὑμῖν πέμψομεν.
Ην δ' μὴ κρίνητε, χαλκεύεσθε μηνίσκȣς φορεῖν,
Ὥσπερ ἀνδριάντες' ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μήν ἢν ἔχῃ.

*Si autem cœnatis guttura vobis mittemus.*
*Si autem non judicatis, æramini coopercula ferre*
*Tanquam ſtatuæ. Sic veſtrûm qui non comperimentum habeat, &c.*

Morem exinde inductum autumant, ut pari modo Chriſtiani veteres Deum, Angelos, Sanctoſque, necnon Reges, & Magnates ſimilibus tegumentis in ſtatuis, picturiſque ornare conſueverint; atque ea deinde ignara poſteritas, ac perperam interpretata, in plani circuli ſpeciem effinxit. Ita Henricus Salmuth. in comment. ad Pancirol. *De reb. memorab.* tit. 44. ubi: *Sic & μηνίσκοι, quos umbellas lunatas Latinè dixeris, ſtatuis olim impoſiti, ne ab avibus conſpurcarentur. Quò ſpectat illa Horatiani Priapi imprecatio.*

Merdiſque coïnquitur albis
Corvorum

*Hi μηνίσκοι, adhuc hodieque in Templis Chriſtianorum imponuntur capitibus ſtatuarum, cujus tamen rei cauſſam ignorantes Pictores, dum putant bonoris cauſsâ imponi debere, non ſolùm omnibus ſtatuis imponunt, ſed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt, quæ tamen illis opus non habent, ut ſtatuæ.*

At ab hiſce ſordibus longè abiêre Pignoribus, Rainaudus, & Kircherus, aſſerentes, ideò rutilantibus circulis, ſeu diadematibus, Dei, Sanctorumque imagines exornatas, quòd eadem adhiberent antiqui Ethnici in decorandis Cæſarum ſtatuis in ſuperſtitioſę divinitatis, ac majeſtatis indicium: Cæſares enim ſuos cùm adhuc viverent, Deos credebant, eiſque Divorum cognomina, ut hiſtoriæ produnt, ampliſſimè largiebantur. Lubet hîc exponere verba Pignorii, quæ ut jacent Kircherus tranſcripſit, abſque ulla tamen ipſius Pignorii mentione: eorum autem tenoris eſt: *Conſuevit Dædala antiquitas res hominum opinione religioſas & auguſtas quibuſdam veluti notis iuſignire, quaſi ipſis aliqua dignitas accederet: inter has maximè nobilis fuit orbis quidam capiti aliquando circumſcriptus, venerationis index, & majeſtatis, quæ humanam excederet. Hunc ego Imperatoribus, quos veteres ſupra faſtigium mortalitatis elatos ſuſpiciebant, Provinciis Orbis Romani, Urbibus primariis, animalibus etiam Deorum circumpoſitum notavi: & quod ad Auguſtos pertinet, extant numiſmata ærea Antonini Pii, & Conſtantii illius, qui Arrianis favens, Catholicam Eccleſiam perturbavit. Et Ravennæ in Aede S. Vitalis manent adhuc antiquiſſimæ ex opere Muſivo, Juſtiniani & conjugis imagines, quarum capita noſter hic circulus ambit. Provincias & Urbes videmus in libro, cui titulus eſt:* Notitia utriuſque Imperii: *& in Tabula Itineraria, quam debemus Marco Velſero C L. viro, cujus benefico factum eſt, ut nobile illud antiquitatis monimentum in lucem prodiret. Pavonem poſtremò ita exornatum geſtat Aeternitas in antiquo nummo Fauſtinæ Auguſtæ. Hunc orbem Agyptii in ſummo capite ſimulacrorum ſuorum locabant; quod & hîc & alibi licet animadvertere.*

*Ab illis Romanos ſumpſiſſe licet ſuſpicari; & variâſſe, habitâ decoris ratione, quod capiti, cui divinum quid ineſſe putabant, eo ſitu corona aptaretur. Qui tamen ornatus ſequentium Principum moderatione, & tacito omnium conſenſu Deo etiam, & Sanctis ejus, ut alia pleraque in totum ceſſit, & antiquum diadematis nomen in hodiernum diem retinuit.* Hactenus egregiè Pignorius: cujus opinioni penitùs aſtipulantes, ultra allata Auguſtorum numiſmata, in quibus Imperatorum capita cum radiis viſuntur, innumera poſſemus addere, cùm ex Jacobo Oiſelio *in Theſauro Numiſmatum*, tum ex Du-Cange in ſua *Conſtantinop. Chriſt.* de Imperatoribus Byzantinis, ubi non modò Cæſarum, ſed ipſius Chriſti Reparatoris noſtri, Deiparæ, & Angelorum Imagines ſic comptas exhibet: verùm ne morâ inutili, ac fortè inviſâ lectorem detineamus, à Numiſmatibus ad Picturas aliquas accedemus. Harum prima eſt in Tab. XXXVI. Fig. 17. eruta ex Codice Virgiliano antiquiſſimo, quo Bibliotheca Vaticana ſervatur. In hac ſupra mœnia Iliaca Caſſandra vates conſpicitur, cum circulo capiti circumducto, introductionem doloſi Argivorum equi diſſuadens; & prope Urbis portam ſtat Priamus, lævâ innixus baculo, verticem fulgenti nimbo circundatus, eâdem Tab. Fig. 16. dexteramq; attollit, ac ſi vafro, & perjuro Sinoni pareat. Hoc cecinit idem Virgilius Æneïd. 2. v. 246.

*Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris*
*Ora, Dei juſſu non unquam credita Teucris*

Habemus adhuc ob oculos Herodis Idumæi figuram in Baſilica Liberiana, ſphærâ ſimiliter notatam in Arcu Abſidis, ubi horribilis Innocentium ſtrages exprimitur, quam impius Rex imperavit. Schema ejus vide in Tab. IL. num. 3. Libeat etiam ibi obſervare puerum JESVM cum Doctoribus diſceptantem, præcipuâ, ac peculiari radiorum notâ decorum: ſupra ejus verticem intra ſpheram radiis coruſcam aſſurgit imago Crucis, atque inde alia ſupra ſphæræ circunferentiam Crux prominet. Item in coronide ad dexteram Altaris majoris Deus è nubibus prodit cum planiſphæra capiti circumducta, ut videre eſt in Tab. L. Fig. 1. nec non in Tab. LI. Fig. 4. quo etiam ornatu conſpicui ſunt Angeli, & in reliquis etiam, ut Joſuë in Tab. LXI. Fig. 1. & 2. Quibus figuris perſimiles plurimę paſſim occurrunt in omnibus ferè pervetuſtis Eccleſiis; & earum nonnullas, in Templo S. Sophiæ Conſtantinopoli extantes adducit Du-Cange ſupra relatus in fine ſui *Magni Gloſſarii* in Diſertat. *De Numiſmat. Imperatorum Conſtantinopol.* Hunc morem Heroas appingendi cum circulo, ſeu nimbo in capitibus, per plura ſæcula perdurâſſe reperio; nam HRabanus Maurus, qui vixit in ſæculo IX. *de Laudibus S. Crucis* Ludovici II. Lotarii Imperatoris filii delineatam Imaginẽ refert, ut in Tab. XXXVI. ſub Fig. 18. videri poteſt, quæ capiti quidnam geſtat, eodem ferè modò efformatum, quo apud nos id quod Biretum Ducale appellamus: iiſdem haud multò abſimilẽ Iconiſmũ vidimus in Felice Contilorio, Urbis ſcilicet Præfectum eodẽ Bireto inſignitum. Poſteriori etiã capitis parte quiddam veluti Sanctorum diadema in eadem Imagine cernitur, quod ipſe HRabanus circulum

culum vocat, inque eo hæc leguntur: *Tu H Ludovicum Chriſte corona*. Quapropter ex hac figura deduco illius temporis morem appingendi Imperatores cum diademate, ut vulgò dicimus. Notanda eſt etiam figura, quæ Dalmaticâ, & Chlamyde induta eſt.

Ex quibus omnibus liquidò patet, hanc ſphærulam, ſive circulum, quem aliqui nimbum appellant, à Gentilibus mutuâſſe Chriſtifideles eâ mente, ut quemadmodum Ethnica ſuperſtitio, ac ſuperbia, notam æternitatis eum eſſe affectabat; ita nobis veræ, prodigioſæque religionis ſemitas inſectantibus beatiſſimæ æternitatis hieroglyphicum eſſet, ac Dei præcipuè, Sanctorumque virorum capitibus imponeretur: nec mirum; cùm multa à Gentium, Hebræorumque ritibus uſurpata notaverimus, ut ſupra probatum eſt cap. 1. & infra cap. XIX. fuſiùs oſtendemus; & notat Baronius ad annum 44. prope finem; & ad annum 57. num. 107. Unde quis probet, imò non arguat, improbetque ſententiam Henrici Salmuth ſupra relati, & Scaligeri, exiſtimantium Pictores inſcitiâ, & errore ductos, capita figurarum ſphæris circumornâſſe, ſimulacrorum, & ſtatuarum exemplo, quibus non ad ornatum, aut in majeſtatis indicium, ſed ad avium ſtercora ſubmovenda (ut ipſi ajunt) eæ ſuperimpoſitæ fuerunt, ac ſi olim omnia nullo diſcrimine ſimulacra ſub dio ſtantia ſupernè hac de cauſsa tegerentur. Porrò ii emendicato Ariſtophanis carmine malè freti id contendunt; quem Auctorem perperàm verſum à Scholiaſte docet Raynaudus tom. 13.

Cæterùm haud ſcio an ullum aliud unquam poſſet antiquitas ingenioſa excogitare, quod æternitatem aptiùs exprimeret, ac magnè ſaperet divinitatem, quam ſuos Cæſares, Heroaſque quamplurimos vel pacis actibus, vel virtute bellicâ inſignes, aſſequi opinabatur. Namque ſapientiſſimus ille Hermes Triſmegiſtus, aliàs Mercurius quem tertio circiter ſæculo poſt univerſalem cataclyſmũ degentem Abrahæ æqualem facit, probatque Alexander Arabicus ſcriptor apud Gelandin. in libro *De Sapientibus Aegypti*, interrogatus *quid eſſet Deus?* ſic doctiſſimè profundèque reſpondit: *Deus eſt circulus, ſeu ſphæra intelligibilis, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam*.

Qua de re non hominibus tantùm dabatur hæc ſphæra, ſed animalibus etiam, illis videlicet, quæ vel Numinibus peculiariter ſacra, vel ipsâ naturâ æterna eſſe reputabantur. Docet hoc nummus Fauſtinæ à Pignorio relatus, in quo expreſſa ſedet Æternitas, dexterâ pavonem radiatum geſtans; in dicta Tab. XXXVI. Fig. 14. quam ego avem à Pignorio diſſentiens, ab Oiſelio benè cognitam reor, Phœnicem interpretante: & quidem longè opportuniùs Pavone Æternitati appingitur Phœnix, quam æternam avem appellat Claudianus in *opuſ.* ubi ſic:

*Parturiẽte rogo curis natura laborat,*
*Aeternam ne perdat avem*

Summæ quoque venerationis viliſſimum animal Scarabęum apud Ægyptios fuiſſe comperio, adeò ut radiato hoc noſtro orbe eum inſignierint: ob id unicè, quòd Soli ſacer eſſet. De eo ſic Euſebius Pamphiluslib. 3. c. 2. *Inter cætera Soli conſecrata animalia Scarabæũ ſummopere venerabantur Agyptii, animatam Solis effigiem eſſe putantes*.

Abenephus in ſuo Tract. *de Antiquitate Aegyptiorum*, Arabicè, in Latinum verſus, de Scarabæo ſic ſcribit: *Aegyptii Philoſophi ad Solis denotandam excellentiam, Scarabæos ſaxis ſuis inſculpebant*. Quendam etiam Scarabæi typum ad inſtar Solis radiati reponit Kircherus *de Obeliſco Pamphil.* lib. 4. Hierogram. 16.

Sed quæ hucuſque curſim congeſta ſunt *de Coronis* ſufficiant, ne copiâ rerum, ac vitio dicacitatis laborare videamur; præcipuè cùm aliò calamus nos alliciat, ut plurimis promiſcuè eruditionibus variegata, ſi non arrideat Hiſtoria, ſaltem materiarum varietate Lectorem à tædio eximat.

## CAPUT XV.

### *De antiquo Baculorum uſu, & Symbolo.*

CVM in Muſivis operibus cernere ſæpè ſæpius contigerit, & Sanctorum, & Angelorum figuras baculos manu gerentes, ne ſollicita Lectoris curioſitas in hujuſmodi baculorum objicibus hæreat, liberum iter faciam, & eorundem explicationem aggrediar, qui vel injuriosâ temporis fugâ, vel incuriâ ſcriptorum tenebris ignorantiæ quàm maximè obducti caligant.

Quia verò cognitis rerum nominibus, earundem Origines cognoſcuntur, cùm conveniant rebus nomina ſæpè ſuis; ideò ab ipſius Baculi etymologia initium ſumimus! Iſidorus Origin. lib. 20. cap. 13. narrat *Baculum* à Bacco vitis repertore inventum, quo homines nimiâ vini copiâ debilitati inniterentur: & ſicut à Baccho *Baculus*, ita à *Baculo Bacillum* dictum fuiſſe. Hanc etymologiam ſequitur HRabanus Maurus in lib. 22. *De univerſo*, cap. 13. Recentiores verò Scriptores etymologiam ſeveriùs examinantes id ſtrictiùs accipiunt. Nam Pontanus *Baculum* priùs *viaculum* dictum exiſtimat, literâ *V.* ob affinitatem cum litera *B.* in eandem *B.* commutatam. Et quidem pro hac Pontani opinione firmanda de converſione lit. *V.* in *B.* plures antiquæ inſcriptiones adduci valerent, quæ cùm apud Gruterum videri poſſint, brevitatis gratiâ omittuntur. At Angelus Caninius cenſet; eandem vocem á βάκτρον derivari, converſo ϱ. in L. quomodo ab ἀκιερὸς eſt *Aquilo*. βάκτρον autem dici ὡσὰ τὸ βάινειν. Quomodo & ῥάβδος dicta exiſtimantur ὡσὰ τὸ ῥᾷον ποιῶν βαδίζειν. A *Baculo* eſt *Bacillus* ſive *Vacillus*. Et ſi Nonium audiamus, *Vacillare* eſt trepidare, vel cum laſſitudine niti, à ſenibus, qui ſunt ævo defeſſi, atq; ad ſuſtinendã laſſitudinem baculo tarditatem levant. Quare ex dictis colligitur, veriſimiliter *Baculi* vocem à Bacco duxiſſe originem, ac uſum ſuſtentandi habuiſſe. Modò autem ad ejuſdem baculi uſum oſtendendum deſcendimus; & à Sacra Scriptura, tanquam legis noſtræ normâ initium ducimus.

In capite igitur 12. Exod. num. 11. ubi è Domino Moſi ritus edendi Paſchalem Agnum præſcribitur, mentio baculorum occurrit. *Sic autem comedetis illum*: (Domini verba ſunt) *Renes veſtros accingetis, & calecamenta habebitis in pedibus, tenentes* baculos *in manibus, & comedetis feſtinanter; eſt enim Phaſe* ideſt (*tranſitus*) *Domini*. Si conſideremus hiſtoriam; viatores baculi docent, qui præcipuè orien-

Orientalibus, atque etiam Meridonialibus populis uſu fuêre: unde Jacob à patre abiturus in Moſopotamiam, baculi ſui meminit, cujus ope Jordanem tranſivit: Geneſ. 32. ver. 10 Et in cap. 38. verſ. 18. narratur concubitus Judæ cum Thamar nuru ſua, quæ commutatis viduitatis ſuæ veſtibus in theriſtrum (tenue velamen erat, quo Palæſtinæ mulieres, maximè æſtivo tempore, utebantur) ſtetit in bivio, quà ſocero tranſeundum erat, obductâ velamine facie, atque ideo pro meretricula accepta fuit; quæ pro hœdi promiſſi arrhabone annulum petiit, accepitque, nec non armillam, & baculum, quem Judas gerebat. Itidem Numer. cap. 21. verſ. 18. ſic legitur: *Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datores legis & in baculis ſuis*. Quem locum nonnulli ſic exponunt: hic eſt ille puteus, quem Princeps Tribuum, & Duces multitudinis cum Moſe legiſlatore foderunt in baculis, ſeu virgis ſuis, habebant enim Princeps ſinguli virgam, ut ſignum imperii, & poteſtatis.

Præcipua hæc Sacræ Scripturæ loca adduxiſſe contenti, ad ea indicanda modò deſcendimus, quæ de baculis referuntur tam apud ordinem Romanum, quàm apud illius, cæterorumque ſacrorum Rituum expoſitores: deinde progrediemur ad explicandas Muſivas figuras, quæ baculos præ manibus habent.

Primus, qui ſe ſe offerat locus eſt in Ordine Romano, qui incipit *Denunciatâ ſtatione*, quique ab Hittorpio in lucem editus fuit, omnibuſque aliis Ordinibus hactenus publicatis antiquior, de cujus vetuſtate jam in peculiari noſtro Tractatu *de conjecturis Azymi, & Fermentati*, cap. 13. egimus. Legitur enim in eodem Ordine, quod poſtquam per Diaconum dictum fuerit, *Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam* ſive &c. & idem Diacono ſe ſignaverit ſigno Crucis in fronte, & in pectore, ſimiliterque id Epiſcopus fecerit, & omnis populus, *Baculi omnium deponuntur de manibus; & in ipſa hora neque corona, neque aliud operimentum ſuper capita eorum habetur*. Ex quo obiter conjici poſſe liquet, Fideles in Eccleſiis tecto capite extitiſſe, fruſtra enim capita jam nudata Romanus Ordo nudari juſſiſſet.

In altero verò Ordine, qui incipit: *In Vigilia Natalis Domini*, ubi agitur de iv. feria Quadrageſima, quæ ſacri Jejunii caput eſt, ſic enunciatur: *cùm Sacerdos ſuſceperit pœnitentem, ſi Laicus eſt, dimiſſo baculo; quiſquis verò ille eſt, ſive laïcus, ſive Clericus, ſive Monacus, ſuppliciter inclinet ſe ante Sacerdotem*: quæ verba videntur ambigua, cùm ex illis tam laici, quàm Clerici, ac Monachi baculos habuiſſe videri poſſint, ſed iſtos retinuiſſe, dum ad pœnitentiæ tribunal accederent, laïcos verò protinùs depoſuiſſe.

Baculorum depoſitionem à laïcis factam teſtatur Hidelbertus Cenomanen. Epiſcopus poſtea Archiepiſcopus Turonen. qui floruit in principio XII. ſæculi. Is enim in carminibus de Myſterio Miſſæ, de Euangelio ſic canit.

*Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba leguntur.*
*Plebs Baculos ponit, ſtat retegitque caput.*

& paullò inferiùs

*Ut ſis attentus, patiens, erectus in hoſtem,*

*Et*

*Et caput, & baculus, & ſtatus*
*ipſe docet*
*Quippe caput retegens, attentè audi-*
*remoneris,*
*Parcere, quum baculum rejicis,*
*inſtrueris*

Quæ diximus confirmantur, ac etiam dilucidantur auctoritate Micrologi, qui vixit eodē XII. ſæculo: is enim ſcribit, Zachariam ſummum Pontificem electum anno 741. decreviſſe, ne Sacerdotes ad Miſſarum ſolennia cum baculis intrarent, ac ne Altari capite velato aſtarent, quod Zachariæ decretum habetur in c. *nullus* 157. *De Conſecrat.* diſt. 1.

Factam etiam per Clericos baculorum depoſitionem docet nos Amalarius *de Eccleſiaſticis officiis*, lib. 3. cap. 18. ubi ſic: *Uſque ad iſtud Officium* (nempe Euangelium) *cum baculis ſubſtentabamur, modò, ut oportet ſervis ante Dominum ſtare, humiliter ſtamus, deponentes baculos è manibus*. At fuſiùs reddens myſticam cauſſam depoſitionis baculorum, in ſuis Eclogis *De officio Miſſæ*, nuper in lucem editis ab eruditiſſimo viro Stephano Baluzio in ſuo Appendice *Actorum Veterum* in tom. 2. Capitularium pag. 1358. *S. de Epiſtola*, idem Amalarius ſic docet: *Poſt hæc baculi deponuntur è manibus. Judæi namque arundinem in dexteram Jeſu dabant, & ſpineam coronam capiti ejus impoſuerunt, & ſalutabant eum, atque genua ponentes adorabant eum illudentes. Nos verò fugientes conſenſum eorum, deponamus baculum quem illi erexerunt ad ſuperbiam, neque coronam, neque aliud operimentum ſuper caput eâdem horâ tenentes. Si intraverit quis ſubito eâdem horâ in Eccleſiam, non ſalutamus eum, neque genua ponimus ad orationem donec lectum ſit Evangelium.*

*Aliter baculum poſſumus intelligere humanum adjutorium. Unde & Hieremias*: Maledictus homo qui confidit in homine. *& reliqua. Sacerdotes namque in Eccleſia poſſunt eſſe baculi noſtri, qui pro nobis debent orare, quam orationem pro baculo ponimus. Eſt aliquoties ut eo baculo utamur, aliquando non. Quando Chriſtum in promptu habemus, non eſt neceſſe ullo baculo. Si quando propter peccata noſtra diſceſſerit, neceſſe eſt quærere baculum ideſt orationes Sanctorum. Quapropter quando Sacerdos orat, atque celebrat aliorum Doctorum officia, baculos tenemus in manibus. Et quando ipſius Chriſti verba nobis loquuntur, baculos non tenemus in manibus, ut oſtendatur non difficile eſſe Chriſto per ſe docere poſſe populum ſuum. Quoniam ubi in promptu Chriſtus loquitur, non ibi neceſſe habemus Petrum, neque Paulum, neque alium Doctorem: quia ipſe eſt unus magiſter, qui in cælis eſt.* Idem confirmat Honor. Auguſtodunen. qui floruit anno 1130. in ſua *Gemma Animæ*, ſive *De antiquo ritu Miſſ.* lib. 1. cap. 24. ubi hæc. *Dum Evangelium legitur, baculi de manibus deponuntur, quia prædicante Evangelio legales obſervantiæ à populo deponebantur; ex legis quippe præcepto baculos manibus tenebant, qui Paſchalem Agnum edentes ad patriam tenebant; ſecundùm hunc morem cantores in officio Miſſæ baculos tenere noſcuntur*: ac in cap. 74. *Cantor, qui cantum inchoat, eſt tubicen, qui ſignum ad pugnam dat. Præcentores, qui chorum utrinque regunt, ſunt duces, qui agmina ad pugnam inſtruunt;*

*jirmunt ; cantores capita pileos tegunt, baculos , vel tabulas manibus gerunt ; quia præliantes caput galeis tegunt , armis bellicis ſe protegunt* . Ex quibus Honorii locis cuilibet eruendi facultas datur illius ævo jam tepuiſſe baculorum uſum , & in Clero , & in populo , ſolùmque conſtitiſſe in cantoribus, & præcentoribus Eccleſiæ , prout etiamnum teſtantur plurium Eccleſiarum conſuetudines , in quibus cantor , qui dignitas poſt decanatum in capitulo appellatur , in ſolennioribus Eccleſiæ muneribus baculo utitur , ſive incedat , ſive ſacris miniſtret ; vigetque mos iſte ubique ferè in Eccleſiis Gallicanis , in quibus Cantores , dignitates videlicet , Præcentoreſque , ii nempè miniſtri , qui pluviali induti per chorum , dum divina recitantur , æquo greſſu diſcurrunt, baculos manibus geſtant: quod item in Eccleſia Metropolitana Meſſanenſi , ut audivimus , ſervatur , ejus decanus , & cantor præcipuis diebus utuntur baculis aureo pomo ſupernè inſignitis . Idem in Eccleſia Melitenſi mos viget, prout in aliis Siciliæ Eccleſiis, ut teſtatur Macrus in ſuo Hierolexico. Hodie tamen hi baculi nihil aliud quàm dignitatis inſignia ſunt. Antiquitùs autem (ſi conjecturari licet) alium fuiſſe baculorum uſum autumamus, & duplici ex cauſſa Fideles in Eccleſiis baculos introduxiſſe . Primò cùm pro certo , ac indubitato haberent , antiquam legem , novæ figuram extitiſſe : proptereaque ſicut in antiqui Agni eſu , juxta Domini præceptum , Hebræi baculos manu gerebant ; ita etiam in nova Lege Chriſti Fideles in eſu novi Agni , videlicet Sacratiſſimæ Euchariſtiæ baculos juxta antiquos Patres præ manibus habebant. Secundò , quòd ipſi Fideles in Eccleſiis orantes ſtabant, ut colligitur ex Can. 20. Concilii Nicæni , ac oſtendit Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Princeps Baronius ad annum 58.num.109. & ad annum 325. num. 115. Cùm autem ſacræ functiones in longum protraherentur, quia non ſolùm ſacrum Myſterium celebrabatur , verùm etiam recitabantur Homiliæ ; ideo Fideles , præſertim ſenes , ita defatigabantur , ut baculis ſe ſuſtentare cogerentur . Tertia etiam cauſſa addi poteſt , nempè quòd baculorum uſus Crucis ſymbolum ſit, ut docet S. Auguſtinus ſermone 107. *De Temporibus* circa med. Ideo Fideles baculo in memoriam noſtræ Redemptionis utebantur . Cæterùm pervetuſtum , obſoletumque eorum uſum his diebus nobis inſinuat in quamplurimis Orbis Chriſtiani Eccleſiis mos habendi Curſores , ſeu Mandatarios , quos Hiſpani *Pertiqueros* appellant ; quorum unicum munus eſt cum baculis Proceſſiones , & Clerum ad ſacra accedentem præcedere. Baculorum inſuper nobis memoriam referunt Confraternitates illæ laïcales , quarum Confratres baculos manu geſtant , in quorum apice Crucem affigunt , vel Sancti illius imaginem , quem ſibi in Patronum Societas quæque ſelegit . Habemus quoque in Urbe ſolennioribus equitatibus , quibus Pontifex Cardinaleſque interveniunt , obſervandos Eminentiſſimorum pediſequos , vulgò *Parafrænarios* , quorum bini æquo ordine ſingulos Cardinales , dominos ſuos

pha-

phaleratæ mulæ insidentes præcedunt, baculosque præferunt septem circiter palmis oblongos, qui simplices quidem structurà sunt, auro tamen obducti, ac propè fastigium stemmate domini gentilitio insigniti. Ejusdem formæ baculis utuntur adhuc prædicti Parafrænarii, Apostolicâ Sede vacante, dum Cardinales conclave ingressi sunt: duo etenim ex eorum pedisequis prandii, cœnæque temporibus cum baculis opsonia cominantur ad rotas, per quas deferuntur ad Dominos: baculi verò isti colore à superioribus discrepant; nam Cardinalis, qui à proximè fato functo Pontifice pileum Cardinalitium accepit, tunc baculos Parafræniorum violaceo colore notat, in luctûs, videlicet, & mœroris de amisso Patre concepti argumentum; color enim violaceus lugubris nota est, præsertim apud Reges, quibus Cardinales æquiparantur, ut paucis ab hinc annis Christianissimi Regis aula sanguinis Regii jacturam lugens, violaceam vestem induit, in notam tristitiæ, reliquis omnibus etiam stirpis Principibus nigram sumentibus. Cardinalis verò, qui ab alio prædecessore Pontifice creatus est, baculos Parafrænariorum suorum viridi colore obducit, in signum & ipse luctûs, at non tam gravis; viridis quippe color quodammodo infaustus est, fortè à cypariss viriditate desumpto symbolo, quam funebris notæ arborem effecêre placita Poëtarum, & fabulæ. Verùm hi baculi nequitiam dicendi sunt, eos innuere, quibus in esu Paschalis Agni Judæos uti consuevisse jam diximus; sed potiùs ad illos spectare, quibus utebantur vetusti illi ministri, qui populi multitudinem affluentem arcebant; ut viam per quam Pontifex, Cardinalesque incederent, facilem, latamque præberent, néue à plebe tumultuaria, ac gregatim indiscretè accurrente transitus arctaretur. Hodie tamen apud Pontificem duæ similium ministrorum species sunt, quarum una nationis Helveticæ est, atque isti vulgò *Barbette* à latis barbis vocantur: alia verò species nomine nobiliori indigitatur *Lancie spezzate*; gestantque isti tenuem manibus baculum nigricantis coloris, nobilioremque; quorum hominum genus, generis claritate insigne est, tum inter Pontificis Aulicos adnumeratur, qui cùm prope eum incedant, efficiunt ne quis ad eum irreverenter accedat. *Barbette* verò infimi generis sunt, gestantque baculum robustiorem, quem in functionibus maximis acriter, ac sine discrimine rotant ad populi vim, & irruentem plebem propulsandam.

Hos tamen (nî fallor) conjici posse credam, successisse in locum illorum, quorum meminit Rituale Cencii Camerarii MS. ac aliud simile Benedicti Canonici, ubi fit mentio duorum Præfectorum Navalium, qui dicebantur Delongarii, seu potiùs Drungarii, quique pluvialibus induti, baculos portabant in manibus. Majorenses similiter erant, qui mantellis sericis induti baculos deferebant, quorum munus erat in Processionibus observare, ne aliquis se in eas importunè immisceret, & vocitabatur: *Schola Stimulatorum*.

Hactenus de baculorum origine, usuque genericè actum est; superest modò de illorum specialibus formis sermonem instituere, qui tam ad Eccle-

sia-

cleſiaſticæ Hierarchiæ Præſules, quàm temporalis Monarchiæ Dominos attinent. Ab Abbatibus itaque tanquam in inferioris ordinis dignitate conſtitutis exordium ſumentes, ipſorum baculos recenſebimus. Clariſſimum argumentum uſus baculorum apud Abbates eſt Abbatiarum inveſtitura, quæ eis per traditionem baculi paſtoralis concedebatur; quæ traditio nihil aliud denotabat, niſi paſtoralem ſuſcepti regiminis curam: at hæc conſuetudo non erat communis omnibus Abbatiis, cùm Du-Cange in ſuo eruditiſſimo Gloſſario referat auctoritatem Orderici Vital. lib. 8. qui ſic ſcribit: *Per baculos Paſtorales in eo tempore moris erat Cœnobii curam committi*, videlicet Abbatibus. Ac in Codice quodam MS. Ordinis S. Victoris Pariſien. cap. 1. ſic habetur: *Sciendum quoque eſt, quòd noſtra conſuetudo Abbatibus noſtris baculum nullo modo concedit*. Quæ ſanè confirmant id, quod de Abbatibus probandum aſſumpſimus; uſus enim particularis illius Monaſterii baculum Abbati Cœnobitico denegantis, regulam firmat in aliis, ut ex verbis, *noſtra conſuetudo*, è quibus infertur aliorum Cœnobiorum, & ordinum diverſorum Abbates baculos deferendi facultatem habuiſſe. Occurrit & aliud in Chron. Novalicien. lib. 6. tit. *De Abbate exauctorato*, ut refert præmemoratus Du-Cange, unde hæc tranſcripſimus: *Deteſtabilem Sarabaïtam cæpit, baculum fregit, atque ſuperbum de ſede depoſuit*. Et ad rem auctoritas Wigorn. pag. 656. ubi de Abbatum degradatione ſic ait: *Plurimos Abbates baculis privatos depoſuit de ſedibus*. Ex quibus baculorum fractione, ac privatione dum Abbates exauctorarentur, prævius eorum uſus elicitur. Sed jam ad Epiſcopales pergamus.

Baculus, Virga Paſtoralis, Pedum, Ferula, Capuïta, pro ſynonymis uſurpantur ab Ivone Carnot. epiſt. 8. & Honor. Auguſtod. in *Gemm. animæ* lib. 1. cap. 217. at Ordo Romanus *Cambutam* vocitat *de Dedicat. Eccl.* Quòd eiſdem baculis uſi fuerint Epiſcopi, conjici poteſt ex Carolo Calvo in epiſtola ad Nicol. Pont. de cauſsâ Ebonis, ibi: *Omneſque ſuffraganei qui eo abſente ordinati fuerant, anulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum Eccleſiarum, ab eo (Archiepiſcopo) acceperunt*. Atque inde erui facilè poteſt in Gallicanam Eccleſiam longè ante tempora Caroli Calvi morem inductum fuiſſe, ut Epiſcopi baculos præferrent. Petr. Damian. lib. 2. epiſt. 2. de baculis quorundam Epiſcoporum ſic loquitur: *Nunquam certè vidiſſe me memini, Pontificales baculos tam continuò radiantis metalli nitore contectos, ſicut erant qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur Epiſcopis. Nec eis profuit, quòd Pontifices ligneis auratis uſi ſunt baculis, dum ſacerdotii meritum non nitor efficiat veſtium, ſed ſpiritualium norma virtutum*. Apud Lambert. Schaffnab. an. 1071. ſub quo florebat adhuc Damianus, idem habetur; unde ex eo argui poteſt, etiam ſuo tempore perantiquum fuiſſe uſum gerendi baculos ligneos, & primævis Epiſcopis acceptiſſimum.

Imò non tantùm è ligno, quod apud homines aliquo in pretio eſſet, aut ſaltem uſui, ſuæ Dignitatis inſignia baculos conficiebant egregii illi ſanctiſſimique Viri, ſed ex infima

ſpecie lignorum, & contemptiſſima; videlicet è ſambuco. In vita enim S. Burchardi Witzimburgen. Epiſcopi id legimus, de quo ibi cap. 1. hæc enarrantur: *De tanti viri humilitate ſcribere quippiam omnino ſuperfluum fuerit, cùm necdum nomen & officium Epiſcopale voluiſſet pompaticum, niſi quod ipſa, quæ in loco ſepulturæ ejus ſervatur virga ſambucea, ſemper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla.* Atque ex eo eſt, quòd emanârint vulgati illi verſus apud Gallos, quos refert Coquillius in Hiſtoria Nivernenſi apud Du-Cange, qui ſic:

*Au temps paſsè du ſiecle d'or,*
*Croſſe de bois, Eveſque d'or.*
*Maintenant changent les loix,*
*Croſſe d' or, Eveſque de bois.*

Latinè verò ſic ſonant:

*Tempore lapſo ſæculi aurei*
*Baculus ligneus, & Epiſcopus aureus,*
*Nunc verò mutantur leges,*
*Baculus aureus, & Epiſcopus ligneus.*

Nî potiùs exortos dicamus à quodam eximiæ, ac vividæ pietatis reſponſo S. Bonifacii, & Martyris Epiſcopi, quod in Concil. Triburen. ſub anno 894. cap. 18. notatur; digniſſimum ſanè, ut altiùs ac fieri poſſit pectoribus Eccleſiaſticis imprimatur, ac tenaciſſimè inhæreat. Interrogatus ſanctiſſimus Præſul, an liceret in ligneis vaſculis Sacramenta conficere? hæc ait: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

Paſtoralium, ideſt, Epiſcopalium Baculorum formam, explicat Hugo à S. Victore *in Specul. Eccleſ.* cap. 6. *Baculus* (inquit) *Paſtoralis rectitudine ſui rectum regimen ſignificat. Quòd autem una pars curva eſt, & altera acuta, monſtrat præeſſe ſubjectis, & debellare ſuperbos.* Quæ explicantur his quatuor carminibus, in Gloſſ. cap. *Cùm veniſſet*, de ſacra unctione, relatis:

*In baculi forma, Præſul, datur hæc tibi norma.*
*Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum.*
*Attrahe peccantes, rege juſtos, punge vagantes.*
*Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.*

In urbe Tholoſana in templo S. Stephani marmor viſitur antiquiſſimum, in quo una cum imagine D. Petri inſculpta eſt illa Beati Saturnini Epiſcopi, baculum recurvum habentis, in quo verſus iſte:

*Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pungit.*

Baculus etenim ex Innocent. III. lib. 1. *Myſteriorum Miſſæ*, cap. 62. correctionem indicat paſtoralem; unde à conſecrante hæc dicendi formula in ejus traditione præmittitur, ut ex Pontificali Romano, *De conſecratione Epiſcopi. Accipe Baculum Paſtoralis officii, & ſis in corrigendis vitijs piè ſæviens: Judicium ſine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate ſeveritatis cenſuram non deſerens.*

Quæret hîc fortè aliquis, an Pontifex Romanus utatur Paſtorali baculo? negativè reſpondit Innoc. III. in ejuſdem Actis pag. 64. tum li. 1. Decret. c. *de Sacroſanct. Unct. §.* fin. ubi ſic: *Licèt Rom. Pontifex non utatur baculo paſtorali, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam*

*ſticam rationem, tum etiam ad ſimilitudinem aliorum Pontificum, poteris eo uti*. Quam hiſtoriam Gloſſographus in verbo *propter hiſtoriam*, ſic narrat: *Martialis unus de Diſcipulis Petri, quẽ poſuit Dominus inter Diſcipulos, cùm dixit: niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in Regnum Cœlorum, &c. quem poſtea Petrus cum alio, ſcilicet Matthæo, ad prædicandum miſit in Germaniam, qui cùm iret mortuus eſt, & rediit collega ad Petrum, & Petrus ait: Accipe baculum, & tangens eum dic, ut in nomine Domini ſurgat, & prædicet: at ille in quadrageſimo die à tempore mortis tetigit eum, & reſurrexit, & prædicavit; & ita Petrus removit à ſe baculum, & dedit ſubditis*. Hactenus Gloſſator. Succedit hinc ibidem ſignificatio verborum: *tam propter myſticam rationem*, quam ſic dilucidat Gloſſa: *Myſticam rationem, quia baculus habet in ſummitate recurvationem quaſi ad trahendum; quod non eſt neceſſarium Romano Pontifici, quia nullus ab illo divertere poteſt finaliter, quia Eccleſia non poteſt eſſe nulla; vel quia per baculum deſignatur coërctio, ſive caſtigatio; ideò alii Pontifices recipiunt à ſuis ſuperioribus baculos, quia ab homine poteſtatem recipiunt: Romanus Pontifex non utitur baculo, quia poteſtatem à ſolo Deo recipit*.

Attamen hâc Hiſtoriâ credere minimè cogimur, poſt D. Petrum è Pontificibus nullum baculo uſum fuiſſe: oppoſitum namque nos docet Luitprandus Ticinenſis Diaconus in fine libri ſexti *De rebus ab Europæ Imperatoribus & Regibus geſtis*. Ubi enarrat quendam Benedictum, qui Sedem Apoſtolicam invaſerat, more legitimi Pontificis inſignia ſacra uſurpâſſe, in iiſque ſignatim ferulam Pontificiam, ideſt baculum Paſtoralem, quam exauctoratus à Leone Papa, eidem reddidit. Pontifex verò acceptam fregit, & fractam populo oſtendit in ſignum ablatæ poteſtatis. Id etiam confirmat Macrus in ſuo Hierolexico; qui quandam iconem affert Gregorii Magni ſtantis, & baculum dexterâ gerentis, in infima ſui parte acutum, in ſuperiori verò Cruce ſuppoſitâ inſignem. Addit & huic aliam Gelaſii II. baculum ſiniſtrâ ſtringentis, in cujus apice globulus, qui figuram ellipſis refert ad inſtar ſphærularum, quæ baculis Peregrinorum imponi ſolent. Quibus Tabulis, Figuriſque prædicta Petri Damiani auctoritas applicari poſſe videtur, ubi inquit: *Nec eis profuit, quod Pontifices ligneis uſi ſunt baculis*. Quæ verba licèt ambigua cenſeri poſſint, ita ut Pontificum nomine Epiſcopi intelligantur, nihilominus cùm ſuperiùs Epiſcopos redarguere Scriptor voluerit, qui argenteis baculis uterentur, liquet exindè Pontificum Romanorum humilitatem, ac modeſtiam eis objicere, & ad exemplar proponere, qui licèt illos, & ſummo dignitatis faſtigio, & poteſtate, cui nulla par eſt, longè antecellerent, tamen ſolummodò ligneis baculis, auro quidem obductis, contenti fuêre. Argui ex his etiam poſſet, quo tempore baculos ferre Romani Pontifices intermiſerint, videlicet circa medium ſæculi duodecimi. Gelaſius etenim, cujus iconem cum baculo refert idem Macrus in cathedra B. Petri ſedit ſub an. 1118. & è contrario Innocentius III. qui vixit

anno 1199. in lib. 1. decret. de Sanct. §. fin. tradit, Romanum Pontificem non uti baculo ; quare cùm inter Gelaſium, & Innocentium octoginta anni interceſſerint , liquidò colligi poteſt , hoc temporis intervallo prædictam conſuetudinem exoleviſſe , & in deſuetudinem lapſam .

Cùm autem pluribus jam viderimus Eccleſiaſticos Proceres baculos gerere conſueviſſe, non abs re fuerit , aliquot ex eiſdem afferre ſuorum Præſulum funeri ſuperſtites , atque ideò uſque in eos dies maximâ veneratione in Eccleſiis quamplurimis cuſtoditos .

Omnium itaque prior , præcipuuſque ille eſt , qui Treveri adhuc ſervatur , eundemque à D. Petro principe Apoſtolorum priùs geſtum , deinde Eucherio , ſive Frontonio I. Trevirorum Epiſcopo ab eodem miſſum fuiſſe ſcribit Durand. *In ſuo Ration. Diuin. Offic.* lib. 3. c. 15. à quo tamen diſſentire videtur Toloſan. Syntagm. lib. 15. cap. 12. n. 38. ubi tradit, baculum à D. Petro Martiali donatum; ſed iſte alius à ſuperiori proculdubio cenſendus eſt .

In Valentia Civitate Hiſpaniarum baculum S. Auguſtini piè coli narrat Gavantius, cui diſcors Baronius ad ann. 504. num. 38. ex Sigeberto , & Mariano Scoto, ait baculum S. Auguſtini unà cum ejus corpore in Sardiniam tranſlatum fuiſſe . Idem ad ann. 725. num. 1. & ſeqq. Bononiæ etiam S. Iſidori ; & in Patriarchali Aquilejenſi S. Hermagoræ D. Marci Diſcipuli baculos religiosè coſtodiri teſtatur Macrus in ſuo Hierolexico, quibus adde & alterum S. Vedaſti Epiſcopi Atrebatenſis , qui ſub Clodovæo ante annum 509. in humanis agebat , ut tradit Bollandus de S. Vedaſto ad 6. Febr. to. 1. pag. 792. ubi notat , Divi Vedaſti baculum paſtoralem inter Sacra Eccleſiæ novæ Beatæ Mariæ Cameracenſis lipſana fuiſſe .

Verùm de his abundè . Quapropter libet breviſſimè ad Imperatorios Regioſque ſtylum intendere . Baculus porrò Regibus , uti & ſceptrum eſt , ac ſemper fuit ( ſi Pachymeræ credimus ) Regni , ac ſupremæ in ſubditos poteſtatis inſigne notiſſimum , clariſſimumque , adeò ut etiam antiquitùs ſolenni ejus traditione Regium jus , & ſumma auctoritas conferretur : quod apud Gallos oſtendit Grutannus , cùm ſibimet ſucceſſorem daturus , nepoti ſuo baculum tradidit, & ita in Regnum aſcivit, ut ſcribit Aïmoïnus li. 3. c. 78. Baculos iſtos Regios auratos fuiſſe reperio , apud Annium Meten. an. Chr. 837. ubi ſic de Ludovico Pio : *Coronam auream in Capite geſtans , & baculum aureum in manu tenens* . Quod confirmat Thegian. *de Geſt. Ludovici* cap. 19. Attamen peculiariter advertendum eſt, & cavendum , ne cum quamplurimis è Scriptoribus baculos, virgas , & ſceptrum indifferenter & pro ſynonymis accepta , confundamus ; quod quidem latiſſimâ acceptione factum non improbarem ; neutiquam tamen arctiori , & impropria. *Virga* enim Juſtitiæ , *Baculus* gubernationis , ac *Sceptrum* ſupremæ dignitatis , ac dominationis indicium eſt .

Quòd autem ſceptrum ſit aliud à baculo , docet Menardus in libro *Sacramentorum S. Gregorii* in ordine ad

ad coronandum Regem, ubi in Regum coronatione, illis ultra ſceptrum, virga ſeu baculus præſentatur; videtur tamen cum baculo virgam confundere. Probantur prædicta ex Cod. Senonen. relato ab Hofmanno quem editum præbet à Renato Benedicto, ubi benedictio in Rege inſtituendo hæc habet: *Accipe ſceptrum inſigne regnantis, quo ſignificatur regula divinæ æquitatis*. Supra modum Menardi dictum confirmant nonnullæ Icones Auguſtorum, quæ indifferenter baculis, & ſceptris inſigniuntur. Quædam ex illis eſt illa Caroli Magni, quam vidimus in lib. Inſcriptionum antiquarum Baſilicæ S. Pauli ad viam Oſtienſem pag. 33. ubi Imperator in throno ſedet cum ſceptro gemmis diſtincto, cujus faſtigium in Francicum lilium deſinit. Aliam quoque vidimus Caroli Calvi, quæ eundem exhibet in ſede Regia, ſimplicem baculum ſiniſtrâ tenentem, qui ſuperiùs in globulum, inferiùs verò terminat in acumen; ut videre eſt in notis eruditiſſimi Stephani Baluzii *ad Capitular. Reg. Francor.* pag. 1276. ubi pariter pag. 1278. aliud ejuſdem Caroli Calvi exemplar prodit in ſolio ſedentis, dexterâ ſceptrum ſtringentis, quod duabus velùt Crucibus interſecatur; ſupernè verò Gallico lilio inſignitur. Aliam inſuper pag. 1280. producit imaginem, quam Lothario Auguſto tribuit, traductam (ut ait) ex illa, quæ in Bibliotheca Gallico-Regia poſita eſt; in qua viſitur Auguſtus in solio, dexterâ baculo oblongo innixâ, ejuſdem penè formæ cum illo Caroli Calvi. Nec ab his, de quibus ſermo, longè aberrant alii duo Cæſarum Iconiſmi, quos habet Lambecius in ſua *Biblioth. Cæſar.* lib. 7. pag. 70. & 71. quorum alter Michaëlis Palæologi ſenioris Auguſti imaginem refert, Imperiali chlamyde prætioſis intextâ gemmis induti, ſceptrumque tenentis, ſupra globulum verticis Crucem habens. Secundus verò ad Andronicum Palæologum ſpectat, eâdem penè indumenti ſpecie delineatum, tum eodem penè ſceptri genere inſignitum; differt enim à priori nonnihil in centro Crucis, in quo paullò grandior globulus cum aliis quatuor minoribus circumcirca appoſitis cernitur: qui tamen quid ſibi velint niſi ad gemmas referantur, ignoro.

Veruntamen non ita promptum eſt, ſed ſatìs arduum genuinam rationem afferre, cur Angelis baculi dati fuerint, qui viatores potiùs decent, ut hujus Capitis in veſtibulo dictũ eſt, neque ad arbitrium pictoris confugere fas videtur, cùm certè non ſinè myſtico, & arcano conſilio factum id fuerit. Hâc ego difficultate magìs, magiſq; excitatus, non mediocre operæ pretium ducens hoc expiſcari, movi omnem lapidem, ac totas ingenii vires expertus ſum, ut id aſſequerer; quod cùm aliquandiu vota fruſtrâſſet, tandem implevit, cùm ex antiquiſſima Ravennatenſi Baſilica S. Agathæ Majoris, de qua ſuo loco quædam dicturus ſum, exemplar Muſivi operis, quod uti cætera ex eadem Urbe delineandum curavi, ſub oculos venit. Exhibet iſtud in throno gemmis undequaque coruſco Salvatorem ſedentem, aſtantibus hinc inde duobus Angelis baculum, ſive haſtam, aut potiùs arundinem aurei coloris tenentibus. Succurrit illicò illud

Apo-

Apocalypſeos, ubi Joannes Angelum vidit, qui auream arundinem gerebat. Ait enim cap. 21. num. 15. *Et qui loquebatur mecum habebat menſuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus.*

Propterea aſſerere nil hæſitavi, prædictos Angelos cum arundinibus, uti alios quoſcunque cum baculis, aut virgis hunc ipſum ab Euangeliſta Joanne deſcriptum repræſentare; præſertim cùm veteres Chriſti Fideles omnem animi curam, ac ſtudium impenderent, ut profundiſſima Apocalypſeos Myſteria, quoad fieri commodiùs poſſet, publicè ſpectanda proponerent, uti paſſim in operis mei decurſu ſedulus Lector advertet.

Imò verò adhuc aliam etiam admodum conſonam nobis interpretationem ſufficit Pachymeras in Paraphraſi ad S. Dioniſium Areopag. *de Cæleſt. Hierarch.* in Biblioth. PP. to. 2. pag. 187. §. 5. ubi inquit, *Virgas Angelorum deſignare Regiam, & Ducalem dignitatem, rectamque rerum divinarum ordinationem. Haſtas* (ſi haſtas vocare liceat) *& ſecures, vim diſſimilia dividendi, virtutumque diſcernere valentium acumen, & activitatem, atque efficacitatem.* Quibus ego ſatis perſuaſus tandem quievi. Si verò meliora quis habeat, quæve oportuniùs cadant, gratiſſimum ſanè facturus exhibeat, dum hiſce ad umbilicum adductis, ad alia, novaque tractanda propero gradu concedimus.

## CAPUT XVI.

*De Euangeliorum volumine, & quanta apud Chriſti Fideles fuerit Euangelii veneratio.*

CUM divinitatis particulam quandam (ut ita dicam) impreſſam habeat homo, ad imaginem, ac ſimilitudinem Dei factus, altiſſimæ ſuæ originis teſtimonium proferre, perpeti virilique nixu contendit, quà vetera reparando, quà labentia ſiſtendo, quà denique in dies nova, ac miraculo proxima meditando.

Primò enim cum plurima ſcitu, ac memoriâ digniſſima in præceps ferri rapidâ annorum fugâ vidiſſet, cujuſnam artis ope ab obliuionis injuria ea vindicaret, & poſterorum utilitati conſuleret, providâ mente recogitans; varias tandem animantium figuras, & ad id ſymbola invenit; quæ laus, communi ferè omnium Scriptorum calculo, induſtriæ Ægyptiorum debetur.

Hæc verò cum grandia virorum geſta adumbrarent potiùs, quàm exprimerent, & multa ambiguitatis caligine involverent, ingenioſa nepotum cura literas excogitavit, quæ ſimul vinctæ integras voces formarent, quarum certâ, ac multiplici conjunctione, faciliùs clariùſque præcipui animi ſenſus redderentur.

Literis inde adinventis, cum aptior quædam, ac certa materies deeſſet, quâ illæ prolixâ, ac duraturâ ſcripſione exciperentur, ſaxa, arborumque folia, & cortices, ceratæ tabulæ, ac plumbeæ, membranæ item, & alia id genus per longam temporum ſeriem in uſu fuêre; de quibus omnibus

bus fusè scripserunt Polydor. Virgil. *De Inventor. Rer.* lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 8. Et nuperrimè vir clarissimus in Ecclesiasticis Historiis D. Io: Mabillon. Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, in suo Tractatu *De re Diplomatica* lib. 1. cap. 8. & alii, quos ipse refert. Sua demum per incrementa ad apicem utique evecta est ars ista scribendi in charta, quâ modò utimur, & in lucem prodiit quâ homines commodiùs, ac utiliùs operosiorem ingenii solicitudinem ex abditis, arcanisque recessibus cælestis illius virtutis, quâ informantur, ac pollent, educere valerent.

Ex iis porrò materiis, quibus excipiebantur scripturæ, quænam usu, & vetustate priores fuerint, Vaticana Bibliotheca dijudicet, innumeris referta Codicibus membranaceis, quorum nonnulli mille, pluresque annos excedunt; nec desunt volumina, quæ longè majorem antiquitatem redolent, ut tabulæ cerâ obductæ, & inscripti arborum cortices.

Eam autem scribendi rationem fuisse veteribus, persuasum mihi est, ut scilicet si brevius quid & exiguum scribendum foret, oblongis, & junctis quandoque ad fasciæ formam membranis uterentur; quas inde complicatas, & in se circumductas, *Volumina* appellavêre. Horum plurima cùm in præfatâ Bibliothecâ, tum in aliis archivis videri possunt; imò passim in antiquis figuris, quæ eadem manibus gestant, & oculis intuentium objiciunt. Si verò prolixius aliquid extitisset, ut historia, aut aliquid simile; non in voluminibus, sed in quadratis foliis membranaceis describebatur, quæ in medio plicata, ac singulis singula supposita filo consuebantur, cui congeriei, Codicis sive libri nomen inditum fuit, sumpto vocabulo ab ipsa materia componente; cùm liber propriè sit pars illa corticis interioris arboris, quæ ligno adhæret, ac in qua olim scribebatur, ut nonnulla adhuc exempla visuntur in laudata Vaticana Bibliotheca. Idem dicitur de Codice; nam *Codex* idem est ac *Caudex*, ex quo Cortex ad scribendum aptus extrahitur. Codices igitur antiqui à nostris diversi fuêre; quoniam ii latiores in una parte, nostri verò in altera sunt. Illius formæ præ cæteris, Auctore & antiquitate maximè venerabilis extat in sæpè citata Vaticana Bibliotheca Virgilianus Codex, tertium supra decimum sæculum excedens.

Hos ego Codices, ac volumina cùm sæpè sæpius in Musivis operibus, quæ describimus, observâssem penitùs alibi obvoluta, alibi semiaperta, quid per ea prisci Christi Fideles innuerent, indagare animo sedit. Quapropter cùm plurimos variæ eruditionis libros assiduâ lectione cõsuluissem, incidi tandem in Durandum, qui in suo *Rationali Divin. Offic.* lib. 1. cap. 3. num. 2. hanc adhibet distinctionem inter figuras quæ librum, & illas quæ tenent volumina. *Quia* (inquit) *Apostoli à Christo perfectè edocti sunt, ideò libris, per quos designatur congruè perfecta cognitio, uti possunt. Sed quia fidem illorum quæ didicerunt doctrinam, aliorum scriptis redegerunt, ideò illos congruè tanquam Doctores cũ libris in manibus depinxerunt, sicut Paulus, Evangelistæ, Petrus, Jacobus, & Judas. Alios verò, qui nihil stabile,*

*bile, seu ab Ecclesia approbatum scripserunt, non cum libris, sed cum rotulis in signum prædicationis pinxerunt.*

Sed quonam pacto judicio viri cæteroqui laudabilis acquiescam; cùm tàm Apostolis, quàm Prophetis, aliisque Sanctis promiscuè datum viderim librum, ac rotulos, tum sigillo obsignatos, tum semiapertos, imò & apertos omnino, nonnullisque eorum verbis inscriptos? ut in S. Petro: *Tu es Christus filius Dei vivi*. In S. Paulo: *In nomine* JESU *omne genuflectatur cælestium, terestrium, & infernorum*. Et sic de aliis Apostolis. Item in Esaïa: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. E contrario verò Apostolis Petro, & Paulo in tribuna S. Clementis; & Sanctis Primo, & Feliciano in Tribuna S. Stephani *in Rotundo* tenentibus volumina. Unde omissâ Durandi distinctione, potiùs censerem, volumina, ut brevioris tantùm scripturæ capacia, Evangelium denotare; Codices verò ad plura, ac prolixiora continenda excogitatos, totam veteris, tum novi Testamenti scripturam.

Quæ utique nostra opinio maximè consona est Isidoro, qui *de Orig.* lib. 6. cap. 13. inter *Volumen*, *Librum*, & *Codicem* discrimen affert his verbis: Codex *multorum librorum est*; liber *unius voluminis*. *Et dictus Codex per translationem à Corticibus arborum, seu vitium, quasi Caudex: quod in se multitudinem librorum, quasi ramorum contineat*. Volumen, *liber est à volvendo dictus; sicut apud Hebræos volumina legis, volumina Prophetarum. Liber est, interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant, de quo Virgilius.*

*Sic alta liber hæret in ulmo.*

*Unde & liber dicitur, in quo scribimus; quia ante usum Chartæ Membranarumque, ex libris arborum volumina fiebant, idest compaginabantur. Unde & Scriptores à libris arborum, Librarios vocârunt.*

Quapropter asserere minimè dubitaverim, singula Evangelia singulis voluminibus describi consuevisse: donec (ut scribit Honorius Augustodunensis in sua *Gemma Animæ* lib. 1. cap. 88.) Divus Hieronymus Lectionarium, & Evangeliarium, quod hodie habet Ecclesia, collegit: & Damasus Papa, ut nunc moris est, legi imperavit, præcipuè cùm hoc ipsum testetur Ordo Romanus in duobus primis libellis ab Hittorpio relatis; ubi etiam de cærimoniis, & maximâ in iis voluminibus pertractandis Patrum veneratione sermo est; quæ omnia hic ego summatim, & per compendium reposui.

Primi, præcipuique Subdiaconorum (qui Archisubdiaconus dicebatur) munus erat, Evangeliorum volumen, obvolutum obsignatumque è Secretario deferre, quod non nisi annuente Subdiacono resignabatur, super planetam unius Acolyti, vel duorum, si grandius esset; qui porrò planetis induti ipsum sustentabant: nec enim laborioſum hoc erat, cùm casulæ sive planetæ antiquitùs à lateribus clauderentur, ut nunc apud Græcos. Quare Acolyti brachia elevando, scabelli, sive parvæ mensæ vicem præbebant. Resignatum inde volumen ad altare deferebatur, atque ibi eo supposito, Subdiaconi progrediebantur, seseque ante altare, & Evangelium inclinabant, quò deinde etiam Episcopus accedebat, & Evangelium

oscu-

oſculabatur; Diaconus verò, qui lecturus erat, Epiſcopi pedes exoſculatus, petitâque benedictione, ad Altare ſe conferebat, oſculatumque volumen elevabat, ac humero dextero ſuperimponens, ad ambonem Eccleſiæ pergebat, duobus Subdiaconis cum thuribulis, ac thymiamaterio præcedentibus. Duo autem Acolyti eum cereoſtatis antecedentes, ante ambonem hinc inde dividebantur, ut per medium tranſirent Subdiaconi, & Diaconus cum Euangelio. Porrò Subdiaconi cum thuribulis in ambonem ex uno latere aſcendentes, ex altero protinùs deſcendebant, redibantque ante gradum aſcenſionis ambonis, ut ibi ſtarent. Subdiaconus autem abſque thymiamaterio ſe vertens ad Diaconum, lævum ei brachium porrigebat, ubi poneret Euangelium, inventoque Lectionis loco per alium Subdiaconum, ac digito interpoſito, in gradum ſuperiorem aſcendebat: ubi clarâ voce dicto *Dominus vobiſcum*, populus reſpondebat: *Et cum ſpiritu tuo*; & Epiſcopus, omniſque gradus Presbyterorum, ac Populus ad Orientem ora vertebant. Diaconus verò ad Meridiem, in quam partem viri confluere ſolebant, aliàs autem ad Septentrionem; ibique poſtquam pronunciaverat *Sequentia Sancti Evangelii &c.* ſignabant ſe omnes ſigno Crucis in fronte, deponebantque coronas, aut ſi quid aliud in capite operimentum habuiſſent, quin & è manibus baculos, ut Acolyti cereoſtata uſq; dum Euangelium legeretur; quo lecto, iterum ſe Crucis ſigno Presbyteri, populuſque muniebant. Diacono autem deſcendente, qui ſtabat Subdiaconus Euangelium accipiens pectori ſuper planetam Epiſcopo primùm, deinde Clero gradatim, ac populo oſculandum præbebat.

Quam Euangelii deoſculandi conſuetudinem, ubique in Eccleſia obtinuiſſe fatetur Jonas Aurelianen. Epiſcopus in præfatione lib. 2. *De cultu SS. Imagin.* qui floruit ann. 841. ubi ait: *Nam Sacræ Religionis uſus in Sancta Eccleſia adhuc ſervatur; ſi tamen apud te, ut perlectâ Sacri Evangelij lectione ab Epiſcopo, vel Presbyteris, cæteriſque Sacri Ordinis Religioſis, Codex in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. Sed hoc, cujus cauſsâ, niſi illius, cujus eſſe verba creduntur, agimus?* Et de Gallis hoc idem expreſsè Anaſtaſius tradit in præfatione ad VII. Synodum.

Sed ut ad ſuperiora revertar: poſtquam Euangelium quilibet fuerat oſculatus, idem Diaconus, à quo circumferebatur, proprio loco reſtituebat, in eadem ſcilicet capſa, quam alter Acolytorum in pogio juxta ambonem aſſervabat, ut iterum ſigillaretur. Et hæc ultimò dicta ex tertio Romano Ordine deprompta ſunt; ubi etiam habetur, Acolytos in proceſſionibus ante Pontificem ſacrum Chriſma, & Euangelia deferre ſolitos; licèt Albinus Flaccus, ſive Alcuinus Caroli Magni Magiſter, delata à Diaconis memoriæ prodat. Ejus verba, quibus in Euangelio ferendo pompa in proceſſionibus peculiariter Palmarum deſcribitur, hæc ſunt: *Hodie paraturi quoddam portatorium honeſtiſſimè, in quo intromittitur Sanctum Euangelium, quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante aram, unde Clerus proceſſurus eſt;*

pauciſque interjectis: *Deinde ſuſcipiunt Diaconi ſupraſcriptum portatorium cum Evangelio bajulantes cum ingenti exultatione jugum ſuave, & onus ejus leve.*

Quintus verò libellus ejuſdem Ordinis, ubi narratur quomodo Cathecumeni inſtruendi eſſent, de Auctoribus, & initiis quatuor Euangeliorum, &c. ritum quammaximè venerandum nos docet. Finitâ Lectione ad Coloſſenſes cap. 3. *Fratres expoliantes &c.* procedebant quatuor Diaconi de Sacrario, ſinguli ſingula Euangeliorum volumina deferentes. Hos præcedebant Acolyti cum duobus candelabris, thuribulo, & thure: poſitis deinde in ſingulis quatuor Aræ angulis voluminibus, Presbyter Cathecumenis exponebat, quid Euangelium, ac unde ortum, & cujus in eo verba ponantur; & quare quatuor ſint; qui hæc ſcripſerunt; vel qui ſint ipſi quatuor, qui divino Spiritu annunciante à Propheta ſignati ſunt.

Poſtea primus Diaconus ab Altaris primo ſiniſtro angulo librum accipiens, præcedentibus duobus Ceroferariis, ac Thuriferariis, aſcendebat ut legeret Euangelium ſecundùm Matthæum, cujus initium eſt: *Liber Generationis &c.* quo finito, Subdiaconus linteo librum excipiens, in Sacrarium deferebat, & ſic ad ſingula Euangelia. Alter interim Diaconus de ſecundo ſiniſtro Altaris angulo aliud volumen ſumebat, legebatque in eodem loco, quo prior, & iiſdem cærimoniis Initium Sancti Euangelii ſecundùm Matthæum: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Tertius item, & quartus Diaconus de tertio & quarto angulo altaris unus poſt alium librum ſumebat, & ille Initium Sancti Euangelii ſecundùm Lucam, quod incipit: *In diebus Herodis &c.* Iſte verò ſecundùm Joannem: *In principio erat verbum &c.* uti priores duo populo & Cathecumenis altè pronunciabat. Sed de his brevitati conſulenti ſatis jam dictum uberiora ſi cupis, libellos adi jam præcitatos.

Cæterùm quæri poſſet, cur Sacra hæc volumina tam crebrò in Eccleſia legenda ſigillo ſemper obſignarentur? Huic ego quæſtioni, cùm ſolutionem ab Auctoribus nullam invenerim, aliquas meas, quæcumque fuerint, conjecturas in medium proferre, haud incongruum putavi.

Primò igitur ſæpè obſervavi, primævos Chriſti Fideles id præcipuè curâſſe, ut viſionem Apocalypſeos exprimerent, maximèque Muſivo opere ob oculos ponerent, ſæpe enim viginti quatuor illos ſeniores, quos cum phyalis, & coronis Joannes oculatiſſimus teſtis deſcripſit, effinxêre; ut in Eccleſia Sancti Pauli, Sanctæ Praxedis, & Cæciliæ: alibi quatuor Animalia, Euangeliſtarum ſymbola; nec non Iridem, Agnum, & alia quamplurima, inter quæ etiam volumen ſeptem ſigillis munitum, veluti ſupra ſolium gemmis conſpicuum, expreſſum eſt in arcu ſummo Baſilicæ Liberianæ, de quo fuſiùs, quùm de eadem Eccleſia peculiarem tractatum inſtituemus.

Quocircà volumen Euangeliorum ſignantes veteres Patres, illud profectò imitati videntur, de quo Apocalypſi cap. 5. Joannes inquit: *Et vidi in dextera ſedentis ſupra Thronum librum ſcriptum ſignatum ſigillis ſeptem.*

Neque verò quicquam officit, quòd

quòd uno, non verò ſeptem ſigillis obſignaretur, ut diximus; nam & ſeptem fortaſſe in ſpeciem aderant, licèt, uno tantùm clauderetur, ad tollendum profectò tædium, & moram inopportunam, tam in obſignando, quàm in reſignando neceſſariò impendendam.

Secundò, cùm Sacræ Scripturæ puritas, ac veritas, vel per ignorantiam Amanuenſium, vel per dolum improbitatemque nefariam Hæreticorum in dies corrumperetur, decrevêre Summi Pontifices, ut ſingulę Eccleſiæ, ſua volumina Euangeliorum iuxta acceptiſſimum, ac genuinum ſenſum haberent, eaque poſt Euangelii lectionem continuò ſigillo munirent, cujus præcipuus uſus, ac munus eſt, fidem humanis rebus, & auctoritatem præſtare.

Et quidem ſacras literas Hæreticos adulterâſſe liquidò patet ex prima Fulberti Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola, in qua de his loquens, *Ideo* (ait) *ab unitate Eccleſiæ diviſi, dum fieri nolunt Diſcipuli veritatis, Magiſtri fiunt erroris. Prætermiſsâ itaque luce veritatis, tenebroſas proponunt calumnias, & Sacras Scripturas verbis ſacrilegis nituntur adulterare, aut furtivis eraſionibus recidere; ſicut hoc quod Dominus ait*: Ego & Pater unum ſumus, *Arrius dictum de unitate ſubſtantiæ, intelligere noluit. Sabellius ad perſonarum proprietatem*, (ſumus) *non retulit. Et in hoc quod ait*: Pater major me eſt, *Arrius non humanitati ſed divinitati adſcripſit, & ideò indignam vitam dignâ morte finivit; cujus Auditores quoniam Spiritum Sanctum Deum eſſe negabant, de Euangelio eraſerunt illnd quod Salvator ait*: Spiritus eſt Deus: *& de Epiſtola Joannis eraſerunt*, & omnis Spiritus qui ſolvit JESUM ex Deo non eſt; *ſicut Neſtorius &c.* quibus Fulberti teſtimoniis adde Baronium in præcapitulatione ad Martyrologium Romanum cap. 2. ubi non modò Sacram Scripturam, ſed Acta quoque Sanctorum Martyrum vitiare auſos eſſe probat; non tantùm ut ſibi ſuiſque faverent erroribus, ſed etiam ut inanibus fabulis figmentiſque, ſolidæ veritati Catholicæ quoquomodo officerent, ac impudentiſſimè illuderent. Libet hìc ejus verba referre: *Sed quid? quàmvis optimi Patres familias, (ut habet Parabola Euangelica) bonum ſemen ſeminâſſent in agro; nihilominus inimicus homo, qui fuit homicida ab initio, veritatis adverſarius ipſe Satan ſuperſeminavit zizania, ipſoque penè initio exurgentis Eccleſiæ, falſa veris, inania atque incerta certis, ac ſolidâ firmitate conſtantibus admiſcenda curavit: idque non tantùm per Hæreticos, Catholicæ fidei perduelles, ſed & per Catholicos ipſos, eos tamen, qui quæſtum pietatem putarent, vel qui zelum quidem haberent, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Varia Baronius allegat exempla.

Sed ab his gradum facere tandem liceat, & exponere, quàm venerabile apud majores noſtros fuerit ſacrum Euangelii volumen.

Cedrenus igitur in Conſtantino an. 21. refert eundem Imperatorem volumina Euangelica auro puro, ac unionibus, prætioſiſque lapidibus fulgida obduxiſſe, & in magno Urbis templo collocâſſe, non pretio tantùm, quàm magnifica Principis pietate miranda.

Quin Alexander Monachus in Vita

S. Barnabæ, in Insula Cypro, salutis an. 485. ut visum Baronio, repertum fuisse scribit sanctissimum ipsiusmet Apostoli corpus, cum Euangelio Sancti Matthæi pectori superposito; quo audito, Zenonem Imperatorem Episcopo loci mandásse, ut illicò inventum Euangelium afferret, allatumque maxima cum devotione deosculatum, postea auro plurimo redimitum reposuisse in suo Palatio, additque Theodorus Lector *in sua Collect. Hist. Ecclesiast.* lib. 2. *In Palatio S. Stephani*.

Bibliothecarius hoc ipsum sæpiùs plurimisque testatur, è quibus pauca referemus; & primò in vita Vitaliani Pont. habet, *Constantinum Pogonatum misisse Beato Petro Euangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata*. Item Leonem III. *feciſſe Beato Petro Apostolo fautori suo Euangelia aurea cum gemmis prasinis, atque hyacintinis, & albis miræ magnitudinis in circuitu ornata, pensan, lib.* 17. *& unc.* 4. In Paschali, *In Ecclesia Beati Petri fautoris sui feciſſe Euangelia cum blatthin ex argento pensan. lib.* 8. *& unc.* 8.

Qui porrò egregius, ac splendidissimus mos Euangelicos Codices auro gemmisque pretiosissimis exornandi, non intra Regni, aut Provinciæ alicujus terminos coarctabatur, sed latè per Orbem terrarum, & in asperioribus, ac remotioribus plagis vigebat.

Colligitur hoc ex vita Sancti Bilfridi Anachoretæ Lindisfarnen. Diœceseos in Anglia, quam refert Bollandus sub die 6. Martii, ex auctoritate Turgoti, qui lib. 2. Histor. Dunelmen. dum translationem corporis S. Gutberti in Hiberniam propter immites Danorum incursiones, & populatus describit, Euangelici libri prodigium enarrat his verbis: *Dum navis verteretur in latera cadens ex ea textus Euangeliorum auro gemmisque perornatus, in maris ferebatur profunda, & pergentes triduo post ad mare, multò quàm consueverat longiùs recesſisse conspiciunt; & tribus, vel eò amplius milliariis gradientes, ipsum sanctum Euangeliorum Codicem reperiunt, qui ita forinsecùs gemmis & auro sui decorem, ita intrinsecùs literis & foliis priorem præferebat pulchritudinem, ac si ab aqua minimè tactus fuisset*. Unde postea maximo cultu, ac nitore in Ecclesia Dunelmensi servatus fuit, ut idem est Auctor sub anno Christi M. additque hæc num. 12. *Addimus verò quæ Seldeno monuisse visum est, Codicem hunc ipsum fuisse tam vetustum, tantique semper ibi pretii habitum: procul dubio etiam nunc inter Bibliothecæ Cottonianæ Cimelia esse visendum. Nempe habetur ibi perpulcherrimus Euangeliorum illius sæculi Codex splendidissimè scriptus, ornatusque; cui Eusebii, & Hieronymi Præfationes, & Canones præfiguntur*. Quæ omnia Bolland. comprobat in Sancto Ethælvvoldo Episcopo Lindisfarnen. die 12. Februarii, ubi citat Simonem Præcentorem Ecclesiæ Dunelmen. lib. 2. cap. 11.

Cur autem ornatus adeò splendidi sacris Euangeliorum Codicibus adderentur, docet Rupertus Abbas Tuitiensis, qui floruit ann. 1135. lib. 2. cap. 23. ubi: *Codices* (ait) *Euangelici auro & argento lapidibusque pretiosis non immeritò decorantur, in quibus rutilat aurum cælestis sapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent mira-*


Fig. 1.
EVANG. SEC
TOAN
NEM
Fig. 3
Fig. 3


Fig. 4.
Fig. 2.

*miraculorum pretioſi lapides, quæ manus Chriſti tornatiles aureæ, plenæ hyacintis operatæ ſunt.* Cui concinit S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *in Oratione de Imaginibus*, vocans Euangeliorum volumen theſaurum æternorum bonorum; ideoque colendum, ornandum, & adorandum. Sed hæc de ornatu.

Quæ hactenus expoſuimus S. Auguſtini auctoritate etiam comprobamus. Nam is lib. 10. *de Civitate Dei* cap. 29. *De Incarnatione*, ubi de Euangelio Sancti Joannis ſermo eſt, aſſerit Simplicianum Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopum optimum, ſanctiſſimumq; dicere conſueviſſe, Euangelium literis aureis conſcribendnm, & per omnes Eccleſias in locis eminentibus eſſe exponendum.

Hoc autem quod in Eccleſiis faciendum Simplicianus dictitabat, factum fuiſſe conſtat in Conciliis Generalibus, ut in Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitanis III. & IV. Niceno II. ac in tribus Romanis Synodis, primâ ſub Martino I. ſub ann. 642. Secundâ ſub Zacharia Pontificibus Max. ann. 745. Tertiâ habitâ in Vaticano ann. 969. à Joanne XIII. Papa, in qua inter alia, Beneventanis Epiſcopis Archiepiſcopalis dignitas conceſſa fuit, ut ex Ughellio in vita Landolphi I. Archiepiſcopi.

In auguſtiori igitur loco ſupra Patrum ſubſellia Euangelium ponebatur, ſtratis, pendentibuſque hinc indè aulæis, aliiſque ornamentis, ad cultûs, ac maximæ venerationis argumentum appoſitis; Liber enim Euangeliorum Chriſti Reparatoris noſtri loquentis typum gerit, ut ait S. Cyrillus Alexandrinus in Apologia ad Theodoſium; ideoque in Synodo Epheſina ſupra thronum locatum fuiſſe teſtatur his verbis: *Sancta Synodus in Sancta Eccleſia, quæ Mariæ dicitur, congregata; Chriſtum veluti caput conſtituit; venerandum enim Evangelium in S. throno collocatum erat, illud tantùm Sanctorum Sacerdotum auribus inſinuans: juſtum judicium judicate.* Nec minus bellè idipſum opere Muſivo repræſentatur in tholo S. Joannis in fonte Ravvenatenſi, de quo infra fuſiùs dicendum eſt: ibi enim ſuggeſtus attollitur quatuor columnis ſuffultus, cui apertus ſuperſtat liber Euangeliorum; hinc inde verò ſub quadam abſidula ſedes Epiſcopalis conſpicitur, quam nos *Faldiſtorium* vocare conſuevimus, ut videre potes in Tab. XXXVII. ſuggeſtum quidem Fig. 1. ſedem verò Fig. 3.

Nec in Conciliis modò, ubi fidei orthodoxæ decor ac fulgor augeri à doctiſſimis, piiſſimiſque Patribus ſolet, ſed quod fortè mirum, etiam in foro, & judiciis ſæculi prophanis, contentioſisque, Euangelia ponebantur pro Tribunali, ut ſcilicet ipſi judices obvium continuò, & ob oculos tam corporis extimos, quàm mentis intimos, Domini Dei noſtri timorem haberent. Nec enim aliud in votis habuiſſe Juſtinianum credendum eſt, qui hoc juſſit *in l. Rem non novam*, propè finem, C. *De Jud.* Et hunc ritum figurâ quâdam exprimit Pancirolus *in Hiſt. Imperii Orientalis, & Occidentalis*, ut videre potes in Tab. XXXVII. Fig. 2. ubi menſæ, ſeu parvo ſolio ſuperpoſitus eſt liber Euangeliorum occluſus, in cujus tegmine exteriori repræſentatur imago fortaſſis Euangeliſtæ, à quo ſcriptum fuit;

cùm

cùm hæc Sanctum Joannem referre videatur, qui utplurimum juvenis pingitur, & imberbis. Duo deinde à dextris, totidemque à ſiniſtris cerei fulgebant ſuper candelabra; quibus alterum longè majus, extra, ſed ponè menſam adſtabat, formæ inuſitatæ. variiſque figurarum capitibus aſperum, cælatumque, ſuper quod lucernam, non cereum imponi ſolitum olim in uſu fuiſſe veroſimiliùs crediderim, cujus formam exhibet Fig. 4.

Neque verò ſilentio prætereunda eſt magna honoris portio, quâ Euangelium proſequebantur Reges, ac Cæſares, qui Syrmate, ceteroque auguſto cultu depoſito, Diaconi & Subdiaconi vices implebant: quod vir omnis eruditionis Du-Cange in ſuo *Magno Gloſſario* ad verbum *Euangelium* docet, & ex Berrio deſumpſit in Carolo VII. pag. 87. de Sigiſmundo Imperatore. Gallica verba Latino ſermone ſic ſonant: *Mane venit Imperator ad Miſſam Romæ in S. Petro quam Papa cantavit, & Imperator legit Euangelium in habitu Diaconi.*

In veteri quoque cærimoniali Gallicè MS. hęc Latinitati donata leguntur in cap. *Quomodo Imperator creatur*: *Papa debet cantare Miſſam, & Rex Franciæ poteſt intereſſe, & Epiſtolam legere, & ipſo abſente, Rex Siciliæ ejus vices ſupplere poteſt. Imperator autem debet legere Euangelium, & coronatur In Eccleſia S. Petri Romæ.*

Confirmat hæc Albertus Argentoratenſis in ſuis Chronicis ad an. 1347. enarrans Carolum IV. Cæſarem Baſileæ Natalitia Chriſto Domino nocte poſt Sacroſanctæ Euchariſtiæ refectionem, correpto, exertoque altiùs gladio, clariori voce legiſſe, dum Sacra Miſſæ conficerentur, Euangelium quod incipit: *Exiit ædictum à Cæſare Auguſto.*

Hæc tamen dura, aut nova Lectori non videbuntur, gnaro, quinam Romæ Ritus obſervaretur in coronandis Imperatoribus, Regibuſq; ea de cauſſa ad Urbem venientibus. Hi poſt Imperii, ſive Regni Diadema in Baſilica Vaticana ſuſceptum, continuò ejuſdem Eccleſiæ Canonici renunciabantur, ut ſcribit Achilles Maffęus & ipſe Canonicus Vaticanus, quem refert Turrigius in ſecunda parte Tractatûs *De Cryptis Vaticanis*, editionis 2. pag. 240. afferens, Carolum Magnum, ſuſceptâ per manus Leonis III. Summi Pontificis Imperii coronâ, primum Imperatorum fuiſſe, qui præfatæ inclytæ Eccleſiæ Canonicus creatus fuerit.

Sed hæc, quæ attulimus huc uſque, publicæ ſunt venerationis, quâ Sacri Euangelici Codices habebantur, eximia teſtimonia; privatæ verò quis referat? Innumera certè, clariſſimaque ſufficiunt, exacta, ac fideliſſima Scriptorum præcipuè Eccleſiaſticorum monimenta: ſed uti inopem me copia facit, ita Lectores plurima ingerendo defeſſos, ac tædio laborantes efficerem: deinde unum hoc mihi enarrâſſe, ipſos audiſſe ſit ſatis; videlicèt veteres Chriſtianos tam pretioſum, carum, ac venerabile Euangelium duxiſſe, ut vel pendulum collo, vel pectori impoſitum cunctis diebus vitæ ſuæ geſtârint, ut habetur ex Sancto Joanne Chryſoſtomo *in Matthæum* Homil. 3. & ex Actis S. Cæciliæ; nec non ex Hieronymo in cap. 23. Matthæi; & ex Auctore operis imperfecti in eundem Matthæum Homil. 43. Quia & poſt funera

ra vivebat amor tam ſacri pignoris, quare & cum eo thecis argenteis, æneiſque, aut plumbeis pro facultate cujuſque obſignato, ſepulchris mandari jubebant: quod plurima cadavera, ſeu loculi cofirmant in pervetuſtæ Baſilicæ Vaticanæ demolitione, cum iis reperta.

Pro coronide demum hujus capitis nonnullos verſus annectam, in maximæ antiquitatis Codice ſcriptos, qui diù in Eccleſia S. Pauli, modò verò in Caſinenſium Monachorum Romæ degentium Cœnobio cuſtoditur. Continet iſte Sacram Scripturam, ſæculo nono exaratam, licèt ævo Caroli Magni quidam exiſtiment, quos inter primas tenet Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominus Angelus à Nuce, olim Archiepiſcopus Roſſanen. qui peculiari diſſertatione id ipſum enixè contendit; cui tamen ad unicam ſaluberrimam ingenii exercitationem diſcors Cl. vir Abb. Raphaël Fabrettus aliâ communes inter amicos vulgatâ Lucubratione, non Caroli Magni, ſed Caroli Cæſaris Minoris Francorum Regis, & ejuſdem Caroli Magni natu maximi tempora redolere, & præſeferre diſertè probat. Ab hac ſententia Reipublicæ literariæ notiſſimi pauliſper receſſerunt ſupramemorati RR. DD. Joan. Mabillon, & Michaël Germain, Monachi Benedictini, qui cùm Urbem incolerent, ipſum exemplar, ac utraſque Diſſertationes ſedulò perluſtrârunt, exiſtimantes, Codicem fuiſſe exaratum tempore Caroli Calvi. Quiquid autem ſit de illius tempore, lites tantorum Virorum dirimere, & alteri palmam adjudicare non temerè veritus, promiſſa ſuperiùs carmina apponam, & hæc ſunt:

Ad initium libri Euangeliorum.

*Sede throni reſidens, mundum qui ponderat omnem*
*Corda replet vatum, ut nobis arcana revelent.*
*Altius Eſaïas, Hieremias, Hiezechielque*
*Afflati, Danihelque videns Myſteria tecta*
*Quatuor aſſignant nobis animalibus almis*
*Almigraphos Chriſti virtutum quatuor æquè.*

Ad initium Euangelii ſecundùm Matthæum.

*Virtutum Scriptor Matthæus in ordine primus*
*Effulget Chriſti de vectigalibus olim*
*Actibus extraxit clemens, quem gratia Chriſti*
*Diſcipulus ſcribit Domini miracula facta.*
*Fratribus Hebreis Legis ſervantibus umbram*
*Quo verùm noſcant animo velamine demptò.*

Circa imaginem Sancti Matthæi.

*Hoc Matthæus agens hominem generalitèr implet.*

Ad initium Euangelii ſecundùm Marcum.

*Filius ecce Petri Sancti Baptiſmatis undâ.*
*In Chriſtum credens Hebreorum Patribus ortus,*
*Lævites Marcus fulget hic ore Secundus.*
*Pleniter inſtructus Petri ſermonibus Acta.*
*Romanis Dominis ſcribens, & tradit habenda.*
*Nexibus adſtrictis dudum Serpentis iniqui.*

Circa

Circa imaginem S. Marci.

*Marcus ut alta fremit vox per deſerta Leonis,*

Ad initium Euangelii ſecundùm Lucam.

*Ordine luce micans Lucas hîc tertius extat.*

*Virginitate cluens, Domino eſt ſine crimine parens.*

*Is prorſus Sancto plenus de flamine, Sanctum*

*Chriſti Euangelium dignè conſcribit Achivis*

*Ipſis, & binam tribuit ſic ritè medelam,*

*Ut fuerat Medicus bino medicamine juſtus.*

Circa imaginem S. Lucæ.

*Jura Sacerdotii Lucas tenet ore Juvenci.*

Ad initium Euangelii ſecundùm Joannem.

*Eloquio Domini fulgens dilectus amicus,*

*Sidereo meritis perſplendet in ordine quartus,*

*Joannes, vitæ fontem de pectore potans,*

*Omnia tranſcendit ruris cælique volando*

*Verbum in principio dixit, verbum & caro factum,*

*Quod Pater, ut voluit, gremio tranſmiſit ab alto.*

Circa imaginem Sancti Joannis.

*More volans Aquilæ verbo petit Aſtra Joannes.*

Hæc eadem carmina inter antiquæ Baſilicæ S. Pauli Viâ Oſtienſi Inſcriptiones collegit Cornelius Margherinus Monachus Caſſinenſis amicus noſter, & Eccleſiaſticæ vetuſtatis apprimè ſtudioſus, cui fatis cedenti literatorum lacrymis parentatum eſt.

Illuſtre venerationis Euangelii exēplum, religioſiſque ardoris ſignum id moris fuit, ab antiquo introducti, ut ipſius lectionem erecta in pedes plebs audiret, ad indicandam promptitudinem Euangelii defendendi oracula, etiam uſque ad ſanguinem, ut conſtat ex Epiſt. Anaſtaſii I. ad omnes Germaniæ, & Burgundiæ Epiſcopos, his verbis jubens: *Significâſtis enim, quoſdam Sacerdotes in Eccleſia, quando leguntur Euangelia, ſedere, & Domini Salvatoris verba non ſtantes, ſed ſedentes audire, & hoc ex majorum traditione ſe accepiſſe narrant; quod ut nullatenus deinceps fieri ſinatis, Apoſtolicâ auctoritate mandamus: ſed dum Sancta Euangelia in Eccleſia recitantur, Sacerdotes, & cæteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi in conſpectu Sancti Euangelii ſtantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Legem hanc maribus, feminiſque communem fuiſſe conjicio ex Mathilde Comite, quæ vehementi obſervandi ritûs ardore, virium gracilitate poſt morbum laborans, ſolennibus Miſſarum aſſiſtens, enixa dum legebatur Euangelium recta ſiſtere, deliquium perpeſſa procubuit; ut videre eſt in vita S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi. Quæ conſuetudo audiendi ſtando Euangelium, ſuperno veluti, cęleſtiſque oraculo confirmata videtur ex Vita MS. Sancti Willelmi Abbatis Monaſterii Eskilenſis in Dania, jam ante annos quingentos & ultra ab Eskilenſi Monacho compoſitâ, qui Petro Roskilden. Epiſcopo ſynchronus fuit: ubi de quadam muliere enarratur, quod auſcultans contractam

Euan-

Euangelii lectionem, audierit vocem sic increpantem : *Mulier surge ; non decet Christianos ad Euangelium sedere , sed cum reverentia stare , & auscultare quod legitur*. Quem locum debeo Cl. Viro Henrico Valesio in Annotat. ad Theodericum in adden. pag. 209. ubi ab Hadriano Valesio ejus fratre, veterum monimentorum studiosissimo, creditam sibi Historiam laudat ; tractu temporis Christiadum fervor Euangelii grave monimentum præmonstrare studebat . Regnante hinc in Polonia Miecislao , apud equites Polonos perillustris invaluit mos, ipso jubente , dum in templis Euangelii rubrica recitabatur, stringendi medio tenùs gladium in signum ultimæ defensionis, quem respondente choro *Gloria tibi Domine*, rursum recondebant, tradit Chromer. lib. 3. ad ann. 999. *De Gest. Polon.* In Insula Melitensi, Illustrissimæ Hierosolymitanæ Religionis Cœnobio, etiam usq; ad hæc tempora antiquissimus procurrit usus, ut semel in anno, solennibus Nativitatis B. Mariæ Virginis in octavam Septembris cadentibus, dum Diaconus *Sequentia Sancti Euangelii* canere incipit, Eminentiss. M. Magister evaginato ense erigatur, & audiat, ut refert Macrus Melitensis in suo Hierolexico in verbo *Euangelium*.

## CAPUT XVII.

*Dissertatio, quâ contra Acatholicos demonstratur, in tribus primis Ecclesiæ sæculis , persecutionum tempore , publica ædificia fuisse , in quibus Christi Fideles sacras Synaxes peragebant .*

CATHOLICORUM Ecclesias, ac Templa eversuri, nomenque ipsum abolituri, eadem triplici telo impetiverunt, & oppugnârunt ab unitate Fidei orthodoxæ alienati, & inordinatè ambulantes fratres . Sic hæresi laborantes in operis mei decursu appellare constitui, Apostolorum imitaturus , qui Epistolâ ad Thessal. 2. cap. 3. quamvis ab iis nos abstinere, & recedere præcipiat, dulci tamen eos fratrum nomine non dedignatur, his verbis : *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri IESU Christi , ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè , & non secundùm traditionem , quam acceperunt à nobis* . Quæ etiam refert Cyprianus in Epistola 55. contra Hæreticos sub finem . Quidni etenim illos fratres dicam , cùm unà omnes simul in Cristo baptismatis undâ renati simus ? licèt ii postmodùm progenitorum à semitis deflectentes, qui ab uberibus S. R. Ecclesiæ salutis lac exsuxerunt, Dominici moniti immemores : *Jugum meum suave est , & onus meum leve*, suavi , salutariqué orthodoxæ Religionis jugo excusso, à Romana Ecclesia se alienârunt. Faxit Deus, ut tandem aliquando unitatis antiquæ , unanimisque fraternitatis reminiscantur , ut pace Ecclesiæ restitutâ, conciliatis animis, invicem nos syncerè amplecti possimus.

Primi igitur Anabaptiſtæ, non eſſe ullo pacto ædificandas Eccleſias, mordicùs contendebant: Deinde aſſertores, & aſſeclæ Petrobuſiani, ut aſperam nimis opinionem aliquo temperamento mollirent, conſtrui quidem eas poſſe affirmabant, minimè verò exornari. Noviſſimi autem, primis Eccleſiæ temporibus, nulla Criſti Fideles ædificia templorum habuiſſe, unanimi calculo aſſeverant. In hoc tamen diſcordes, quòd alii, ut Hoſpinianus, duobus; alii, ut Ottius, tribus primis ſæculis, ſine ſacris templis degiſſe Chriſtianos affirmant. Qua ex contradictione quàm levibus, & imaginariis argumentis nitantur, adeò ut ipſi ſibi non conſtent, perſpicuum eſt.

Verùm quia duobus prioribus ſententiis à viris doctiſſimis Baronio ad ann. 57. nu. 111. & Bellarmino tom. 1. controverſ. lib. 3. cap. 4. *De cultu Sanctorum*, abundè reſponſum eſt, libens prætereo, tertiam hîc pro virili refutaturus; præſertim cùm unica mei laboris meta, ſcopuſuè ſit, de vetuſtarum Eccleſiarum ſtructura, illarumve ornamentis differere.

Illud autem, ut eâ, quâ par eſt, viâ facili, regiâque, ſine tricis, ac diverticulis exequar, telam hujuſce diſſertationis ab Apoſtolis ordiar.

Scitum profectò, & apud omnes in confeſſo eſt, Apoſtolos adhuc Hieroſolymis, vel in vicinia commorantes, ut Euangelicum ſemen, panemque filiorum, filiis ipſis darent, nullo delectu, vel in Templum, vel in Synagogas, interdum & in domos privatas conveniſſe, eòque Diſcipulos congregâſſe, ut ſacris adeſſent, & in oratione, ac Sacramentis communicarent.

Et quidem quòd in Templum convenerint, ex Actorum cap. 2. num. 46. luculentiſſimè patet, ibi: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo*. Quòd verò in Synagogas, Actorum eorundem cap. 13. num. 5. teſtatur, ubi ſic habetur: *Prædicabant* (Saulus nempè, & Barnabas) *verbum Dei in Synagogis Judæorum*. & num. 14. *Ingreſſi Synagogam die Sabbatorum, ſedebant, &c.*

Demum, quòd & domos privatas adierint, ibique unanimi aſſenſu in oratione perſeverârint, habetur ex Actibus eiſdem Apoſtolorum cap. 1. ubi legimus, Diſcipulos Hieroſolymam redeuntes è monte Oliveto, è cujus vertice in Cælum Chriſtum Dominum aſcendentem viderunt, Cœnaculum adiiſſe, & eò aſcendiſſe, ubi *Manebant Petrus & Joannes, Jacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Judas Jacobi, perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & MARIA Matre JESU, & fratribus ejus.*

Neque hîc puto omittendum Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopum, qui Catec. 16. Cœnaculum Eccleſiæ nomine appellat, ubi ait: *Spiritus Sanctus, qui loquutus eſt per Prophetas in die Pentecoſtes, deſcendit ſuper Apoſtolos in ſpecie linguarum ignearum hîc Hieroſolymis in ſuperiore Eccleſia*. In ſuperiori profectò; nam in ſupremis ædium quarumvis ordinibus cœnacula ſternere mos erat, ut Feſtus, *Supremam ædium partem totam, Cœnaculum appellatam fuiſſe, ad quod ſcalis aſcenderetur*, apertiſſimè tradit.

Cæterùm hæc loca ſimilia adeundi conſuetudo, vel ad ſacra conficienda, vel

vel ad novos in Fide tirones eruditendos, inter Apoſtolos adhuc obtinuit, poſtea quàm Spiritu Sancto afflati, atque repleti, Hieroſolymis abeuntes, aliò legem Chriſti propagaturi, appulerunt. Quæ tamen, ſi vera fateri, rebuſque ſua nomina dare velimus, conſuetudo appellanda non foret, ſed dura neceſſitas, cùm in Eccleſiæ incunabulis, ubi nîl firmum, nîl facile, ſed omnia nutantia, aſperaque Euangelii ſacri Præcones habebant, ne minima quidem, nedum alta, & magnifica templa poterant excitari.

Quidquid autem fuerit de primis illis temporibus, libeat ab Ortu in Occaſum Petrum & Paulum Apoſtolos Romam euntes comitari. Illuc enim veluti in ſtabilem, æternamque Fidei ſedem, in Catholicæ Eccleſiæ, & unitatis Euangelicæ caput, Petrus, ejuſque Coapoſtolus Paulus, cum aliis conſeſſêre.

Horum autem de adventu, moraque in Urbe, cùm dubitare quidam auſi fuerint, liquida ipſorummet Apoſtolorum teſtimonia referre, non inutile fore crediderim. Paulum igitur audiamus, qui in Epiſtola ad Philippenſes cap. 4. 21. Romæ data, ſic ait: *Salutant vos qui mecum ſunt fratres, ſalutant vos omnes Sancti, maximè autèm qui de Cæſaris domo ſunt.* Petrus autem in Epiſt. 1. cap. 5. *Salutat vos* (inquit) *Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.* Babylonis autem nomine Romam venire, communi Patrum ſuffragio perſpicuum eſt. Cùm & Papias Apoſtolorum Diſcipulus, ac Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. *Hiſt. Eccl.* cap. 15. & Eubſebius ipſe id aſſerant, cum Tertulliano in lib. *adverſus Judæos*. Cap. 9. Quibus concinunt S. Juſtinus Martyr in *Apologia ad Antoninum Pium*, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud laudatum Euſebium eodem lib. 2. cap. 25. Irenæus *adverſus Hæreſes* lib. 3. cap. 1. & 30. Tertullianus ſupradictus *De præſcript. Hæretic.* cap. 36. Cajus vetus Scriptor apud citatum Euſebium eodem loco. Clemens Alexandrinus lib. 6. *Hypotypoſeων* apud eundem Euſebium loco citato. D. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. juxta vulgatam Manutii editionem, juxta Rigaltii verò 55. *ad Cornelium Papam*. Item lib. 4. Epiſt. 2. *ad Antonianum*, quæ in editione Rigaltii eſt 52. & lib. *De vnitate Eccleſiæ*. Conſtantinus Magnus *in Conſtitutione ad Sylveſtrum miſſa* apud Photium *in Nomocanone* tit. 8. cap. 1. Arnobius *adverſus Gentes* lib. 2. Lactantius Firmianus *De vera Sapientia*, ſeu *Divinarum Inſtitutionum* lib. 4. cap. 21. Supramemoratus Euſebius dicto lib. 2. cap. 13. 14. 15. & 25. & lib. 3. *De demonſtratione Euangelica* cap. 5. ac *in Chronico* anno 2. Claudii, & ult. Neronis. Optatus Milevitanus *contra Donatiſtas* D. Athanaſius *in Apologia de fuga ſua*. S. Ambroſius lib. 3. cap. 1. *De Sacramentis*. Idem ſerm. 66. *in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli* Idem Oratione in Auxentium *de Baſilicis non tradendis*. S. Epiphanius *contra Carpocraſios* Hæreſi 27. S. Joannes Chryſoſtomus *in demonſtratione adverſus Gentiles, quòd Chriſtus eſt Deus*. Item *Homilia in Pſalm.* 48. in *Commentario epiſt. ad Romanos* cap. 16. Homilia ultimâ, ſeu 32. Rufinus in *Invectiva contra Hieronymum*. D. Hieronymus in *Comment. epiſt. ad Galatas*. lib. 1. c. 2 Paulus Oroſius lib. 7. cap. 6. & 7. D. Auguſtinus lib. 2. *con-*

*tra literas Pitiliani Donatiſtæ* cap. 51. Leo Papa ſerm. 1. *de Natali Apoſtolorum*. Beda in lib. *de Ratione Temporum*. Idem *in Comment. prioris epiſt. Petri* cap. 5. Theophylactus *in Comment.*

Verùm quia mentibus ſacræ eruditionis fœcundis, notiſſima & nimis trita videri poſſet hæc quæſtio, eos Lector adeat, qui ſtylo uberiori idem hoc impugnantium temeritatem ſunt inſequuti.

His itaque præteritis, de Eccleſiis in Urbe conſtructis ab Apoſtolorum exceſſu ad tertium uſque ſæculum, longè ante tempora Conſtantini, ſermonem inſtituamus.

Occurrit illicò veteris univerſæ Urbis excidio ſuperſtes Eccleſia S. Pudentianæ, in quam Senatoria Pudentis ampliſſimi viri domus, B. Petri feliciſſima hoſpitio, converſa eſt, & conſecrata à Pio hujus nominis primo Pontifice maximo: De quo in Pontificali libro in ejus vita ſic legitur: *Hic ex rogatu S. Praxedis dedicavit Eccleſiam in Thermis Novati in vico Patritio, in honorem Sororis ſuæ S. Pudentianæ, ubi & multa dona obtulit.* Cui ſubſcribit Petrus de Nat. lib. 5. cap. 1. hæc addens: *Ubi ſæpius Sacrificium Domino offerens miniſtrabat, imò, & fontem Baptiſmi conſtrui fecit, manu ſuâ benedixit, & conſecravit.*

Secundò, Baſilica quæ hodie S. Mariæ Tranſtyberim indigitatur, antea verò Calliſti, ut ad an. 224. §. 4. Baronius conciliat, olim *Taberna Meritoria* vocata fuit, eò quod emeritis militum ſeneſcentium, ægrorumque laboribus ſedes erat, ac requies. Cùm autem Alexandro Severo Cæſare gravis de hac inter Popinarios, & Chriſtianos, qui eam occupaverant, orta lis eſſet, meliori parti ſavit Cæſar, noſtriſque Tabernam adjudicavit. Sic Lampridius in Alexandro Severo: *Cùm Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupâſſent, contra Popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit* (Cæſarem intellige) *melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm Popinariis dedatur.*

Unde igitur ex adverſo nobis ingeritur, Cryptas, ac Cœmeteria, perpetua fuiſſe Fidelium ad ſacra coëuntium receptacula, ſi & multos in Urbe vivere; & publica loca, ædificiaque ad orandum habere, Principum minus impiorum indulgentia paſſa eſt?

Plura præterea offerri poſſent, nî dira Diocletiani perſecutio cum innumeris Chriſtianorum millibus abſumpſiſſet, auguſta etiam, ſacraque tùm templorum, cùm Codicum monimenta, ut Euſebius *Hiſt. Eccleſiaſt.* lib. 8. cap. 2. teſtatur.

Licèt verò ne tenue quidem eorum veſtigium immanis furor reliquerit, ita ut neque locum, neque tempus haurire à cineribus potis ſim; alicubi tamen erectas fuiſſe Eccleſias convincit idem liber Pontificalis in vita S. Lini, B. Petri in Sacerdotio maximo ſucceſſoris, ubi habemus, prædictum Pontificem decreviſſe, *ut mulier velato Capite in Eccleſiam ingrederetur.* quod utique futile, ac fruſtraneum decretum videretur, ſi nullam quam introïrent, Chriſtianæ mulieres Eccleſiam habuiſſent. Quin & ubinam niſi in Eccleſia ſaltem domeſtica *Cletus ex B. Petri præcepto Presbyteros ordinauit in Urbe Romæ*? Clemens plu-

plura conſtituit in cultum, decoremque templorum. Anacletus memoriam D. Petri, à quo Præsbyterio fuerat inſignitus, in eo prorſus loci, ubi Cruci affixus fuerat, excitavit, adjectis ad humandos ſibi ſucceſſores Epiſcopos tumulis: num cadaverum honori conſulens, Eccleſias, Dei peculiares domos, neglexiſſet?

Euariſtus, qui tempore Trajani Martyr occubuit, Titulos Romæ diviſit, ſingula ſcilicet ſingulis Presbyteris loca divino cultui dedicata. Sub eodem Pontifice Eccleſias conſecrandi mos viguit: *Decrevit enim* (ut in primo Conciliorum tomo videre eſt) *omnes Baſilicas cum Miſſa ſemper debere conſecrari*. Hinc eſt, non Memorias modò, ſed Titulos, ſed Baſilicas, ampliora videlicet ædificia, ad Sacra facienda Chriſtianis ſtetiſſe.

Cæterùm ſex ſupra quadraginta Presbyteros totidem numero Eccleſiis Romæ præfuiſſe, conjicitur ex Hiſt. Euſeb. lib. 6. cap. 43. qui Cornelii Epiſtolam refert ad Fabium Eccleſiæ Antiochenæ Præſidem, quam Epiſtolam expendens Valeſius. *Certè* (ait) *Optatus in lib.* 2. *Romæ quadraginta & amplius fuiſſe teſtatur Baſilicas ſub tempora perſecutionis Diocletiani. Non enim* (*inquit*) *grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas; locum ubi colligerent non habebant.* hæc Valeſius. At longè ante Diocletiani perſecutionem loquitur Optatus: nam de temporibus Cornelii Papæ, qui floruit anno 251. & non de ipſa perſecutione Diocletani intelligit, ut obſervavit hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Princeps Baronius ad annum 57. n. 100.

Accedit ad ea, quæ huc uſque diximus, confirmanda, Euſebii lib. 8. *Hiſt. Eccl.* cap. 1. ſummæ lucis, ac fidei teſtimonium. *Jam verò* (inquit ille) *quis innumerabilem hominum quotidie ad Fidem Chriſti confugientium turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis Urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in Aedibus Sacris, cumulatè poſſit deſcribere? quo factum eſt, ut priſcis ædificiis jam non contenti, in ſingulis Urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis extruerent Eccleſias.* Num cryptas, ac ſpeluncas, aliaque ſubterranea loca pro priſcis ædificiis accipienda? non equidem, imò pro altis, & ſolo extantibus? Unde enim Lucianus, (qui vixit circa medium ſecundi ſæculi) Chriſtianæ Religionis deſertor ac transfuga, ſe per ſcalas in Oratoria Chriſtiadum aſcendiſſe fateretur? Ipſum in Philopatre hæc enarrantem libeat audire: ibi enim: *Pertranſivimus*, (inquit) *ferreas portas, & ærea limina, multiſque ſuperatis ſcalis, in domum aurato faſtigio inſignem aſcendimus, qualem Homerus Menelaï fingit eſſe; atque ipſe quidem omnia illa contemplabar, quæ inſularis ille adoleſcens: Video autem non Helenam, ſed mehercle viros in faciem inclinatos, & palleſcentes.*

Suggerit etiam alia non exigui ponderis argumenta idem Euſebius prædicto lib. 8. cap. 2. ubi ſic: *Hæc omnia noſtris temporibus completa ſunt; tunc cùm ædes ſacras ſolo æquari, ac funditùs ſubverti, ſacros divinarum ſcripturarum libros in medio foro concremari, oculis noſtris vidimus, &c.* Et inferiùs, *ſunt ubique Imperialia edicta, quibus Eccleſiæ quidem ad ſolum uſque dirui, ſacri verò Codices flammis abſumi jubebantur.* Poſſent

ne

ne autem dirui, soloque æquari, quæ scabris solummodò tophis excisa, nunquam terræ superficiem suâ mole superavêre? Præterea idem Auctor in *vita Constantini* lib. 1. cap. 42. ubi de honoribus Episcopis delatis, & de Ecclesiarum instructionibus agitur, ex Valesii versione sic habet: *Quin etiam Ecclesiis Dei plurima ex thesauris suis beneficia sumministravit, partim sacras ædes amplificans, & in sublime erigens, partim augusta Ecclesiarum sacraria plurimis donariis exornans*. Lib. verò 2. cap. 46. refertur Epistola Constantini ad ipsum Eusebium, & reliquos Episcopos, de Ecclesijs Præsidum operâ ædificandis, vetustisque reficiendis: en verba Epistolæ: *Cùm usque ad hanc diem impia præsumptio, & tyrannica violentia, ministros Servatoris nostri sit persequuta, pro certo habeo, planèque mihi ipsi persuadeo, omnium Ecclesiarum ædificia, aut per incuriam corrupta, aut præ metu ingruentis temporum iniquitatis minùs honorificè exculta esse; Eusebi frater charissime &c.* Et infra: *Cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, ac diligentiâ incumbant, quo aut reparentur, quæ adhuc manent, aut augeantur in majus, aut sicuti usus postulaverit, nova ædificentur*. Num sacras ædes, vel in sublime erigeret, earundemque Sacraria donariis exornaret, nisi jam antea ipsæ ædes sacræ, & earum sacraria constructa fuissent? Itidem in eodem lib. 1. cap. 53. sermo est de Licinii edicto, quo jubebatur, ne viri orandi caussâ in Ecclesiam Dei simul cum mulieribus convenirent. Et in lib. 2. cap. 2. de ejusdem Licinii persecutione fit mentio: ubi narratur, multas Ecclesias solo æquatas fuisse, alias verò clausas à Præsidibus Provinciarum, ne quisquam eorum, qui eas adire consueverant, eò conveniret, neve solennem cultum Deo exhiberet. Porrò quid hisce testimoniis luculentius, ad confirmandum, primævos Christi Fideles, ædes sacras, ac templa habuisse domibus pares, non autem unicè in Cœmeteriis, secretisque telluris visceribus sacrosancta ministeria peragere semper consuevisse?

Fortè quidem, quæ hucusque retulimus ædificia sacris Synaxibus deputata, privatæ domus fuêre, quas fervida illius ævi Fidelium pietas, vel in partem, vel totas Deo dicaverat; non verò publica, & universo Christi gregi communia, profanisque commerciis exempta. At longè diversa fateri nos cogunt gratiosa, indulgentissimaque Licinii & Constantini Cæsaris decreta apud prefatum Eusebium lib. 10. cap. 5. quæ solidam securamque Christianis earum rerum possessionem astruunt, quas persecutionum turba rapuerat. Profectò hæc statuta è Græco sic vertit Valesius: *Hoc autem ampliùs in gratiam Christianorum decernimus; ut loca ipsorum, in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in literis priùs ad devotionem tuam datis alia erat forma, superiori tempore constituta, si qui aut à Fisco nostro, aut ab alio quopiam, ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia, & sine repetitione ulla superadjecti pretii incunctanter, ac sine ulla ambage restituant; & si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant. Quòd si qui ea loca emerunt, aut donata acceperunt, aliquid à nostra clementia*

petere

*petere velint ; ii Præfectum , qui in illa Provincia Jus dicit , adeant , ut à noſtra Serenitate ratio ipſorum habeatur . Quæ quidem omnia protinus ſine ulla dilatione corpori Chriſtianorum reſtitui tuâ curâ ac diligentiâ oportebit . Et quoniam iidem Chriſtiani non ſolùm ea loca , in quibus convenire ſolebant , ſed etiam alia poſſediſſe noſcuntur , quæ non privatim ad ſingulos ipſorum , ſed ad jus corporis pertinerent ; hæc omnia poſt legem à nobis memoratam abſque ulla dubitatione iiſdem Chriſtianis , hoc eſt cuilibet corpori , & conventiculo ipſorum reſtitui jubebis* . Ferè repetit idem Euſebius in *vita Conſtantini* lib. 2. cap. 39. 40. & 41. E quibus hæc duo apertiſſimè eliciuntur , videlicet , & à privatis diſtincta , communiaque delubra fuiſſe Chriſti Fidelibus , & non recenti Cæſaris dono , ſed juſto aliquo titulo multò jam ante acquiſita , diutinoque dominio poſſeſſa .

Verùm aliò nos trahit præcipuum diſceptationis hujuſce argumentum , ſuadetque jam tandem ſuprema fratrum alienatorum confugia demoliri . Eccleſias (inquiunt) primævi Patres , unanimi voce , ac ſenſu dixêre cœtus Fidelium , ipſorumque in unum coëuntium aggregationem , & aliud quodcunque ſentire , maximum nefas eſt . Qua propter non parvum operæ pretium fore confido , ſi coacervatis Patrum ſuffragiis ac teſtimoniis , non ſemper pro cœtu , & conventu , ſed pro ipſiſmet ædibus , & ſacris molibus , ab iiſdem accipi , ac dici Eccleſias oſtendam .

En igitur , Tertullianus , qui *De Pudicitia* cap. 4. ſic loquitur : *Reliquas autem libidinum furias impias , & in corpora , & in ſenſus ultra jura naturæ , non modò limine , ſed omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus* . Quem tanti viri ſermonem , ne metaphoricum putes ; atque adeò limen tectumque ædificii veri partes ad myſtica cœtuum Chriſtianorum ædificia trahendum eſſe ; egregiè pro Eccleſia , locovè Sacris addicto , explicavit Gabriel ab Aubeſpine in ſuo Tractatu *De Antiqua Eccleſiæ Politia* lib. 2. *De Euchariſt.* cap. 6. §. 2. ubi eadem Tertulliani verba refert , & Gallico idiomate interpretatur .

Nec minoris momenti eſt illud ejuſdem Doctoris cap. 13. *De velandis Virginibus* , ubi : *Aut conſtanter audeant* (ait) *in vicis virgines videri , ſicut audent in Eccleſiis* . Quibus profectò perſpicuum eſt , hunc Auctorem , locum loco æquiparare , cùm ſuadeat , jubeatque virginibus , quòd , ut in Eccleſiis , ideſt in locis , in quæ ad ſacra conveniunt , virginitatis conditionem , ac decus affectant , ita quoque palàm in vicis , & ſemitis Urbis , debere ſe virgines , gravi , & inſeſsûs , & oculorum modeſtia , corporiſque totius habitu & geſtu probare . Sed hæc ex Tertulliano ſatìs .

Tria præterea , quæ nobis maximè favent è D. Cypriani operibus eruuntur ; primumque eorum ex Epiſtola 55. *ad Cornelium* : de Fortunato , & Feliciſſimo , ſive contra Hæreticos , ubi Cyprianus in eos invehens , inquit : *Denique quia conſcientiam ſuam nôrunt , nec nos audent adire , nec ad Eccleſiæ limen accedere* . Quid quæſo *liminis* iſta vox ſonat notatque , niſi lapidem illum oblongum , qui in ingreſſu portarum è tranſverſo ſubſtratus Hypothyrium dicitur , opponitur-

que

que Hyperthyrio. Si tamen eandem in abſurdiſſimas, & prorſus ineptas interpretationes detrahere, & diſtorquere nolimus.

Alterum, quod ex Cypriano depromitur in eadem Epiſtola, habetur ſub finem, ibi: *Quid ſupereſt quàm Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini Altare removentibus, in Cleri noſtri ſacrum, venerandumque conſeſſum, ſimulacra atq; Idola cum aris ſuis tranſeant?* Hîc porrò quàm apertè Eccleſia Capitolio oppoſita, & comparata, locum & ædificium deſignat? Unde enim altare Domini removeretur, Sacerdotes recederent, venerandus Cleri conſeſſus diſſiparetur, ſi neque ſitus altaris, neque ſedilia Presbyterorum ullibi extarent? Ubi Idola, & ſimulacra inanium Deorum collocarentur? quæ tecta, quæ impluvia aræ impiiſſimæ ſortirentur, ſi ſola Fidelium congregatio, concurſus, & unio, foret Eccleſia? Sed ut id clarius accipias, explicationem hujuſce vocis *Eccleſia*, audi ab ipſomet in Epiſtola 63. ubi ſic: *Unde Eccleſiam, ideſt, plebem in Eccleſia conſtitutam*. è quibus in duplici, & utroque legitimo ſenſu uſurpari nomen *Eccleſiæ* quis non videat? perſpicuè hoc idem docet Auguſtinus ſuper Levitic. lib. 3. num. 81. ubi ſic: *Sicut ædificium, quod vocatur* Eccleſia, *etiam cùm inde Eccleſia exiret, quæ homines ſunt, nihilominus* Eccleſia *dicitur &c.*

Præterea non unico *Eccleſiæ* nomine ſacram ædem appellat idem Cyprianus, cùm eam *Dominicum* dicat, ut in ſuo diſcurſu *de Oper. & Eleemoſyn.* matronam admonens, inquit: *In Dominicum venis ſine ſacrificio*. Nec dura videatur interpretatio, nam hac voce uſi ſunt Patres Concilii Ancyrani in Can. 15. his verbis: *Ex iis quæ pertinent ad* Dominicum, *quæcunque, dum non eſſet Epiſcopus Presbyteri vendiderunt, revocare* Dominicum: *Epiſcopi autem judicio relinqui, an oporteat pretium recipere, an non: utpotè quòd eorum, quæ ſunt vendita, reditus eis ipſis majus pretium reddiderit.* Ancyranos Patres Neocæſarienſes ſequuti ſunt in Can. 5. ubi ſic: *Catechumenus ſi in* Dominicum *ingrediens, in Catechumenorum ordine ſteterit; is autem peccat, ſi genu quidem flectens &c.* Clariùs adhuc Laodicenum Concilium Can. 28. ibi: *Quòd non oportet in locis* Dominicis, *vel Eccleſiis, eas quæ dicuntur Agapas facere.* Quæ omnia nos non incongruè *Dominicum* in Cypriano, pro Eccleſia accipi teſtantur.

Arnobius item in lib. 4. Fidelium primorum ædes, conventicula, appellat, cùm ea everſa, dirutaque per ſummum ſcelus ab impiis, & infenſiſſimis Chriſtiano nomini Imperatoribus queritur, tyrannidemque prolixiùs inſectatur. Hæc ejus verba: *Nam noſtra quidem ſcripta, cur ignibus meruerunt dari; cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur Magiſtratibus? &c.* Quæ ſanè conventicula domos orationis, & aulas Deo dicatas innuunt. Quod confirmat Baſilius Magnus in Serm. *de Gordio Martyre*. Diocletiani perſecutionem deſcribens, ibi: *Chriſtianorum domus ſingulæ vaſtabantur &c. Præter hæc autem, domus orationis profanorum manibus vaſtabantur, aræ ſanctiſſimæ evertebantur &c.*

Hoc

Hoc idem adamuſſim exequitur Eutychius Patriarcha Alexandrinus, quem citat Ottius in ſuis *Annotat. Eccleſiaſt.* ad ann. Chriſti 204. centur. 2. unde hæc de Severo Imperatore Eutychii verba decerpſi : *Severus vir nequam fuit, magnarum Chriſtianis calamitatum, multorumque crucia tuum auctor : ejus tempore Martyrium ubique ſubierunt Chriſtiani quamplurimi. Tum in Aegyptum profectus, omnes, qui ibi, & Alexandriæ eſſent, Chriſtianos interemit, & Eccleſias diruit, extructo Alexandriæ templo, quod Deorum templum vocatum eſt.* Hæc ille. Quibus adeò urget Ottius, ut nullam in eo viderim reſponſionem.

Neque verò ſolùm de Eccleſiarum ruinis & everſionibus, Patres, & majoris fidei Hiſtorici verba faciunt; ſed eas nondum everſas aliquando proponunt. Quam luculenter hoc exprimat Epiphanius in lib. *De Menſuris*; ubi de Hadriani Cęſaris in Palæſtinam adventu poſt Hieroſolymorum excidium agit, ex his quilibet arguat: *Reperit Hadrianus civitatem totam ſolo æquatam, & templum Dei conculcatum, exceptis parvis domibus, & Eccleſiâ Dei, quæ parva erat, eo loco, ubi diverſi Diſcipuli, quando Salvator aſſumptus eſt ab Oliveto, aſcenderunt in cœnaculum, illic enim ædificatum fuerat, hoc eſt in parte Sion &c.* Clariùs ne, vel deſcribi, vel è deſcriptis deduci poteſt, eo tempore, quo negatur Chriſtianis ritibus, muneribuſque obeundis, conſtructas, ac dedicatas fuiſſe, cùm Hadriano imperante nempe in principio ſecundi ſæculi quædam in monte Sion, licèt humilis, & anguſta, ſtare tamen reperta ſit?

Quin etiam haud abs re fore crediderim, ſi eam hiſtoriam referam, quæ apud nonnullos eruditos fidem obtinuit, & ab Euſebio lib. 6. Hiſt. cap. 34. enarratur. Aderant jam Chriſti plebi Paſchalia ſolennia, nec non dies quam fecit Dominus, cùm in ejus diei vigilia Philippus ipſe Imperator Eccleſiam ingredi, ut & ſacris vacaret, & divinorum particeps fieret tanquam Chriſtianus, auſus eſt, prohibituſque & ejectus ab Epiſcopo, ob ſcelera, quæ patraverat; quibus tamen pœnitentiâ ſalutari dilutis, voti compos effectus eſt, & in Ædem cum aliis admiſſus; quod ſanè neutiquam factum eſſet, ſi nullæ iis diebus Eccleſiæ conſtitiſſent, ut, neſcio quo calami aut mentis lapſu, non inſcii aut inculti, ſed parùm pii Fratres contendunt.

Scio tamen hiſtoriam hanc oppugnari à Joſepho Scaligero in ſuis Animadverſionibus ad Chronicum Euſebianum ſub an. 246. Ubi nonnullis, acribuſq; conviciis prędictum Cęſarem impetit, totumque id, fabulam à Chriſtianis confictam eſſe, pluribus aſſeverat. In hanc ſententiam ivit etiam Sethus Calviſius in ſuo opere Chronologico ad ann. Chriſti 246. Spanhemius verò in ſua Diſſertatione nona *De preſtantia & uſu numiſmatum*, licèt dubium moveat, attamen non decidit, ſed Lectorem ad Danielem Huetium remittit, de quo infra. Hujuſmodi controverſiam Eminentiſs. Cæſar Baronius ad ann. 246. longè examinat, quapropter Lectorē ad hunc Purpuratum remittimus. Valeſius verò magnæ ingenuitatis & doctrinæ vir, in ſuis ad Euſebium notis, hanc eandem hiſtoriam in lib. 6. Hiſtor. c. 34. non improbat,

bat, ſed potiùs confirmat, cùm enunciatam atteſtetur ab Auctore Chronici Alexandrini, ex narratione Leontii Præſulis Antiocheni, & Magno Conſtantino Cæſari ſynchroni. Idem fermè narrat D. Chryſoſtomus in Oratione de S. Babyla *contra Gentiles*, licèt nomen Imperatoris reticeat: cui mirificè aſſentitur B. Haymonius Epiſcopus Halberſtadien. in ſua *Hiſt. Eccl.* lib. 6. cap. 2. Nec non acta Martyrii S. Donnini apud Boninum Mombritium *De Vitis Sanctorum*. Item S. Pontii Martyris acta, nuperrimè in lucem ædita ab eruditiſſimo Stephano Baluzio in ſuis *Miſcellan.* lib. 2. Quorum verba ne tædio ſim, referre diſtuli. Poſtremus omnium, eorundem ſententias expendit ſupracitatus Daniel Huetius in ſuo Tractatu *Origenianorum* parte 1. lib. 1. cap. 3. num. 12. ac concludit, *Chriſti ſacris à Fabiano Papa initiatum fuiſſe Philippum, ſed occultè*. Rationes ibi reddit, quas brevitatis cauſsâ omitto, cùm apud ipſum videri poſſint, & ego hìc nolo longam texere diſſertationem, cùm mihi ſufficiat indicâſſe Auctores, illorumque opiniones.

Jamque ſatìs ſuperque probatum arbitror, tum Chriſtianorum, tum Ethnicorum ſcribentium teſtimoniis, Euangelicæ veritatis alumnos, prioribus tribus ſæculis Eccleſias habuiſſe, & quidem publicas: nec illarum nomine ſolam ipſorum Congregationem venire, ſed etiam Ædificia Divinis devota. Unde aliò ſtylum vertere ſatiùs ducimus, præpoſteramque opinionem eorum refellere, qui Eccleſias eâ tempeſtate extitiſſe quidem fatentur, ſed à Cœmeteriis minimè diſtinctas, imò Cryptas & Eccleſias ſynonyma prorſus fuiſſe propugnant. Quibus, ut eâ, quâ decet, methodo occurram, in primis ultrò & libentiſſimè dandum eſt, Chriſti Fideles primævos Cryptas & Cœmeteria, ubi Martyrum ſacra pignora ſervabantur, frequentiſſimè adiiſſe, eademque ſummâ ſemper veneratione coluiſſe: huic rei utiq; nemo noſtratum inficias ibit, nobiſque cum alienatis fratribus ſumma concordia eſt. Velim igitur, illos feriâ, ſyncerâ, & quibuſvis affectibus liberâ meditatione, ea perpendere, quæ oculis animiſque amicè ſubjicimus.

En igitur primâ fronte Gallieni Imperatoris edictum, quo Chriſtianis facultas data fuit loca religioſa recuperandi, in quibus injuncta ſacris ordinibus munia per Clericos, per Epiſcopos implerentur. Fregerat ſcilicet mentem Imperatoris, Valeriani patris interitus; didiceratque paternâ clade iniquam Cæſarum rabiem in pios Chriſti Fideles haud impunè graſſari. Hinc metu potiùs ultoris Dei, quàm in noſtros propenſione, perſecutionis procellas fluctuſque compoſuit, & ea omnia tam privata, quàm publica, quæ ipſis per vim ab Ethnicis erepta fuerant, uſuque, & habitatione violata, reſtitui præcepit. Libet Imperatorii reſcripti verba reponere, quæ in 7. Hiſt. lib. cap. 13. Euſebius refert, *Imperator* (inquit) *Cæſar P. Licinus Gallienus, Pius, Felix, Auguſtus, Dionyſio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Epiſcopis. Indulgentiam beneficii noſtri per univerſum orbem diffundi præcepimus; ut cuncti à religioſis locis abſcedant. Quocirca & vos reſcripti noſtri formâ uti poteſtis, & nullus vobis deinceps moleſtiam faceſſet. Atque id quod vobis exſe-*

*exſequi licet, jamdudum à me conceſſum eſt.* Unde ergo Ethnici abſcederent? Quæ loca Chriſtianis redderent? Ea profectò, quæ ab eis rapuerant, quæ habitatione occupaverant. Num autem Cœmeteria, Cryptaſque occupâſſe, eademque in domicilia ſibi elegiſſe credendum eſt; Imò verò cùm Cœmeteriorum acceſſum, atque frequentiam ab aliis prohibitam, ultimiſque ſuppliciis coërcitam, noſtris Gallienus indulſerit. Alia decreta præter allatum edidit; ut Euſebius enarrat eodem cap. in fine: *Eſt* (inquit) *& alia ejuſdem Imperatoris conſtitutio, quâ Epiſcopis permittit Cœmeteriorum ſuorum loca recuperare.* adire ſcilicet, & frequentare, quod ſub aliorum Imperio omnino vetitum eis fuerat.

Adde, quòd impoſſibile exiſtimandum eſt, in his latebris, Cœmeteriiſque Ethnicos habitâſſe, cùm inibi moram vel brevem trahere haud liceat, diebus præcipuè fervidioribus, quales longior in Urbe æſtas habet. Experimento probatum eſt, rubuſtioris etiam naturæ homines, horæ unius moram continuam in Cœmeteriis, quæ etiam hodie adeuntur, explere abſque ullo morborum, & ſæpiùs lethalium periculo, ſub æſtatem non poſſe. Nec mirum inde, ſi & ego ipſe quodam æſtivo tempore ingreſſus, tam repentino, intimoque frigore obrigui, ut cedere ſtatim coactus ſim. Accidit enim ut plurimùm ingredientibus Cœmeteria, ut gradu facto ab aëre liberiori calidoq; in frigeſcentem iis latibulis clauſum, hiantes è conſueto calore pori, frigore tam intempeſtivo, ita obſtipentur, ut inde raucedines, pleuritides, aliaque morborum genera contrahantur. Præterea quid in ſubterraneis hiſce cuniculis de reſpirandi difficultate putandum, ob aërem interceptum? Certam ſcilicet diuturnâ experientiâ factum eſt, quòd ſi aliqui catervatim ſubeant Cœmeteria, quorum ſinguli, vel plerique faculam præferant, aër ita levigatur, tenuaturque, ut concinnâ reſpiratio non ſequatur, & creſcente tam luminum, quàm ingredientium hominum copiâ, duriori anhelitu, ſuſpirioque, quod *Aſthma* vocant, pectora concutiantur. Quapropter in Cœmeteriis perluſtrandis à plurium facularum uſu curioſi abſtinent. Mentem ſubit hîc peropportuna eorundem locorum deſcriptio S. Hieronymi in Ezechiel 40. quæ ſic: *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur*: deſcendunt in infernum viventes; *& rarò deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum*: *ut non tam feneſtram, quàm foramen dimiſſi luminis putes*: *rurſumque pedetentim acceditur, & cæcâ nocte circundatis, illud Virgilianum proponitur*:

*Horror ubique animos, ſimul*
*ipſa ſilentia terrent.*

Quamobrem quis in iſtiuſmodi mortis (ut ita dicam) penetralibus degiſſe crediderit hominum genus, ut Ethnici fuêre, dives, deliciiſque, ac luxui apprimè deditum? Imò nec ipſi

Christi Fideles, licèt neglectam, atque oculis impiorum exosam vitam traducerent, & per summam injuriam lare, tectis, & Urbe ejicerentur, diutinâ habitatione ea loca tenuisse; verùm nec ea solummodo diutiùs non incoluisse, sed neque in iis sacra munia perpetuò exercuisse, neque illuc ad orandum, psallendum, & in divinis communicandum semper convenisse, reor non temerè; mirorque magìs hoc aliquos tradere, & pro viribus impugnare. Ego certè ut eorum sententiæ adhæream, nullâ re, nullâ ratione adducar. Scio quidem, Scriptores, quibus maximè fidimus, tradere, aliquando in Cryptis, & Cœmeteriis Fideles Christi se collegisse, ut operam Sacris navarent; & quod durius fortè, Maximorum Pontificum nonnullos: ut furiales persequentium iras effugerent, diù ibi delituisse. Scio (inquam) nec impugnare ullatenus ausim, sed explicare, explicatosque conciliare.

Ut ergo maximè probabilia, & verisimiliora rimemur, ac teneamus; credendum arbitror, super eisdem Cœmeteriis, vel propè eorum ambitum, parva ædificia fuisse constructa, quæ Altaria, Confessiones, Memoriæ, & Martyria nuncupata fuerunt: deinde verò temporum lapsu ad Ecclesiarum amplitudinem pervenerunt. Mirificè totum id eluescit ex Actis SS. Chrysanthi & Dariæ, quæ refert Aringh. in sua *Roma Subterranea* to. 2. lib. 4. cap. 32 num. 1. ubi de B. Hilaria Matre dictorum Sanctorum Martyrum hæc leguntur: *Corpora autem filiorum collegit Hilaria relicta Martyris Claudii, & singillatim condiens, Mauri, & Jasonis in Sarcophagis singulis collocavit, quæ dum assiduis obsequiis circa sanctissimam Confessionem oraret Deum, tenta est: quæ dum traheretur, rogabat eos, qui se trahebant, dicens: obsecro vos, permittite me prius orationem meam complere, & veniam quocunque volueritis. Igitur dum fixisset gradum, accepit Sacramentum Domini, & expandens manus suas dixit: Domine Jesu Christe, quem toto corde confiteor, modò me associa filiis meis, quos ex utero meo ad Martyrium convocâsti, & hæc dicens projecit se in oratione, & dum oraret, projecit spiritum. Tunc illi, qui eam tenuerant, dolentes super repentinum obitum ejus, reliquerunt duas ancillas ejus, quæ cum ea erant: illæ autem sepelierunt eam diligentissimè sepulturæ, & super eam brevissimam Ecclesiam fabricaverunt, quia locus, in quo defuncta erat, ejusdem erat hortus Hilariæ, & ex quo Sancti passi fuerant, ibidem sibi mansionem collocârat.*

Aliud item huic simile testimonium ex eodem Aringhio hauritur, tom. 2. lib. 4. cap. 23. de Cœmeterio Primi & Feliciani, ubi sic: *Nocte verò à Christianis rapta sunt corpora eorum* (ideſt Primi & Feliciani) *& portaverunt ea ad Arcus Numentanos, intra Arenarium, & ibi fecerunt planctum magnum: & involventes eos in syndones novas cum aromatibus, juxta Arenarium posuerunt eos, & in hymnis ac psalmis, per triginta dies ac noctes in Dei nomine perdurabant. Ubi multa beneficia exuberant usque in præsentem diem, & si quis ægrotorum ibidem perductus fuisset, salvabatur à quacunque esset infirmitate detentus.* Et inferiùs: *Et dum post aliquantos annos cessaret persecutio Paganorum,*

*mul-*

*multi Christiani in honorem Beatorum Martyrum Primi & Feliciani, Basilicam construxerunt; sperantes se misericordiam consequi per eos, in nomine Domini nostri Jesu Christi: est autem Basilica eorum ab Urbe Roma milliario quartodecimo; quorum Natalis est quinto Idus Junias.*

Quæ omnia nobis confirmat Lucas Holstenius, olim Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, & Basilicæ Canonicus, in Actis Passionis S. Bonifacii pag. 23. ibi: *Et consurgens Aglaës confestim accepit secum Clericos & Viros religiosos: & sic cum hymnis & canticis spiritualibus, & omni veneratione obviavit S. corpori, & reposuit illud stadiis ab urbe Roma quinque, donec ædificaret ei domum dignam passione ejus.* Unde evidenter colligitur, etiam temporibus Diocletiani, qui Bonifacium absumpsit, morem ædificandi Ecclesias propè sepulchra, & Cœmeteria Martyrum viguisse; licèt edictis Cæsareis interpellantibus, ad tempus cessaverit: quem equidem piissimum morem, non Aglaës ævo inœpisse, sed multò ante, quis dubitet? Anonymus in Pontificali libro, in vita Fabiani, ibi: *Hic multas fabricas per Cœmeteria fieri præcepit.* Videlicet supra Cœmeteria, vel propè, ut ea Christiani commodiùs & frequentiùs adirent. Cùm autem Fabianus sub Decio passus fuerit, id est, anno à Christo nato 253. nullam omnino negandi ansam video, eum in Ecclesiæ primordiis morem fuisse, ædificia, vel ædiculas in Cœmeteriis extruendi, vel ad orandum, & sacra habenda, vel etiam ad habitandum, ut sinè viæ longioris incommodo, vel absque tam gravi periculo, maximæ venerationis loca, pietas Christiana eo tempore ferventissima inviseret: quæ postea religiosæ domus, & ædes, ingruentibus persecutionum turbinibus, vel per vim à Paganis occupabantur, vel, quia ut plurimùm Fisco cedebant, ob Christianorum proscriptiones aut cladem, coëmebantur; licèt postmodum Ecclesiæ pace datâ, Ethnici possessores recedere, & legitimis Dominis Christi Fidelibus restituere ab Imperatoribus jubebantur. Ita enim intelligi debent decreta Cæsarum, quibus loca Cœmeteriorum recuperare Christianis permissum erat; non modò scilicet Cœmeteria, ut antea, adire, sed ab ædium circumjacentium iniquissima possessione Paganos repellere, & deturbare.

Quamobrem ubi in Scriptoribus Ecclesiasticis occurrit, habitâsse Romanos Pontifices in Cœmeteriis, certum ratumque habendum est, intelligendum esse de illorum incolatu, & habitatione in iis ædiculis, casisque circumextructis, non verò in subterraneis specubus, latebrisque. Sic Liberius, ut in libro Pontificali, in ejus vita describitur, ab exilio regressus, in Cœmeterio S. Agnetis apud Germanam Constantii habitavit. Sic Bonifacius, teste Bibliothecario, in Cœmeterio S. Felicitatis Martyris Viâ Salaria. Sic (ut alios prætream) Joannes III. in eodem Pontificali libro, loca Cœmeteriorum non impensè solummodo adamavit, restituitque, verùm per haud exiguum temporis, licèt Ecclesia constanti pace, atque otio frueretur, Cœmeterium Sanctorum Tiburtii & Valeriani incoluit, ibidemque Episcopos ordinavit.

Ex his autem, quæ superiùs retulimus

mus ex Aringh. tom. 2. lib. 4. cap. 23. *de SS. Primo & Feliciano Martyribus*, & ex Luca Holstenio *in actis Passionis S. Bonifacii*, non statim ac sacra eorum corpora humata fuerant, sed post annorum, atque persecutionum decursum, Ecclesias, sive memorias constructas fuisse cognoscimus.

Hinc advertendum, non semper eodem æstu in Christianos efferbuisse improborum Cæsarum iram, sed postea impetus, primò quidē violentissimos, pedetentim elanguïsse, donec penitùs evanescerent. Ideoque quò furor persecutorum remissior erat, eò servidior apud nostros consuetudo vigebat sacratas ædes adeundi, & eas fabricandi: cùm tota illorum libertas è Principum genio penderet. Hæc autem ab una persecutione ad alteram temporis intervalla, admonet me, suadentque, haud inutile ipsarum Chronicon hìc adtexere.

Prima igitur, quæ in Christianos persecutio sæviit, sub Nerone excita fuit Anno reparatæ salutis 68. vel, ut placet Baronio, 66.

2. Sub Domitiano. Ann. 97. seu 92. ex Baron.

3. Sub Trajano. An. 108. sive 100. ut Baron.

4. Sub Marco Antonino & L. Aurelio Commodo. An. 168. In Asia verò, & in Gallia 164.

5. Sub Severo. An. 230. vel 202.

6. Sub Maximino. An. 238. aut 237.

7. Sub Decio. An. 252. seu 257.

8. Sub Valeriano & Gallieno. An. 257.

9. Sub Aureliano. An. 275. & ex Baron. 273.

10. Sub Diocletiano. Ann. 304. vel 301. ut Baronio visum est.

Disseruimus hactenus de Ecclesiis, & habitationibus apud Cœmeteria; deque Cœmeteriorum ipsorum asperitate, & horrore; superest modò, ut aliqua de accessu Fidelium ad intima illorum penetralia, verba faciamus.

Fatemur utique, natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, Christi Fideles gregatim sepulchra, & Cœmeteria subire consuevisse, ut eorundem Sanctorum Martyrum exuvias venerarentur, ibique orationi vacarent. Confirmat hoc nobis immane Numeriani Cæsaris facinus sub. Ann. 284. cui cùm ab explorantibus renunciatum esset, innumeros penè Christianos in quasdam specus, ac Cryptas promiscuè convenisse, aditum illicò occludi, & objice multo muniri, ne aliqua ex parte effugium pateret; desuper verò disjectis, ac demolitis rupibus, quæ specubus prominebant, obrui terrâ, lapidibusque imperavit. Constat hoc ex Actis Sanctorum Chrysanthi, & Dariæ, & S. Diodori, relatis ab Aringh. in sua *Roma Subterranea* tom. 1. lib. 1. cap. 31. pag. 177. ubi hæc: *Igitur cùm multa beneficia Deus venientibus ad eorum sepulchra præstaret, evenit, ut die natalis eorum, infinita populi multitudo conveniret, viri simul, & mulieres pariter, & infantes, & innuptæ puellæ, & juvenes. Hoc cùm fuisset Numeriani auribus intimatum, jussit, ut in introïtu, quo introïerant in Cryptam, paries levaretur, quòd cùm fuisset impletum, desuper à fabulone super eos montem dejecit. Omnes ergo pariter, dum communiter Sacramenta participarent, & Martyrum gloriam celebrarent, ipsi quoque ad Martyrii coronam pertigerunt, inter quos erant Diodorus Presbyter, &*

Ma-

*Marianus Diaconus, & plurimi Clericorum; populi autem multitudo, nec numerus, nec nomina collecta sunt.*

Fatemur (inquam) in hæc loca Fideles convenisse, adjicimusque ex relatis proximè Actis SS. Chrysanthi & Dariæ, non illùc solummodo ventitâsse, quando tranquillæ & pacatæ Ecclesiæ Dei erant, sed adhuc grassante Tyrannorum nequitiâ, licèt eis vetitum foret, crimenque luendum capite putaretur. Multi quidem Martyrio inhiantes, illuc se conferebant, Sanctos Martyres obsecraturi, ut sibi in suppliciis constantiam, atque victoriam à Deo impetrarent. Legimus hoc in Actis Stephani Papæ, qui in Cœmeterio Lucinæ decollatus interiit: *Nam* (sic Acta) *ingravescente Imperatorum Valeriani & Gallieni persecutione, Stephanus convocato Clero, ad Martyrium suos hortabatur, in Cryptisque Martyrum assiduè Missas & Concilia celebrabat: & cùm ad Martis templum, ut sacrificaret, adductus fuisset, terræ motu oborto, omnibus ausugientibus qui Stephanum tenebant, Pontifex ad suos revertitur in Cœmeterium Lucinæ: quos divinis præceptis instruens, Sacramento corporis Christi communicavit; ibique dum Missarum solennia perficit, advenientibus iterum Imperatorum satellitibus, ei in sua sede caput abscinditur.*

Aliud, & haud absimile suggerit nobis Cyprianus in Epistola 82. ad Successum: *Ubi Xystum* (inquit) *in Cœmeterio animadversum sciatis, octavo Iduum Augustarum die, & cum eodem Quartum. Sed & huic persecutioni quotidie insistunt Præfecti Urbis.*

Plerique verò Fideles, Fideliumque Rectores, consilii Dominici non immemores Matth. cap. 10. 23. *Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, huc illuc excurrebant, ut impias manus evaderent, seque in latebris, & Cœmeteriis minus notis abdebant, à notioribus declinantes, ad quæ sinè certo capitis discrimine accessus non habebatur; cùm hæc præcipuè ab Imperatoribus prohiberentur, ut innuit Cornelius Papa in Epistola quadam *ad Lupicinum Viennen.* de persecutione Valeriani (si tamen Blondelli crisis Epistolæ huic fidem non abrogavit) ubi hæc: *Publicè, neque in Cryptis notioribus, Missas agere Christianis licuisse.*

Neque irritum aliquando in hæc loca confugium erat; nam per inextricabiles Cœmeteriorum ambages errabundi Christi Fideles instantia fata eludebant, vel aliquandiu differebant. Quis enim eos insequeretur per cuniculos tam intricatos, ut labyrinthum æmularentur; tam vastos, ut ab Urbe ad mare usque protendi existimarentur? Quæ quidem metuentium Christianorum latibula Dionis Historiam in mentem revocant, qui Hierosolymæ vastationem sub Hadriano Cæsare referens, hæc de Judæis, victorum iras & arma effugere conantibus, addit: *Arma, & cædes Hadriano Imperatoris metuentes, auxilia sumebant in cavernis subterraneis, specus fodientes, atque cuniculis omnia munientes; ut quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus: invicem quoque sub terram clanculùm commeare, specus & subterraneas vias supernè quibusdam locis inhiantes, ad ventos & lucem excipiendam perforantes.*

Verùm licèt his latebris aliquandiu Chri-

Christiani mortem different, ut plurimùm tamen non evitabant, nam vel inclementiâ & asperitate locorum, vel diuturni erroris lassitate, fame, pædore, & malis omnibus, ærumnisque confecti, è tenebris & umbra mortis, in æternæ, beatæque lucis regiones evolabant.

Hæc igitur, quæ de Cœmeteriis delibavimus, ideò à nobis congesta sunt, ut appareat, neutiquam nos ad illa in prioribus tribus Ecclesiæ sæculis, Christianorum accessum, & moram negare: sed asserere præter hæc, alia ipsis ædificia, & loca religiosa fuisse, quæ vel Ecclesiæ, vel Oratoria, vel Dominica, vel Tituli, vel Martyria, vel aliis id genus nominibus à Scriptoribus Ecclesiasticis appellantur.

Cæterùm in nostræ hujus Dissertationis calce apponere distuli maximi, ut Hospiniano; minimi verò, ut mihi videtur, ponderis & evidentiæ argumentum, quo suam illi sententiam stabilire nituntur. Hospinianus igitur in suo Tractatu *De origine Templorum* lib. 1. cap. 6. hæc ex Arnobio refert lib. 4. *contra Gentes*. *Accusatis* (inquit Arnobius) *quòd nec templa habeamus, nec imagines, nec aras*. Item ex Origene lib. 8. *contra Celsum*: *Objicit* (Origenis verba sunt) *nobis Celsus, quòd non habeamus imagines, aut aras, aut templa*. Demum ex Minutio Felice, qui claruit circa an. Christi 211. in Dialogo Octavii Christiani cum Cæcilio Ethnico: *Cur nullas aras habent*, (inquit Cæcilius) *templa nulla, nulla nota simulacra?*

Quibus interrogationibus, seu potius exprobationibus, cùm supradictos Ecclesiæ Doctores, eâ tempestate præcipuos, nihil respondisse constet, colligit exinde Hospinianus, eos silentio suo fassos fuisse, quæ ab Ethnicis ingerebantur: Nam si vera forent, quæ nos dicimus, inopportuna, & culpabilis illorum taciturnitas videretur, præcipuè cùm ad manus (ut dicitur) & in promptu responsio esset; respondere enim poterant: licèt apud nos nulla sint templa sumptuosiora, qualia apud vos, sacras tamen ædes habemus; in iis verò, & aras, & imagines. At cùm illi tacentes, objecta nullo pacto diluerint, quis ambigat eo tempore nullas re verâ fuisse Ecclesias, oratoria, & reliqua hujusmodi.

Attamen, poterant quidem hæc & similia respondere, si respondendi necessitas incubuisset. Verùm, cùm inutilem, atque superfluam iis diebus controversiam illam existimarent, ac satiùs ducerent veri Dei cultum insinuare, tenebrasque cæcarum mentium Euangelicâ luce discutere, ab inani disputatione consultò abstinuerunt: Apostolo obtemperantes, qui in Epistola ad Titum cap. 3. vers. 9. *Stultas* (ait) *questiones & genealogias, & contentiones & pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ*.

Quòd autem Octavius, & Origenes, ea quæ ipsis objicebantur silentio suo fassi non fuerint, sed dissimulaverint, & respondere supervacaneum existimârint, colligi ex eo potest, quòd cùm de aris, & imaginibus, non minus quàm de templis interrogarentur, & apud eos non esse objicerentur, pari circa hæc, ac circa templa, silentio usi sunt, neque exprobantium falsissimam opinionem refellere curæ fuit: Cùm tamen & altaria, & imagines

tunc

tunc haberent, quod omnibus etiam alienatis fratribus noſtris in confeſſo eſt; probatque Tertullianus in Tract. *De Oratione* cap. 14. his verbis: *Similiter & ſtationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? an magìs Deo obligat? nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? accepto corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Item ibidem cap. 10. *Nec prius aſcendimus ad Dei altare, quàm ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus.*

Sed quid aliorum teſtimonia proferre laborem, ſi & ipſe Origenes tunc interrogantibus tacitus, Homil. 11. facundè & liquidò hoc aſſerit? refert ejus verba Hoſpinianus, probatque quoad primitias clero ſolvendas lib. 5. cap. 1. §. *Ex hiſce porrò*: *Sicut hoc* (ait Origenes) *dignum & decens eſt, ſic è contrario, indicens & indignum exiſtimo, & impium, ut is, qui Deum colit, & ingreditur Eccleſiam Dei, qui ſcit Sacerdotes & Miniſtros aſſiſtere altari, aut verbo Dei, aut miniſterio Eccleſiæ deſervire, ut de fructibus terræ, quos Deus dat, ſolem ſuum producendo, & pluvias ſuas miniſtrando, non offerat primitias Sacerdotibus.*

Itaque cum inferri neutiquam poſſit, re ipſâ apud nos altaria non fuiſſe, ex eo quòd Ethnicis ea negantibus prædicti Patres nîl reſponderunt, ita pari rationis ductu templa, & ædes ſacras Chriſtianos iis ſæculis non habuiſſe, ex eorumdem Patrum ſilentio deducere & contendere, iniquum & temerarium eſt; cùm non magìs de templis, quàm de aris, & imaginibus urgerentur.

Quapropter quàm maximè miror Hoſpinianum, virum cæteroqui eruditum, hæc ex Octavii & aliorum taciturnitate intuliſſe. Verum ad hoc afferendum adductum fuiſſe arbitror impetu quodam mentis, & nimio ardore docendi, ſive infectandi, quo etiam lib. 1. *De origine Templorum*, cap. 6. §. *Diſſimulare*, chronologica à via declinavit. Ibi enim libenter faſſus eſt, ſub Alexandro Severo, Gordiano, Philippis, præſertim Gallieno Imperatoribus, tertio videlicet ſæculo ſedatis compoſitiſque perſecutionibus, templa & ædificia, ampla quidem atque magnifica à Chriſtianis extructa fuiſſe; teſtante id Euſebio lib. 8. cap. 1. *Hiſtor Eccl.* ut nos ſupra retulimus. Deinde verò Diocletianum Eccleſias omnes atque ædes ſacras Chriſti Fidelium, quos violentiſſimè perſequebatur, everti, & ſolo æquari juſſiſſe: idque tanto militum ac ſatellitum ardore effectum, ut uno eodemque Paſchatis die, omnia ſimul ubique ſacra Chriſtianorum ædificia proſtrata & demolita jacuerint. Quibus enarratis hæc ſtatim adjicit in §. *Diocletiano*: *Eoque tempore exprobrârunt Chriſtianis Gentiles, quòd templa non haberent, ut ex Origine conſtant contra Celſum lib.* 4.

In quo ſanè parum cautè labitur, non advertens Origenem multò ante Diocletiani perſecutionem interiiſſe; obiit enim an. 254. Gallo & Voluſiano imperantibus: & poſt ejus exceſſum an. 30. Diocletianus in Cæſarem lectus eſt, acclamatus nempe fuit, an. ſalutis 284. unde erroneus hujuſce

Scriptoris lapſus, & nimiùm præceps ſcribendi cupido ſatìs elicitur.

Cauſſam,autem,cur Ethnicis objurgantibus, & de ſuperſtitione atque impietate arguentibus (cùm ipſi prima præcipuaque Religionis fundamenta templa eſſe ducerent) noſtri nihil reſponderint, præter quæ diximus, eam fuiſſe arbitror; nempe, ut graviores ſubinde diſputationes vitarent: etenim ſi Eccleſias habere dixiſſent, de aris illicò, quæ in eis eſſent, diſſerere coacti fuiſſent:ſi verò & de altaribus annuiſſent, pari curioſitate de Hoſtia, quæ ſuper iiſdem immolarètur, quæſtio inſurrexiſſet; cui ut ſatisfieret, de ineffabili Euchariſtiæ Sacramento docendi & altercandi neceſſitas patribus incubuiſſet: & ita arcana hæc, ſacratiſſimaque fidei noſtræ myſteria in vulgus effuſa forent; quod unicè SS. Patres, & peculiariter primitivi verebantur; ne videlicet incapacibus, & Ethnicâ ſuperſtitione obtuſis mentibus hæc ingerendo, deſpicatui fides Chriſti haberetur, rerumque tam grandium doctrina, reſque ipſæ, cachinnis & jocis exponerentur, ſummumque fortaſſe vitæ diſcrimen innocui doctores adirent: præſertim cùm id maximè Chriſtus ipſe cavendum eſſe docuerit Matth. cap. 7. nu. 6. ubi dilectiſſimæ Eccleſiæ ſuæ cuſtodes, atque paſtores erudiens, *Nolite* (inquit) *dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos*. Liquet igitur ex his omnibus, quàm fallacibus futilibuſque argumentis nitantur, qui in prioribus tribus Eccleſiæ ſæculis ſacra ædificia, quæ à Cœmeteriis Cryptiſque diſtincta publicè à Fidelibus adirentur, & ſæpè numero Eccleſiæ vocitarentur, Chriſtianis fuiſſe negent. Quæ omnia cùm propugnare, & aſſerere mihi fuerit ab initio diſſertationis propoſitum, id aſſecutus jam tandem videor, tot Patrum ſanctiſſimorum ſuffragiis, tot probatiſſimorum Scriptorum teſtimoniis, ipſâ denique veritate, quâ nihil firmius, nihil protentius. Quamobrem uti diutius in his immorari ſupervacaneum, ſic ad alia ſtylum acuere, & admovere peropportunum, ac plurima meditanti intendentique maximè neceſſarium exiſtimo.

## CAPUT XVIII.

*Eccleſiarum elenchus in tribus primis Eccleſiæ ſæculis per univerſum Orbem à Fidelibus extructarum.*

AD meę proximè pręcedentis diſſertationis fidem firmitatemque, quàm plurimum conducebat, ſi è gravibus, variiſque Scriptorum monimentis excerptam ſeriem appoſuiſſem Eccleſiarum, quæ in prioribus tribus à Chriſto nato ſæculis, in præcipuis Orbis terræ regionibus: vel excitatæ à fundamentis fuêre, vel in ſacras, ex ædibus uſu & habitatione profanis, converſæ. Verùm cum ea ſit Scepticorum, quorum hoc ſæculo maxima copia eſt, mens & ingenium, ut omnia vel audacter negent, vel, ſi mitiſſimè agunt, dubiâ lance ſuſpendunt; diù multumque hæſitavi, an & pabulum pertinaci impudentiæ proponerem, & altercandi cum ipſis onus ſubirem; quorum utrumque devitaturus, omittere hanc narrationem con-

consultissimum esse ducebam. Attamen ne piè credentibus, fraudem & præjudicium afferrem, quaquà eis fides habenda sit, minimè solicitus, templa illa servatâ chronologia, describam. Multa mihi Ughellius in sua *Italia sacra*; Fratresque Sammarthani in *Gallia Christiana*; multa item Rocchus Pyrrhus in *Sicilia sacra*, aliique Scriptores; plurima denique suffecit Eysengreineus, qui luculentum tractatum edidit in centenariis, *De persecutionibus & exaltationibus Ecclesiarum Christiani Orbis*: ipse tamen non pauca desumpsit ex Petro de Natali, quem uti simplicem, credulumque, non desunt qui rideant. Illos igitur oculi severiores, dubiæque mentes adeant; cùm illis tota lis, totumque negotium sit; in eisdem scrutandis, librandisque: tempus ii terant, quibus Deus hęc otia fecit. Cùm mihi moles negotiorum, quâ premor, vix carpere, quæ subjiciuntur, nedum critico examine expendere, atque rimari, permittat.

Anno igitur Christi 33. Hierosolymis ad montem Sion in domo S. Joannis Euangelistæ prima Christi Fidelium Ecclesia fundata est, ubi & Princeps Apostolorum B. Petrus incruentum Missæ sacrificium celebravit. Ex Hesychio Presb. Hierosolym. Actor. cap. 2. & 23. Bedâ ibidem, & Joanne Cassiano eodem anno.

Anno 34.

Domus item B. Mariæ Magdalenæ in templum versa est, ut Bergomensis *De claris Mulier.* cap. 17. Egesippus, quem citat ipse Bergomonsis in *Chron.* lib. 8.

Anno 36. sub Tiberio.

In Asia B. Philippus Apostolus multas erexit Basilicas, tum sacerdotes ad divina munia obeunda constituit. Metaphrastes in *Vita Philippi* sub die 14. Novembris. Nicephorus lib. 3. cap. 39.

Antiochiæ Anno 37.

Theophilus civis Antiochenus magni nominis, domum suam, ut eam in Ecclesiam consecraret, Apostolorum Principi tradidit. Ex Clemente *Recogn.* lib. 10. Petro de Natali lib. 3. cap. 140.

Anno 37.

Apud Scythas S. Philippus Apostolus plura templa construxit, multosque Episcopos, Presbyteros, atque alios Cleri ordines instituit. Metaphrastes in ejusdem vita.

Anno 37.

Compostellæ, Lupa Hispaniæ Regina, ex palatio quod inhabitârat, templum miro opere fabrefactum composuit, quod S. Jacobo Zebedæo Apostolo sacravit. Antonin. par. 1. tit. 6. cap. 7. Petrus de Natali lib. 6. cap. 133. Mantuanus *in Fastis* lib. 7.

Eodem Anno 37.

Erecta fuit Cæsaraugustana Basilica, & in honorem Deiparæ consecrata. Jo. Bap. de Lezana in sua *Turri Davidica* cap. 5. n. 346. Incoff. in Epist. B. Mariæ Virg. *ad Messanenses* notit. 7. Joannes Baptista de Gross. in *Catania Sacra* chord. 2. modulam. 1. pag. 18.

Anno 44.

Matrona quædam Christiana Gallicana apud Vasatensem urbem memoriæ S. Joannis Baptistæ Ecclesiam dicavit. Gregorius Turonensis in lib. *Flor. plur. Martyr.* edito sub Vita Joannis Baptistæ.

Temporibus D. Petri.

Cataniæ apud Æthnam, Pan-

theon quod ibi ędificârat populi idololatria, in ſacrum templum converſum fuit ab ipſo Apoſtolorum Principe, Deiparæq; venerationi dicatum, ut ex antiquiſſima traditione fuſè probat Joannes Baptiſta de Groſs. in ſua *Catania ſacra*. Chord. 2. modulam 1. in verb. *Pantheon*, pag. 13. *De Catanenſi decachorda*. Qui pag. 18. fretus auctoritate Hieronymi Oſorii Algabricen. Epiſcopi lib. 1. *De Rebus Emmanuëlis Regis Luſitaniæ*, aſſerit, Cangranorenſem, unum ex Regibus, qui Chriſtum Dei filium in præſepio adorârunt, reverſum in regionem ſuam, templum, anno circiter tertio B. Virgini Mariæ excitâſſe, ac in Æthiopia anno 4. Reginam Candacem viventi adhuc Virgini templum erexiſſe.

Anno 45.

Romæ B. Petrus primam Eccleſiam condidit, quam ſub Kal. Auguſt. conſecravit, ubi ſacra ſolennia, ſynaxeſque celebravit. Beda ſub Kal. Auguſti. Mataphr. *in Petro*, ac longam de prima Romæ à D. Petro dedicata Eccleſia texuit diſſertationem Franciſcus Maria Florentinus in ſuo *Martyrologio* ad diem primam Auguſti.

Anno 46.

Lucæ, Paulinus Antiochenus B. Petri alumnus templum Sanctiſſimæ Triadi dedicavit. Ughellius tom. 1. pag. 840. Item alia ſex templa extruxit, quorum Ughellius non meminit, ſed videndus Cæſ. Franciottus *in Catalogo de Eccleſiis Lucenſibus*.

Anno 46.

S. Martialis Lemovicenſem Eccleſiam ſub titulo Protomartyris Stephani erexit, & in ea ſedem Paſtoralem poſuit. Beda ſub pridie Kal. Julii. Petrus de Natali lib. 6. cap. 29. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2.

Anno eodem circiter.

Papiæ, Syrus Galilæus B. Petri diſcipulus, & ab eo in Epiſcopum Papienſem ordinatus, in honorem Deiparæ, ipſiuſque B. Petri, templum ſacravit, aliudque SS. Gervaſio & Prothaſio: ex Ughellio to. 1. poſt pag. 1129 pag. 3. num. 1.

Anno 47.

S. Martialis ex LXX. Domini diſcipulis, Eccleſiam Cathedralem Bituricenſem ſub nomine ac titulo B. Protomartyris Stephani erexit, & in ea Sedem Epiſcopalem locavit. Antonius Monchiac. Democh. lib. 2. *De Miſſa contra Calvinum* cap. 25.

Eodem Anno.

S. Martialis Eccleſiam Burdegalenſem in honorem S. Stephani & S. Andreæ Apoſtoli conſecravit, & Epiſcopalem Sedem in ea fixit. Antonius Monchiac. Democh. lib. 2. *De Miſſa contra Calvinum* cap. 25.

Eodem Anno.

Apud Burdegalenſes S. Martialis altare, ſeu oratorium Deiparæ Virgini dicatum erexit Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2.

Eodem Anno.

Defenſor Cenomanicæ urbis Princeps, ex domo ſua privata templum opere inclytum exantlavit. Antonin. par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 4. Petrus de Natali lib. 3. cap. 35.

Eodem Anno.

Apud Urbem Aquenſem multæ Eccleſiæ fundatæ fuêre. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 19. Petrus de Natali lib. 6. cap. 124.

Eodem Anno.

Maſſiliæ Principem quàm plurimas

mas in ſua provincia Eccleſias excitâſſe, refert Antonin. par. 1. tit. 6. c. 19. §. 1.

Eodem Anno.

S. Martialis templum Cathedrale Angenenſe ſub nomine B. Stephani Protomartyris condidit. Demochar. lib. 2. cap. 25.

Eodem Anno.

Idem B. Martialis ut templum B. Petro dicatum emineret, operam impendit. Demochar. lib. 2. cap. 25.

Eodem Anno.

S. Martialis Eccleſiam Arvernam in honorem Dei, & Deiparæ Virginis extruxit. Demochar. lib. 2. ca. 25.

Eodem Anno.

Tholoſana Cathedralis ſub titulo Protomartyris enituit, quam Sanctus Martialis fundavit. Demochar. ubi ſupra.

Anno 48.

Mantuani ad fidem Chriſti confluentes, primum templum Deiparæ extra mœnia conſecrârunt: intraque ipſius urbis muros vigintiquatuor ſtatuendas Eccleſias in honorem ejuſdem curârunt. Ughellius tom. 1. pag. 926. *Italiæ Sacræ*.

Eodem Anno 48.

Paduæ Rex Vitalianus S. Sophiæ templum erexit, in quo Presbyteros, & Clerum; Proſdocimus verò Epiſcopus præfuit. Petrus de Natali lib. 10. cap. 33.

Eodem Anno 48.

Marci Euangeliſtæ Diſcipuli in iis locis, quæ Alexandriæ *Bubulci* nomen acceperunt, Eccleſiam ſibi ædificârunt vivente adhuc Magiſtro. Metaphr. in vita S. Marci Euangeliſtæ. Procopius Diaconus, & Chartophylax de Marco Euangeliſta, in Metaphr.

Eodem Anno

Leocadius Galliarum Senator de proſapia Vetii Epagati, domum ſuam fecit Eccleſiam, quæ poſtea Primas apud Bituriges nacta fuit, reliquiis Protomartyris Stephani illuſtrata. Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. 1.

Anno 51.

In civitate Altina S. Proſdocimi operâ conſtructæ fuerunt Eccleſiæ, Cleruſque compoſitus & ordinatus. Petrus de Natali lib. 10. cap. 33.

Eodem Anno.

S. Clemens Epiſcopus Metenſis plures in urbe ſua Baſilicas conſtituit, Clerumque diverſis gradibus inſignitum ordinavit. Antonin. p. 1. tit. 6. cap. 26. Petrus de Natali lib: 10. c. 13.

Anno 52.

In Aſylo Caſtro idem S. Proſdocimus templum Deiparæ dedicavit. Petrus de Natali eodem lib. 10. cap. 33.

Anno 54.

B. Eucherius ex domo Albanæ cujuſdam Senatricis, Treveri templum Joanni Euangeliſtæ ſacrum conſtruxit, *Annales Treverenſes*.

Eodem Anno 54.

S. Maternus Petri diſcipulus non procul à Moſſhaïm Templum fundavit, quod vulgari titulo *Dhompieter* nuncupari ſolet. *Annal. Argentoraten.* Wolfg. *De Vitis Præſul. Nemetorcen.* Michaël Buoching. *in Eccleſ. Hiſt.*

Anno 55.

Apud Colonienſes B. Materni ſtudio Apoſtolorum Principis diſcipuli, templum B. Petro addictum fuit extra urbis mœnia. *Annales Colonienſes*. Wolfgang. *de Vitis Præſul. Nemetorcen*.

Eodem Anno.

Idem S. Maternus aliud templum con-

condidit Deiparæ ſacrum, quod nunc Beatæ Cæciliæ nomen obtinet. Auctore qui ſupra.

Eodem Anno.

Apud Hieropolim Syriæ S. Matthæus Apoſtolus conſtruxit Eccleſiam Clerumque diſpoſuit. Metaphr. in *Vita B. Matth.* ſub 16. Novembris.

Anno 56.

S. Savinianus unus ex ſeptuaginta diſcipulis, ut in urbe Senonenſi tres conſtruerentur Eccleſiæ, populo perſuaſit; una ſcilicet B. Virgini, altera S. Joanni Baptiſtæ; & tertia B. Stephano Protomartyri.

Eodem Anno.

S. Xyſtus Principis Apoſtolorum diſcipulus in urbe Remenſi mirificum templum ædificavit, Demochar. lib. 2. cap. 14.

Anno 58.

S. Mennius B. Petri diſcipulus apud Diovantum ædem B. Stephano conſecravit. Joannes Placent. Trudonen. *in Epiſcopis Tungrenſibus* Democharis lib. 2. cap. 25.

Anno 60.

Apud Hunnos ad montis umbraculum, quem Moſa alluit, S. Maternus ædem Virgini ſacram ædificavit. Joannes Placent. Trudonen. in *Epiſcopis Leodienſibus*. Antonius Monchiac. Demochar. lib. 2. *contra Calvin.* c. 37.

Eodem Anno.

In urbe Carnotenſi SS. Savinianus, Potentianus, & Adventinus Eccleſiam in honorem Virginis Mariæ ędificârunt. Demochar. lib. 2. cap. 18.

Eodem Anno.

S. Martialis in Civitate Lemovicenſi Eccleſias in cultum Salvatoris; in honorem Virginis, nec non Petri & Andreæ Apoſtolorum, & in B. Stephani Protomartyris memoriam condidit. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2. Petrus de Natali lib. 6. cap. 29.

Ab Anno 60. vſque ad 80.

Puteolis Eccleſiam S. Celſus erexit, ubi ſacræ ejus exuviæ humatæ fuerunt: quæ Eccleſia hodie eſt Monialium Sancti Franciſci. Ughell. tom. 6. pag. 217. num. 2. vide Ferrar. *in Catalogo*; qui ait in Puteolano territorio adeſſe Eccleſiam, quæ S. Patielli nuncupatur, ubi S. Celſus à S. Petro conſecratus Epiſcopus fuit.

Anno 61.

Papiæ, Syrus Hermagoræ Aquilejenſis Antiſtitis diſcipulus templum excitavit, & ſedem ſortitus fuit Epiſcopalem. Beda pridie Idus Septembris. Petrus de Natali lib. 1. cap. 50. & lib. 8. cap. 68. Bergomenſis *Chronici* l. 8. Ughell. in Epiſc. Papienſ.

Anno 62.

Treveri B. Nazarii operâ magnificæ ſtructuræ templum excitatam fuit. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 2. Petrns de Natali lib. 6. cap. 147.

Anno 63.

S. Marcus Petri diſcipulus ejuſdem memoriæ templum dicavit, in quo & ipſe tumulatus fuit. Ughell. tom. 6. pag. 512. Poſt octavum Martyrii ſui annum uxor cujuſdam Palatiani ab eo converſa, templum, quod Jovis dicebatur, ejus honori addixit. Ughell. tom. 6. pag. 513. *Chron. Atinen.*

Anno 64.

Stephanus Dux Aquitaniæ in urbe Lemovicenſi templum S. Valeriæ ſacrum erexit. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2. Petrus de Natali lib. 6.

Anno 65.

In civitate Remenſi vir quidam, acceptis Reliquiis SS. Timothei, & Apol-

Apollinaris, in eorumdem Martyrum titulum Basilicam statuit. Gregorius Turonensis in lib. *Glor.plur. Mærtyr.* cap.62.

Eodem anno.

Syrus Episcopus Papiæ, acceptis SS. Geruasii & Protasii reliquiis à Liberio quodam Christiano, in memoriam eorumdem Martyrum extra urbis mœnia templum condidit opere magnificum, in quo sæpiùs incruentam Hostiam obtulit. Petrus de Natali lib. 1. cap.50.

Anno 66.

SS. Simeon & Judas Apostoli plures in Persida Ecclesias fabricaverunt, diversosque Cleri gradus instituêre. Abdias Babylon.*Certam. Apostol.*lib.4. Antoninus par. 1.tit. 6.cap.14. Petrus de Natali lib.9. cap.115.

Eodem Anno.

In Thebaïde Africæ multæ exædificatæ fuere Ecclesiæ à S. Luca Euangelista, tum Presbyteri, Diaconique consecrati. Metaphr. *in vita B.Lucæ.*

Anno 68.

In urbe Natoober S. Matthæus Apostolus & Euangelista ex auro, & argento à populo sibi oblato; Ecclesiam constituxit, & sub nomine Resurrectionis Christi dicavit; Presbyteros, Clerumque ordinando. Abdias Babylon. *Certam. Apost.* lib. 7. Antoninus pa. 1. tit. 6. cap. 13. Petrus de Natali lib.8. cap. 100.

Anno 69.

S. Dionysius Areopagita Sancti Pauli Apostoli discipulus multa per Gallias templa constituxit.

Eodem Anno

S. Hermagoras Episcopus, & totius Venetæ Reipublicæ Protopræsul, Marci Euangelistæ discipulus, sepultis in domo Valentiniani sub monimentis marmoreis SS.Euphemiâ, Dorothæâ, Theclâ, & Erasmâ Virginibus, ædes ipsas earumdem memoriæ consecravit; altareque sacrosancto mysterio celebrando constituxit, cui omnes suas facultates Valentinianus obtulit. Petrus de Natali lib.8. c.29.

Eodem Anno

In urbe Tarvisia S. Prosdocimus Paduę Præsul, Principis Apostolorum discipulus in honorem magistri Ecclesiam erexit. Petrus de Natali lib.10. cap.33.

Anno 70.

Parisiis idem S. Dionysius Ecclesias fabricavit, Clerumque instituit. Antoninus par. 1.tit.6. cap.28. Petrus de Natali lib.9.cap. 41.

Eodem Anno

Celerina Hispaniæ Regina ærarii sui sumptibus elegantissimum templum supra S. Torpetii corpus erexit. Ado Treveren. & Beda sub 16. Kal. Junii. Petrus de Natali lib.5.cap.8.

Anno 72.

S. Paulus Sergius gentium Doctoris discipulus, Episcopus Narbonensis, cum Rufo & Stephano Diaconis in memoriam Beati Petri Apostoli Ecclesiam exædificavit. Petrus de Natali lib.11.cap.60.

Eodem Anno.

S. Dionysius Areopagita inter alias Parisienses Ecclesias, tria à fundamentis excitavit oratoria, primum Triadi Sacrosanctæ addixit, eo loci,qui modò dicitur S. Benedicti; quemadmodum indicant fenestræ vitreæ hactenus perductę in Sacello S. Nicolai hujus templi, ubi hæc leguntur: *In hoc Sacello S. Dionysius cœpit invocare nomen sanctissimæ Trinitatis.*

Secun-

Secundum Deiparæ consecravit, contrito Mercurii simulacro, quod ibi gentes colebant.

Tertium in memoriam B. Stephani Protomartyris. Democh.lib.2.c.18.

Anno 77.

Primitivæ Ecclesiæ Protonotarii in vita B. Clementis Pontificis, septuaginta quinque Ecclesias ab ipso in Chersona excitatas tradunt. Petrus de Natali lib. 10. cap.98. Metaphrast. in *Vita Clementis*. Antoninus par.1. tit.7. cap.2. §.2.

Anno 80.

B. Ioanni Apostolo in viuis adhuc agenti, Ephesi sacratum fuisse templum memorat Abdias Babylonius *Certam. Apostol.* lib.5.

Anno 81.

Paduæ, Opilius Paduanæ urbis Patritius supra corpus S. Justinæ Virginis templum extruxit, quod simul cum oratorio Beatus Prosdocimus, ejusdem civitatis Pontifex consecravit. Petrus de Natali lib. 10. cap.33.

Anno 90.

Mediolani S. Crastitianus Oldanus post Domitiani Imperatoris ruinas, quas Christianis templis intulerat, eadem templa reædificavit, novaque iterum excitanda curavit. Ughell. tom.4. fol.56. num.4.

Anno 96.

S. Dionysius Areopagita Parisiensis Episcopus Ecclesiam in urbe Arelatensi erexit, quam Apostolis Petro & Paulo dicavit. Antoninus par. 1. tit.6. cap. 28. §. 2. Petrus de Natali lib. 4. cap.15.

Anno 97.

Apud Trajectum prædictus B. Maternus oratorium in via publica Christo Salvatori erexit. Joannes Placent. Trudonen. *in Episc. Leodien.* Antonius Monchiac. Democh. lib.2. *contra Calvinum* cap. 37.

Anno 98.

Apud Tungros B. Maternus Deiparæ Virgini Ecclesiam extruxit, Auctore qui supra.

Anno 100.

Ravennæ templum à Fidelibus S. Aderitii secundi Episcopi memoriæ erectum fuit. Ughell.tom. 2. pa. 327. num. 2.

Anno circitèr 103.

Mutinæ, Cletus primus Episcopus, expiato Jovis templo, illud Principi Apostolorum addixit, consecravitque. Ughellius tom. 2. pag.90.

Anno 120.

Crotonienses ædificârunt Sacellum, quod in honorem Dionysii Areopagitæ dicârunt; & in eo sacrum Virginis simulacrum posuerunt. Ughell. tom. 9.num. 1.

Anno 175.

Prope Perusiam templum adfuit à Christianis extructum, & Constantio Perusiæ Antistiti sacrum.

Anno 188.

Mediolani S. Monas urbem in Parochias secrevit; centum quindecim, pluresque Ecclesias construxit, inter quas Basilica B. Petri effulsit, cujus meminêre Galesinus, Galvan. Tristan. Calchus vide Ughell. tom.4. pag. 58.

Anno 189.

Fulginii post Idolatriæ snbversionem, surrexit Basilica Palatina à Feliciano Episcopo in honorem D. Joannis Baptistæ sacrata. Ughellius tom.1. num. 4. circa finem.

Anno 204.

Syracusis Eutychius Præsul. B. Andreæ Apostolo oratorium extruxit, &

&

& consecravit. Roccus Pyrrhus *Siciliæ Sacræ* tom. 2. pag. 124. §. *Eutychius* num. 16. ubi citat Schobar.

Anno 250.

Mantuæ duo templa beatissimis Apostolis Petro & Paulo populus excitavit, quorum illud D. Petri Cathedralis evasit. Ughell.to.1.p.926.

Anno 254.

Propè Fulgineum templum BB. Heraclio & Mauro Martyribus dicatum fuit, ibique Castellum Heraclium extructum, quod hodie facto etymo, vulgus *Rachium* appellat. Ughellius tom. 1. pag. 734. num. 5.

Anno 270.

Bononiæ. Zama in vicis Bononiæ sedem fixit Episcopalem, ubi in honorem B. Petri parvum sacellum extruxit, in quo ipse, ac ejus successor Faustinus sepulti fuêre. Ughell.to.2. pag.8. lit.B. & num. 2.

Anno 273.

Interamnæ templum à discipulis S. Valentini fundatum fuit. Ughellius tom. 1. pag. 810.

Anno. 275.

Haud procul à Sora pietas Fidelium templum in memoriam Sanctæ Restitutæ Virginis & Martyris erexit. Ughellius pag. 156. num. 1. tom. 1.

## CAPUT XIX.

*De formis sepulchrorum, tam apud Ethnicos, quàm Hebræos, antiquosque Christi Fideles. Deque memorijs Martyrum, sive Martyriis, aut Confessionibus, seu Ciboriis. Nec non de Basiliculis.*

MULTAS hucusque congessimus, cùm Sacrorum, tum profanorum ædificiorum notiones, in quibus homines iu sæculo viatores congregari consuetum fuit. At de sepulchris, in quibus iidem expleto suæ viæ, vitæque termino coadunantur, cùm ne verbum quidem facerimus, atque illa quoque sub sacras Ecclesiæ veteris memorias, ut partes, ac membra veniant, peculiari hoc capite de eisdem differere constituimus.

Sed ut rem altiùs ordiamur, & exequamur uberiùs, animadvertere oportet, finitimæ cujusque nationis, ac populi genium esse, ritus, ac mores ab invicem mutuare, suisque tenaci insitione copulare; ut inde temporis lapsu divelli ac rescindi minimè possint. Hoc autem, si cui gentium, in usu maximè fuit Christianis, qui utique ab Ethnicis non interjectis fluviorum alveis divisi, vel vasto montium, aut maris tractu sejuncti, sed in urbibus eorundem, ac domibus promiscuè degebant. Quæ ut manu ipse tangas, præter ea, quæ sparsim huic operi ad idem probandum inserta sunt, nonnulla subjiciemus ex iis, quæ licèt improba, ac superstitiosa, à Gentibus usurpârunt, suaque primævi Christi Fideles effecêre. Primum sit de Kal. Januariis, de quibus Albinus Flaccus, sive Alcuinus *de Diviuis Officiis* sic scripsit: *Hæ Kalendæ secundùm dementiam Gentilium, potius dicendæ sunt cavendæ; eâ siquidem tempestate (quando Judices præerant filiis Israël, hoc est ante Samsonem) fuit quidam Princeps Gentilium in Italia nomine Janus, à quo Januarius mensis postea nuncupatus est. Hunc verò Janum imperiti homines, qui Deum non cognoscebant, quasi Regem metuebant, & pro Deo illum colere cœperunt, duasque facies illi figuravêre propter Orientem & Occiden-*

*tem, nec non & quadrifontem appellavêre, ideſt Janum geminum, propter quatuor partes, ſeu elementa quatuor, aut tempora quatuor, ſed cùm hoc facerent, formabant potiùs monſtrum, quàm Deum. Unde Numa, poſt Romulum, hunc eſſe primum menſem anni voluit, tanquam bicipitis Dei menſem, reſpicientem, ac proſpicientem tranſacti anni finem, futuriſque initium, & Januarium vocatum, eo quòd ſit limes & Janua anni: unde imperiti homines veluti Deum colentes, diem ipſum multis ſpurcitiis ſacraverunt: quidam mutabant ſe in ſpecies monſtroſas, in ferarumque habitus transformabant: alii in femineo geſtu mutati, virilem vultum effeminabant; nec immeritò virilem fortitudinem non habent, qui in mulieris habitum tranſierunt: aliqui fanaticis auguriis profanabantur, perſtrepebant ſaltando pedibus, tripudiando plauſibus: nonnulli ita auguria obſervabant, ut focum de domo ſua, vel aliud quodcunque beneficium, cuiquam potenti minimè tribuerent. Diabolicas etiam ſtrenas & ab aliis accipiebant, & ipſi alijs tradebant; nec non etiam menſulas plenas ad manducandum totâ nocte paratas habebant, credentes, quòd Kalendæ Januarii per totum annum præſtare poſſent. Et quia his, & aliis miſeriis mundus univerſus repletus erat, ſtatuit univerſalis Eccleſia Jejunium publicum in iſto die fieri, quatenus his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret. Sed quia Domino largiente, hæc à Fidelibus pro nihilo habentur, licèt quantulæcunque ſimilitudines (quod abſit) adhuc lateant in ſeris hominibus, omni tamen conamine prohibendæ ſunt, atque pellendæ: neque enim aliud quidquam novi in iſtiuſmodi Kalendis præſumendum eſt, niſi quod & in aliis Kalendis menſium, exceptо quòd octavæ Dominicæ cum eximio cultu celebrentur, ut ſupra præfixum eſt. Sed neque illud reticendum, quòd dum quadam die hæ ſuperſtitiones Diabolicæ, Romæ agerentur, quidam S. Almachius cùm diceret; hodiæ octavæ diei Dominicæ ſunt, ceſſate ab his ſuperſtitionibus idolorum & ſacrificiis pollutis, jubente Alyſio Urbis Præfecto hac de cauſſa interfectus eſt.*

Hoc idem antè Alcuinum dixerat Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis *De Eccleſiaſticis officiis* lib 1. cap. 40. *Jejunium* (ait) *Kalendarum Januariarum, propter errorem gentilitatis inſtituit Eccleſia. Janus enim quidam Princeps Paganorum fuit, à quo nomen menſis Januarii nuncupatur, quem imperiti homines veluti Deum colentes, in religionem honoris poſteris tradiderunt, diemque ipſum ſceniſque & luxuriæ ſacraverunt. Tunc enim miſeri homines, & quod pejus eſt, etiam Fideles ſumentes ſpecies monſtroſas in ferarum habitum trasformantur; alii femineo geſtu demutati, virilem vultum effeminant: nonnulli etiam de fanatica adhuc conſuetudine, quibuſdam ipſo die obſervationum auguriis profanantur, perſtrepunt omnia ſaltantium pedibus, tripudiantium plauſibus, & quod his turpius eſt nefas, nexis inter ſe utriuſque ſexus choris, inops animi, furens vino turma miſcetur. Proinde ergo SS. Patres conſiderantes, maximam partem generis humani eodem die hujuſmodi ſacrilegiis ac luxuriis inſidere, ſtatuerunt in univerſo mundo per omnes Eccleſias publicum Jejunium, per quod agnoſcerent homines, in tantum ſe prava agere, ut pro eorum peccatis*

*catis neceſſe ſit omnibus Eccleſiis jejunare.*

Secundùm, De Purificationis B. Mariæ Virginis feſtivitate, in quaritum candelas diſtribuendi, accenſaſque deferendi, fluxiſſe à Gentilibus demonſtrat Menardus in notis ad lib. *Sacrament. S. Gregorii* ad hunc eundem diem, ſequentibus verbis.

*In eo feſto fiunt cum cereis ardentibus rogationes, ſeu proceſſiones ex ſatìs antiquo more, ſuperſtitione veteri, qua Romani hoc menſe in honorem Februi Dei, ideſt Plutonis, cum cereis ardentibus luſtrabant Urbem, in piam ac ſanctam mutatâ religionem; ſiquidem harum mentionem facit Sanctus Hildephonſus, qui floruit anno 644. Sermone ſupracitato. Agitur hæc feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhuc Pagani à Februo, ideſt Plutone, ſic vocaverunt &c. Quam luſtrandi conſuetudinem congruè & religiosè Chriſtiana mutavit conſuetudo, cum eodem menſe, hoc eſt hodiernâ die, in honorem Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non ſolum Clerus, ſed omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis & diverſis hymnis luſtrantes circumeunt. Idem ſcribit S. Eligius Homil. 2. Nunc igitur vanæ ſuperſtitionis errorem pulchrè Chriſtiana devotio ad veram convertit Religionem, cùm jam non poſt quinquennium, nec ut olim circa finem menſis Februarii una luſtratur Civitas Romana ob honorem Februi, qui falsò luſtrationum, ideſt purgationũ, potens putabatur, & Deus Infernorum, & ob dignitatem ejus, quæ jam ceſſavit, terreni Romanorum Imperii: ſed per ſingulos annos circa initium ejuſdem menſis univerſa Dei Ciuitas, ſancta videlicet Eccleſia, illuſtratur, fidei lumen, quod filiorum ſuorum fulget in cordibus, deſignans cereorum lumine, quod eorundem geſtatur manibus.*

Pauca hæc ex multis quæ afferri poſſent, exempla ſelegi, fidem huic aſſertioni facturus, videlicet, quòd ab Ethnicis olim Chriſtiani, ac proinde quælibet natio populuſque à finitima conterminaque natione mores quoſdam didicerit, & conſtantiſſimè fuerit imitata. Si plura cupis, adi Baron. ad ann. 44. num. 80. qui mirum in modum meam hanc ſententiam confirmat. Sed ut promiſſum de Sepulchris ſermonem proſequar, ab Ægyptiis incipiam, qui & Gentiles, & antiquiſſimi ſunt. Ii mortuorum ſepulchra tres in ſpecies dividere, juxta defuncti dignitatem, conſueverunt; nempè in ſumptuoſa, mediocria, & humilia. Sumptuoſa ea erant, quæ pro Regibus & magnatibus attollebantur, ut Mauſolea & Pyramides. Mediocria, quæ pro mediocribus, ut Cœmeteria ſive Cryptæ in vivo alabaſtro exciſæ, variis concamerationibus diſcriminatæ, multipliciumque viarum ambagibus adeò intricatæ, ut labyrinthus videri poſſent; arcæ in eiſdem marmoreæ, ſive ſarcophagi, in quibus cadavera condebantur. Ab humilibus autem, cùm ad meum inſtitutum non ſpectent, & brevitati maximè ſtudeam, libentiſſimè declinabo.

Porrò quale fuerit primum Mauſoleum, Plinius lib. 36. cap. 5. docet his verbis: *Mauſoleum, ſepulchrum eſt ab uxore Artemiſia factũ Mauſolo Cariæ Regulo, qui obiit Olympiadis centeſimæ anno 2. Opus id ut eſſet inter ſeptem miracula, ii maximè artifices fecère:*

*patet ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes, brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim, attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta ſex. Ab Oriente cælavit Scopas; à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus, ab Occaſu Leochares. Priuſque quàm peragerent, Regina Arthemiſia, quæ mariti memoriæ id opus extrui juſſerat, obiit: non tamen receſſerunt niſi abſoluto jam, id gloriæ ipſorum, artiſque monimento judicantes; hodieque certant: manus acceſſit & quintus artifex: Nam quæ ſupra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit viginti quatuor gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.* Ab hac magnificentiſſima fabrica cæteræ, parùm abſimilem præſeferentes magnificentiam, nomen ſumpsêre.

Mauſoleorum æmulatrices fuêre Pyramides, quarum figura quadrata erat, & ab ampliſſima baſi deſinens in acumen: illarum nonnullas conſpici adhuc in Ægypto tradit Jo. Nardius in ſuis comment. ad Lucretium *De rerum natura*; ubi in fine agit de funeribus Ægyptiorum; quarum Pyramidum occaſione nonnullorum ſepulchrorum adhuc Memphi extantium orthographiam affert, quam delineare imperavit cl. mem. Ferdinandus II. Magnus Ethruriæ Dux, ſtudiorum ac Artium promotor, illamque in Tabula XXXVIII. expono, ubi litera A. Memphim, quæ Alcayrum, vulgò *Cairo* denotat. littera B. Babylonis antiquæ parietinas. C. Nilum ab Auſtro in Aquilonem præterfluentem. D. lapidem cælatum, qui ad putei ſive oſtii operculum inſervit. E. via, per quam in cameram ſubterraneam deſcenditur. F. arca lapidea hieroglyphicis inſignita, cuſtos alterius ligneæ G. quæ viſenda exponitur, unà cum ſimulacro ſtante, & tutelaribus Diis.

Tantâ verò arte, ac tam amplâ mole ſurgebant hæc ædificia, ut ea Martialis miraculo proxima reputaverit, ubi inquit:

*Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis &c.*

Et inferius:

*Aëre nõ vacuo pendentia Mauſolea:*

Ea verò erigere Regibus fato functis Egyptios conſueviſſe docemur à Lucio Floro lib. 4. cap. 11. cùm de Cleopatra Ægypti Regina ſermonem habens *in Mauſoleum*, (ait) *ſepulchra Regum ſic vocant, recepit*. Idem teſtatur Lucanus lib. 8. de Ptolemæis (ita enim ſuos Ægyptii Reges vocabant, ut olim etiam Pharaones indigitârunt,) ſic ſcribens:

*Et Regum cineres extructo monte quieſcant.*

*Cùm Ptolemæorum manes, ſeriemque pudendam*
*Pyramides claudant, indignaque Mauſolea.*

Confirmat hæc Servius in undecimo Æneïd. additque unde nam iſta regalibus cadaveribus moles imponendi fluxerit conſuetudo: *Apud majores* (inquit) *nobiles aut montibus altis, aut in ipſis montibus ſepeliebantur. Unde natum eſt, ut ſupra cadavera Pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ*; de quibus infra.

Breviter huc uſque demonſtravimus morem Aegyptiorũm tam ſumptuo-

TAB XXXVIII
A
B
C
D
E
F
F
G
pag. 264.

Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 6.



Fig. 5.



Fig. 8.

Fig. 7.



ptuoſa ſepulchra excitandi: modò ad Hebræos deſcendamus, quos tanquam Ægyptiis finitimos, ritus Aegyptiacos in multis æmulatos oſtendam. Et primò quòd ipſi quoque Mauſolea ædificaverint, teſtis eſt Sacra Scriptura 2. Paralip. 35. 23. ubi de ſepulchro Joſiæ ſic: *Et aſportaverunt eum* (ideſt Joſiam) *in Hieruſalem, mortuuſque eſt, & ſepultus in Mauſoleo patrum ſuorum*. Item Machabæorum. cap. 13. 27. tumulus alter deſcribitur magnificentiſſimus, quem Simon parentibus fratribuſque ſuis erexit; his verbis: *Et ædificavit Simon ſuper ſepulchrum Patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retro & ante; & ſtatuit ſeptem pyramides, unam contra unam, Patri & Matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & juxta arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare: hoc eſt ſepulchrum quod fecit in Modin uſque in hunc diem.* Hoc idem Joſeph *de Bell. Jud.* lib. 13. c. 19. & lib. 10. cap. 14. ſcribit Danielem ædificâſſe in Egbatanis Mediæ Mauſoleum valde præclarum, & mirabiliter nimis inſtructum, ſubdens: *Ejus pulchritudo videtur nova & ſolida, nullaque ſenectute tam magni temporis longævitate confecta; cùm ædificia eadem, quæ homines patiantur, & ad vetuſtatem veniant, & ſua fortitudine longævitate careant, ac proprii decoris amiſſione marceſcant. Manet enim hactenus, & videntibus creditur nuper ædificatum, ita ut eâ die, quâ conſpicitur, putetur eſſe conſtructum: hactenus enim ſepeliuntur ibi Medorum Reges, atque Perſarum pariter, & Parthorum, & cui hæc cura committitur, Sacerdos eſt Judæorum. Et hoc fit uſque ad præſens tempus.*

Alia Hebræorum ſumptuoſa ſepulchra, eorumve emblemata nobis ſugerit Joannes Henricus Hottingerus in ſuis *Cippis Hebraïcis* Latinitare donatis, notiſque illuſtratis; ubi pag. 32. Tumuli Iſaïæ Prophetæ erecti in Saraka, iconiſmum apponit, cujus orthographia habes in Tab. XXXIX. Figura 1. & in eadem pagina alterum Benjamin, quod exhibeo ſub Figura 2. itidem pagina 30. in eiſdem Cippis habetur forma ſepulchri Iſai Patris Davidis, quam profero ſub Figura 3. In pag. 34. eſt ſepulchrum Rachel ut in emblemate ſub Fig. 4. Et pagina 42. Sepulchra Regum domûs David ut in Figura 5. Nec non pagina 44. tumulum alium deſcribit Chuldæ cujuſdam Prophetiſſæ, cujus emblema repono ſub Figura 6. Item pag. 46. monimentum appingitur Zachariæ Prophetæ, cujus exemplar exhibeo ſub Fig. 7. Denique pag. 48. magnificum ſepulchrale ædificium Simeonis Juſti, & ſeptuaginta ſynedrorum deſignat, cujus typum vide ſub Fig. 8. Nonenim ditioribus, ac Principibus viris tantummodo ære privato tumuli excelſiores conſtruebantur, ſed & Prophetis, ac viris juſtis, licèt pauperibus, publicis tamen votis ac ſumptibus: quòd D. Hieronymus recolens & expendens hæc Chriſti Domini verba apud Matthæum cap. 23. 13. *Vt vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monimenta Juſtorum, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophe-*

*phetarum*, ſic in Scribas invehitur, qui ut bonitatem ſimularent, ac plebi imponerent, ſe patribus homicidis diſſimiles exhibentes, occiſorum ſepulchra ſplendidè ornabant: *Si fuiſſemus* (inquens) *in illo tempore, non feciſſemus ea, quæ fecerunt patres noſtri. Hoc autem etiam ſi ſermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quòd ambitiosè & magnificè ædificant memorias occiſorum, quos à Patribus ſuis jugulatos non negant.*

Alias ſepulchrorum figuras ac formas apud eundem Hottingerum exquire: nam hæc magnifica ſplendidioraque Hebræorum monimenta fuêre. Nunc ad mediocria digrediamur.

Ægyptios igitur in his etiam imitati, rupes cauteſque duriores exenterabant, ſpeluncas cryptaſque laxantes, in quibus cadavera conderentur, eaſque tumbas appellavêre, quod plurimis exemplis firmari poteſt, & illicò occurrit illud Abraham Gen. cap. 23. qui Saræ uxoris ſuæ cadaver in duplici ſpelunca, quam emit in Hebron terra Chanaam quadringentis ſiclis, depoſuit compoſuitque: ubi poſtea & ipſe & filius ejus Jacob, nepotumque plerique humati ſunt, ex Geneſ. cap. 25. 49. & 50.

Legimus etiam apud Hottingerum pag. 44. (ut alia plurima teſtimonia omittamus, quibus liquidò conſtat, ſpeluncas apud Hebræos pro ſepulchris fuiſſe) tam vaſtæ amplitudinis ad radices montis Oliveti ſpeluncam eſſe Aggæo Prophetæ attributam, ut alias aliaſque ſinu ſuo capiat, & amplectatur.

Quem ſpecuum uſum pro funerandis corporibus uſque ad tempora Chriſti Domini viguiſſe, ex Euangeliſtis comperimus. Conſtat enim Joann. cap. 11. num. 38. Lazari monimentum fuiſſe ſpeluncham, ibi: *Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monimentum, erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.* Item cap. 27. narrat Joſephum acceptum Domini corpus involviſſe in ſyndone munda, & poſuiſſe in monimento ſuo novo, quod exciderat in petra. Confirmat etiam Marc. cap. 15. ubi corpus Dominicum linteo involutum tradit, & à Joſepho in monimento in petra exciſo locatum. Item Luc. 23. *Et poſuit eum in monimento exciſo.* Quod monimentum ſpeluncam appellat Euſeb. in *vita Conſt.* cap. 26. & 28. lib. 3. quo loci referens Dominici ſepulchri ſub Conſtantiniano Imperio inventionem hæc fatur: *Tunc verò ipſum auguſtum ſanctiſſimumque Reſurrectionis monimentum præter omnium ſpem reſulſit, & ſpelunca illa, quæ Sancta Sanctorum verè dici poteſt, in lucem prodiit.* Percommodum enim Hebræis erat hujuſcemodi ſpecus in rupibus excavare, præſertim juxta Hieruſalem, cum ſtadiis fermè ſexaginta per circuitum ab urbe ea regio ſaxis aſpera ſit, montibuſque quamplurimis intumeſcat.

Alia de Judæorum ſepulchris exempla libens referrem, ſi ea mihi Scriptorum copia ſufficeret; ſed Hebraïcam gentem potius ad miſeram turpiſſimamque ſervitutem, quàm ad bonas artes, & præcipuè literarias natam eſſe, nimis apertè dignoſcimus.

Ex his tamen vel paucis in compertò eſt, Hebræos, tùm quoad magnifica, ſumptuoſaque, tùm quoad alia inferiora monimenta ab Aegyptiis normam duxiſſe. Supereſt nunc ut inſti-

inſtitutum : ac morem eundem ab illis ad Græcos tanquam conterminos proximioreſque derivatum oſtendam, ſed de his pauca inveniuntur, quæ ſepulchrorum magnificentiam reſpiciant. Nam Pauſanias in *veteris Græciæ deſcript.* lib. 2. ſic ſcribit : *Ad hunc fermè modum ſuorum cadavera condunt Sicyonii : corpus terrâ contegunt, deinde lapideâ baſi extructâ columnas erigunt, quibus faſtigia, vel (ut Græci vocant) aquilas imponunt, eâdem propè ſpecie, quâ ſunt templorum culmina.* Ac in lib. 9. ſic : *At Lacedaemoniis & Athenienſibus eo prælio peremptis, ſui ſeparatim ſunt tumuli, & in illis inſcripti Simonidis elegi. At communi illo monimento non procùl, ara dicata fuit Jovi Eleutherio : ſepulchrum quidem ex ære factum, Jovis ara & ſignum è candido lapide.* Item apud eundem nonnulla alia loca legimus ad ſepulchralia Græcorum monimenta ſpectantia, inter quæ Hippolytæ ſepulchrum reperio, Amazonum clypeum ſtructuram præſeferens : en ejus verba num. 40. *Sepultam verò eo quo diximus loco, & ejus ſanè monimentum Amazonici clypei formam præſefert.* Iterum lib. 3. num. 35. hæc habentur : *Eſt præterea Spartæ Comitium, quod Varium nuncupant ; & proxima ibi heroica monimenta Cadmi Agenoris filii, & Oelici Theræ filii poſterorum &c.* Ex quibus profectò locis apertè eruitur, Pauſaniam ſolertiſſimum Græcanici Imperii Scriptorem, humilia admodum ac tenuia, & adeo parum ad poſteros memoratu digna ſepulchra inveniſſe, ut nullum accuratius deſcripſerit. Nec mirum tamen, ſi nulla tunc temporis formæ ſumptuoſioris Pauſanias invenerit, cùm adeò olim in tumulorum ornatu, faſtuque Græci modum excederent, ut immodicum luxum lege ſeveriori cohibere neceſſum habuerint Athenienſes. Porro ejus legis meminit Cic. leg. 11. ibi : *Sed poſt aliquantò propter has amplitudines ſepulchrorum, quas in Ceramico videmus, lege ſancitum eſt, ne quis ſepulchrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo ; neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos quos vocant, licebat ornari.*

Cum autem totius Græciæ celeberrima eſſet urbs Athenarum, ea lex inde per univerſam Græciam invaluit, nec ultra ſepulchrorum nitore, & amplitudine ſplendidè in iis Terris peccatum eſt. Cæterùm in prioribus tumulis quantum cum Hebræis Græci certaverint, licèt ob oculos nulla proponere argumenta fas ſit ; ipſum Senatûs Conſultum eorumdem moderationem præcipiens, iiſdemque modum imponens, abundè teſtatur.

Verùm, cum apud Romanos nulla lex eſſet, quæ ſepulchrorum ornatui adverſaretur, ideo ipſi ritum ædificandi Mauſolea in urbem invectum, egregiè ac ſplendidiſſimè coluerunt. Teſtantur hoc tot miranda hujus urbis vetuſtiſſima monimenta : præcipuè verò clariſſimum illud, ac verè magnificum Octaviani Cæſaris Auguſti in Campo Martio, de quo ſic in ejuſdem Imperatoris vita Suetonius : *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis tunicati & diſtincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tyberis ſexto ſuo conſulatu extruxerat circumjectaſque ſylvas & ambulationes ad uſum populi tunc jam pu-*

*publicârat*. De eodem etiam Caſſiodorus hæc ait: *Sed mundi Dominus ad potentiam ſuam opus extollens, mirandam etiam in Romanis fabricam in vallem Martiam tetendit Auguſtus, ut immenſa moles firmiter præcincta montibus contineret, ubi magnarum rerum indicia clauderentur: biſſena quippe oſtia ad XII. ſigna poſuerunt*. Strabo præterea li. 5. *Commemoratione* (inquit) *digniſſimum eſt, quod Mauſoleum appellant, in excelſis fundatũ molibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in ſummum uſque verticem ad fluminis ripam exaggeratum. In ſummo autem poſitum eſt Cæſaris Auguſti ſimulacrum ex ære fabricatum: ſub aggere ipſo ſunt ejus loculi, & cognatorum & neceſſariorũ: à tergo verò lucus eſt mirifica continens ambulacra: in medio autem campi ſpatio, ſui buſti extat ambitus, & hic ipſe niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interiùs præferens populos*. Extat verò etiam nunc interior murus orbicularis reticulato opere, cùm tamen olim, ut videtur, tres fuerint muri invicem diſtantes, quorum intervalla rurſus ſpatiis quibuſdam diſtinguebantur, ut loculi plures efficerentur, quibus ſeorſum condi ſinguli poſſent. His adde Marlian. qui in ſua *Topograph. urbis Romæ* lib. 5. cap. 7. *Mauſoleum* (inquit) *in eadem valle* (ideſt Campo Martio) *interque viam Flaminiam & ripam Tyberis, tertio ſuo Conſulatu poſuit Auguſtus, voluitque ut non modò ſuum, ſed omnium Imperatorum & Cognatorum eſſet ſepulchrum*.

Hic locus in laudem Auguſti, Pacis, ac victoriæ, & Patris Patriæ inſcriptionem habuiſſe dicitur. Ad hoc Mauſoleum Virgilium reſpexiſſe puto quum cecinit de Marcelli nimis acerbo funere.

*Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem*
*Campus aget gemitus? vel quæ Tyberine videbis*
*Funera, quum tumulum præterlabere recentem.*

Quia & de illo loquitur Xiphilinus in Hadriano his verbis: *Sepultus eſt ad flumen juxta pontem Aelium, ubi monimentum fecerat: nam Auguſti Mauſoleum plenum erat, in quo nemo amplius ſepultus eſt*. Quod penè adamuſſim confirmat Dio in Hadriano: *Jam enim* (inquit) *Auguſti monimentum repletum erat, nec quiſquam amplius in eo ſepeliebatur*. Hujus Mauſolei exemplar habes in Tab. XL. Fig. 1.

Alterius Mauſolei memoriam in Urbe nobis exhibet Paul. Diacon. l. 14. ſupplem. ad Eutrop. ubi agens de morte Honorii: *Vitâ exemptus eſt* (inquit) *corpuſq; ejus juxta B. Petri Apoſt. atriũ in Mauſoleo ſepultum eſt*. Aliud præterea majeſtate pretioque ſpectabile, clariſſimumque, quod aſſueta prodigiis Urbs ipſa admirata eſt, illud erat Hadriani Imperatoris, à Procopio de Bello Gothico perleganter deſcriptum; quem adire operæ prætium eſt, ut ſcitiſſimæ & admirandæ ſtructuræ lenocinium utcunque concipias. Hujus Mauſolei ſpecimen habes in eadem tab. Fig. 3.

Inclytus itaque Romanorum Genius quem admodum Mauſoleorum Ægyptiorũ haud impar æmulator evaſit; ita Ægyptiacum morem in Pyramidibus attollendis certatim ſtuduit imitari. Duo nobis hîc ſuppetunt alleganda moliũ Pyramidalium in urbe

teſti-

Fig. 2.



Fig. 1.

TAB I. XL.



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 2.


SIXTVS.V.P
ONT.MAX
COLVMN
AM HANC
AB·OMNI·
IMPIETATE
EXPVR
GATAM
S.PAVLO A
POSTOLO
AENEA EI
VS.STATV
INAVRATA
IN SVMMO
VERTICE
POSITA DI
AMDLXXX
IXPONTIV

Fig. 1.



teſtimonia, quarum una adhuc hodie ad Portam Oſtienſem, vulgò *Divi Pauli*, conſpicitur; ubi ingens, immaniſque lapidum quadratorum Pario marmore aggeſta machina aſſurgit, Caji Ceſtii titulis inſculpta, Pyramidis ſpeciem referens: quam recolend. mem. Alexander VII. Pont. Max. è nobili Chiſiorum familia, de urbis magnificentia valde ſolicitus, priſtino nitori reſtituit, cùm terram, quæ maxima in parte Pyramidem obruerat, illâ effoſsâ, alio aſportari fecerit. Quare ipſa Pyramis quaſi aſſurgere viſa fuit. Inſuper cùm eadem multis in locis à temporis injuriis devaſtata eſſet, novis marmorum ſupplementis reparavit. Ipſius Pyramidis baſis, palm. Romanis circiter 135. expatiatur, altitudo verò ad palm. 150. evehitur; introrſum concamerata eſt, picturisque variis ſparſim perornata, quas Octavius Falconerius clariſſimus Vir, tanquam dignum memoriâ opus, delineandas curavit, ac diſſertatione illuſtravit, quæ habetur apud Nardinum in lib. *De antiq. Rom.* ad calcem operis. Hujus Pyramidis iconem habes in Fig. 3.

Alterum Pyramidale Urbis monimentum eſt, quod Scipionis ſepulchrum fuiſſe Scriptores autumant, ac prope Hadrianam molem extitiſſe conveniunt. Mallius verò Romuli tumulum credit, metamque denominatum aſſerit, ac ſcribit illud ad conſtruendos Vaticanæ Baſilicæ gradus deſpoliatum fuiſſe. Quos Symmachum Pontificem contruxiſſe Bibliothecarius narrat.

Porrò Romanorum magnificentia non eòuſque tantùm proceſſit, ut Mauſoleorum Pyramidumque ſectatrix dumtaxat, imitatrixque diceretur; verùm etiam adeò proceras immaneſque colnmnas architectata eſt, ut Aegyptiacum faſtum exceſſerit, ac ſuperaverit: Hæ inſignes, ſublimeſque moles, celeberrima defunctorum geſta anaglyphè expreſſa exteriùs præferebant: introrsùm autem cochlidibus ſcalis arcuatæ, eò uſq, concameratæ erant, ut ad ſummitatem aſcendere quiſque valuiſſet. Duo ad præſens operum tam mirabilium Urbi & Orbi, dejecto ob ſtuporem ſupercilio, ſpectanda ſuperſunt: quorum unum ad Quirinalis radices contermina undique ædificia ſupereminet, *Columnaque Trajani* indigitatur, eò quod Trajano Auguſto ſacram tituli perhibeant, in qua ſpectabili anaglyptices opificio, Dacici belli hiſtoria eleganter, ordinatèque conſpicitur, victoriaque de Rege Decebalo relata: cujus hiſtoricum ſyntagma Latinè edidit Alphonſus Ciaconius; & nuper claris. Vir Joannes Petrus Bellorius claræ mem. Sereniſs. Chriſtinæ Svecorum Reginæ inclytæ Bibliothecæ Cuſtos, deque Rebublica literaria benemeritus ob peculiarem antiquarum rerum tùm eruditionem, tùm in ſuo Cimelio conſervationem; in Italicam vertit linguam, ac æreis iconiſmis, variiſque numiſmatibus Inſcriptionibuſque locupletavit inſtauravitque. Poſtremò ſæpè laudatus Raphaël Fabrettus innumeris aliis eruditionibus denuò illuſtravit auxitque hiſtoriam in ſuo *De Columna Trajani* Syntagmate. Iconiſmum vides in Tabul. XLI. Fig. 1. in cujus ſummitate ænea ſtatua S. Petri viſitur, à recol. mem. Xyſto V. ibi collocata.

Alterum quod Romæ etiam cernimus è Columnis opus mirabile, in platea, cui nomen ab ipsa Columna fa-

ctum, attollitur, ac in immensum porrigitur: Columna hæc Marco Aurelio Antonino Imp. in memoriam insignium belli facinorum consecrata est, ac in ea de Germanis ac Sarmatis gemino prælio dejectis, ab ipsoque debellatis anaglyphè historia cælata est; quam idem Joannes Petrus Bellorius notis declarationibusq; ditatam cum æreis iconismis typis pariter consignavit. Exemplar habes in Fig. 2. ejusdem Tab. In hujus summitate alia etiam ænea Statua B. Paulum referens ab eodem Pontifice Xysto V. posita est.

Atque hæc sunt augusta Romanorum sepulchra, quæ Mausoleorum nomine vocitari, ob magnificentiam operis posse, quisque annuet. Alia tamen fuêre innumera, & si non tantæ amplitudinis elegantiæque, singularis saltem notæ, admirationeque digna; quibus undique totus hic suburbanus ager affluebat; ut plurimæ; quæ adhuc manent parietinæ testantur, è quibus structuræ genus ornatusque satis eruitur: prout indicant schemata in Tab. XLII. Primum est sepulchrum secundo ab Urbe lapide viâ Asinariâ, quæ nunc Marinum ducit, sinistrorsum, ut in Fig. 1. ubi lateritium se se offert frontispicium, tàm affabrè ex ordine Corinthio constructum; ut elegantius nîl concipi possit. Cælaturæ enim adeò sedulò elaboratæ sunt, ut nihil eorum desit, quæ in Pariis marmoribus observari solent, tàm in epistyliis, eorumque cymatiis, zophoris, denticulisque, eorumve etiam intersectionibus coronisque, quàm fastigio tympanoque; prout in columnarum etiam basibus capitulisque intuemur occurrere: perpendendæ etiam fenestrarum coronæ, in quibus astragali cælati sunt, itidemque astragali Lesbii aliæque particulæ minutissimæ. Et quod admirationem adjicit, lateres sunt non solùm in facie lævigati, verùm & planam superficiem habentes, adeò ut inter unum & alterum calx intercluſa prorsus deliteat, ac proinde continuum quid reputetur, aut ad summum aciei perspicaciori tenuis rimula, lineaque pergracilis proponatur.

Horum sepulchrorum constructio licèt diuturniori animadversione condigna sit, ulteriùs tamen excurrere nobis consilium est: cum jam antea aliqua consultiùs prælibaverimus in Capite V. *Quomodo ex structura, & cæmentis, constructionis ædificiorum tempus argui possit.* Ubi peculiari argumento lateritium opus expositimus.

Quæ hactenus dixi externum respiciunt; internas verò partes, quas Figura 2. repræsentat, si accuratè rimemur, multa notanda sunt. In infimo loco A. jacent loculamenta, in quibus cineres Libertorum condebantur. Ad hæc loca per scalas ascendebatur. Interjecta per circuitum porticûs B. lucem supernè, ab angulo fornicis opere Musivo constrati, per quoddam spiraculum seu parvam fenestram immittebant, ad Baliſtarii speciem accendentem, ut in C.

Secunda ædificii concameratio D. ad recondendos Patronorũ cineres destinabatur. Tertia verò in E. erat ædicula Genii illius familiæ: Consuevêre namque Romani Proceres templum habere, ubi cadavera seu potiùs cineres deponerentur, ut deducitur ex Sueton. *in Domit.* cap. 18. ubi sic: *Cadaver Domitiani populari sandapilâ per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latinâ viâ funeravit, sed reliquias templo Flaviæ Gentis clam*

Fig. 2.




Fig. 4



Fig. 1.



Fig. 3.

*clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit*. Idemque innuit Tullius lib. 1. epist. 1. *Ad Q. Fr.* ubi ait: *Cùm ad templum monimentumque nostrum Civitates pecunias decrevissent, nominatimque lex exciperet, ut ad templum monimentumque capere liceret*. Quæ omnia confirmantur ex veteri illa inscriptione, quam reponit Kirchman. *De funer. Rom.* eamque hîc subscribimus.

MORTE.ME.VALERIVM-
M. F. ADSEQVENTE.IN.VLT.TER-
RA. NVLLO. CREDIDI. LOCO. OS-
SA. NOSTRA. POSSE. MELIVS. AD-
QVIESCERE. QVAM. PROPE. TEM-
PLVM. AESCVLAPII. ITAQVE. EX.
TESTAM. AD. X. PEDES. A. TEM-
PLO. VOLO. CONDIER. VOS. NA-
TI. IVCVNDISS. AB VRBE. ROMA.
HVC. CONCEDITE. AD. SEPVL-
CHRVM. NOSTRVM. DEMETVR.
DOLOR. PIETATE. VESTRA. SI.
MANES. SENTIENT. VOS. ME-
MORES. NOSTRI.

Ritum hunc sepeliendi cadavera in templis, elicimus clariùs ex Arnob. lib. 6. *Adversus Gent. Quid?* (ait) *quòd multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas?* Hinc mihi conjiciendi ansa se præbet, quod sicuti Proceres & Magnates templis utebantur, in quibus functorum cineres sùnerarent, ita etiam alii notæ inferioris homines, uti cives primarii, sua pariter erexerint monimenta, in quibus, si non magnificas ædes ac templa, ædiculas saltem habere possent, ubi propriæ familiæ Genius coleretur. Geniorum quippe infinitus fermè erat numerus, ut Sponius cumulavit ad sua *Miscellanea eruditæ antiquitatis*, Sect. 3. pag. 101. tantaque fuit antiquitus Geniorũ superstitio apud Gentes, ut Regna, Provinciæ, Urbes, Senatus, Populusque, Collegia, Augusti Cæsares, Familiæ, ac privati ferè singuli suos habuerint coluerintque. Hæc expressè confirmat Aurelius Prudentius Poëta Christianus in lib. 2. *contra Symmacum*, ubi sic:

*Nam subdita Christo*
*Servit Roma Deo, cultus exosa priores.*
*Romam, dico viros, quos mentem credimus Urbis,*
*Non Genium: cujus frustra simulatur imago:*
*Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?*
*Cùm portis, domibus, thermis, stabulis soleatis*
*Assignare suos Genios? perque omnia membra*
*Urbis, perque locos, Geniorum millia multa*
*Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?*
*Restat, ut & fatum similis dementia cunctis*
*Aedibus imponat.*

Ex inscriptionibus autem, quas Sponius refert, has afferimus.

GENIO
FAMIL. MONETAL.
DEMETRIVS CAES. N. SER.
EPAPHRODITIANVS.

Item ex alia.

HERMA DE SVO DAT
GENIO CANONIS ATTALI
LIBERTI.

GENIO PASICLENIS ATTALI
SERVI.

Occaſione qua Sponii inſcriptiones de Geniis attulimus, indicare fas erit Oiſelium in ſuo *Teſauro Numiſmatum* nonnullos etiam Geniorum referre nummos, & cùm inter illos nullum Diocletiani tempore cuſſum adducat, neque apud diverſos Auctores *de re Nummaria* tractantes repererim; ideò hìc in eruditorum gratiam, ſimilem annectere volo, cùm apud me ſit, ex dono D. Ioannis Dominici Ricciardi, ac ſequens eſt.




Quin in præfatis ædibus ſacrificia aliquando fuiſſe oblata ex ſuppoſita Gruteriana inſcriptione, concipitur pag.662. n. 5.

L. APISIVS. C. F. SCAPTIA. CAPITOLINVS.
EX. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT. MONVMEN.
ARBITRATV. HEREDVM. MEORVM. ET. SIBI. ET. SVIS.
..... TAE. BENE. MERITÆ.

C. APISIO. C. L. EPAPHRAE. PATRI.
OSCIAE. Ɔ. L. PRIMIGENIAE MATRI
APISIAE. C. F. RESTITVTAE SORORI.

C. APISIO. C. F. CAPITONI. FRAT.

ET. LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS. POSTERISQ. EORVM

C. APISIO. C. L. FELICI. TATAE.

IN. AG. P. XII.
IN. FR. P. XXIV.

HVIVS. MONV DOLVS. MAL. ABESTO. ET IVRISCONSVLT.

N. HOC. MONVMENTO. ITVS. ADITVS. AMBITVS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. MEIS. OMNIB.
PATEAT.....M. DATO. AD. SACRIFICIA. FACIENDA. QVOTIESCVMQVE. OPVS. ERIT.

Lucunam PATEAT.....MDATO. ſic legendam puto; nempe CIRCVM. DATO.

Alia inſcriptio docens proximas ſe-Pulchralibus monimentis fuiſſe ædiculas, extat apud eundem p.626.n.6.ſic.

AEDICVLAM.CVM.OLLIS.OSSVARIS.ITA.VTI.IN.AEDICVLAM
SVNT. C. LVCCEI. PYLADIS. L. FELICIS. GERVLI. EMIT. DE. D.
LABERIO. PAETI. ET EPAPHRODITI. L. FAVSTO. IN MONV
MENTO. C.LVCETI·BYTHI.L. FAVSTI. COACTORIS.A.PORTV.
VINARIO CVM. INTRO. MONVMENTO.EORVM. EAS. E.REGIO
NE.OSTI.PARIETIS.MEDI.AEDICVLAM.CVM.OLLIS.OSSVARIS
SIBI. ET. SVIS. POSTERISQVE.....

Sacella

Sacella ſi non aderant, fuiſſe ſaltem aras, nemini penitùs negandum eſt, ut ex plurimis inſcriptionibus apud ſæpè laudatum Gruterum patet: & præcipuè ex illa, quæ habetur pag. 715. num. 10.

C. VIVS. PATER. NATVS. MISER. DESIDERIO. NATAE. DIEM. ET. NOCTEM. CVM LACRIMIS. TRAXIT. VITAM. MALAM MORTVVM. ME. QVOQVE. FVNERARI IVSSI. REBVS. LVGVBRIS. QVIBVS. VIVOS. PARAVI. LECTO. STRAGVLIS. FORENSIS. PAENVLA NIGRIS. OMNIBVS. OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA. CVM. FILIAE. VNA. REQVIESCVNT. HOC SOLACIVM. MECVM. ERIT. CIRCA. ARAM. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE EORVM. ET. QVIBVS. PERMISERINT. HAC. LEGE. VT QVOTIENS. QVIS. EORVM. SVIS. CORONAS. PONENT. ET ARAM. NOSTRAM. CORONENT. ATIMETO. LIB CVIVS. DOLO. FILIAM. AMISI. RESTEM. ET. CLAVOM VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET.

Alia item inſcriptio in lapide Tiburtino rudi, in Faliſcorum monte Soracte, in Templo Sancti Oreſtis, literis exeſis pag. 466. n. 6. hoc habet:

V.M.SELICI. CLE
MENTIS. SEVIRI
MVNCIPIO. CA
PENAT. ARAM
POSVERVNT. PII
LIBERTI.

Exhibuimus itaque hæc monimenta ex innumeris, quæ per agrum Romanum viſuntur, quorum aliqua ſublimiora, alia verò inferiora, prout Familiæ conditio ferebat & ſplendor. Ex inferioribus verò aliud exemplar profero, in eadem Tabula XLII. Figura 3. expreſſum. Prominebat hoc monimentum inter viam Aſinariam, & Appiam dextrorſùm, unde Marinum iter poſt ultimam ab Urbe vineam. Figura hæc faciem monimenti exhibet, ut conjici ex parietinis poteſt. Quia ultra dimidium externè terra obruta eſt; internè tamen vacua, proindeque plurimæ in ea cellulæ cernuntur, ut in Fig. 4. conſpicitur: quæ fornicatæ ſunt, continentque ollas, ſive urnas, in quibus defunctorum cineres occludebantur: unde à geminis illis in ſingulis loculis extantibus, præfata loculamenta, à columbarum (nî fallor) nidi ſimilitudine *Columbaria* vocitandi uſus invaluit. Alterius Columbarii exemplar cum inſcriptionibus refert ſupra laudatus Sponius in eiſdē *Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis* Sect. 9. Columbaria hæc ſive Sepulchra videntur fuiſſe Familiæ Abucciorum, ut ex ſequenti inſcriptione, omiſſis nonnullis aliis à Sponio relatis, colligi poteſt.

L.AB-

1

L. ABVCCIVS HERMES IN HOC ORDINE AB IMO AD SVMMVM COLVMBARIA IX OLLÆ XIIX SIBI POSTERISQVE SVIS

2

L. ABVCCIVS SOCRATES SIBI ET ABVCCIAE GNOMENI L. POSTERISQ. SVIS COLVMBARIA CONTINVA VII AB IMO OLL. XIV

3

L. ABVCCI MYRONIS HOC ORDINE OLL. IIII COLVMBARIO I. ET II.

4

L. ABVCCI CASTI ABVCCIAE AVR AE L. ABVCCI MAXIMI ABVCCIAE HEDONE COL. VIII. OLLAE XVI. LINEA PERPETVA.

Cùm quodam die, relaxaturus ſtudiis animum, Romanum agrum cum CCLL. VV. Emmanuele à Schelſtrate, & Laurentio Zacagna Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodibus, peragrarem, ac ſimul Romanæ magnificentiæ rudera inquirerem, incidit ſermo de monimentis, ſive ſepulchretis, quę juxta vias publicas fiebant, quorum variæ ſpecies erant, inter quæ una præ cæteris notatu digna, quia Cameræ interioris parietes diverſis cellularum ordinibus diſtinguebantur, quarum in ſingulis binæ ollæ cinerariæ, ſive oſſuariæ collocatæ erant, de quibus jam ſupra narravimus, quum Columbaria antiquitùs appellatas fuiſſe oſtendimus. Quare curioſitatis, ac ſimul eruditionis gratiâ eoſdem duxi ad ea inviſenda, quæ extra Portam Aſinariam adhuc ſuperſunt; ut in dicta Tab. XLII. Fig. 3. & 4. Hac occaſione idem D. Zacagna ſimilia ſepulchreta non procul ſe vidiſſe ait, nempe ſecundâ vineâ ſiniſtrorſum in via Appia, quâ iter ad Eccleſiam Sancti Sebaſtiani, ultra Cappellam, ſive oratorium, quod vulgo dicitur *Domine quò vadis?* Huc devenimus ac ibi tres magnas cameras haud imparibus loculamentis diſtinctas invenimus, quorum unus ordo, qui juxta orizontalem lineam, unam ſupra viginti cellulas continebat: cùm autem iſti ordines duodecim eſſent, & unus alteri ſuperpoſitus, in unica facie cameræ centum & triginta duo Columbaria, ac proinde ducentæ & ſexaginta quatuor ollæ continebantur. Pavimentum, utpotè terrâ cooperтum, minimè apparebat: unde fortaſſe alii ordinis ſub eadem aggeſta humo deliteſcebant. Obſervavimus quoque, præfatas cellulas non ſolùm binas, verùm vel tres, aut etiam quatuor ollas continere. Ex hoc igitur ollarum numero deduximus, hoc non privatæ Familiæ ſepulchrum, ſed publicum, alicujus nempe Sodalitatis fuiſſe. Ulteriùs inde ad viſendum acceſſimus antiquum ac proximum Monimentum, in cujus Tabulæ ruderibus è marmore fragmentum invenimus, cujus inſcriptio hæc eſt, quæ non ſolum charactere, verùm etiam Latinitate ſeculi ruditatem accuſat: quin etiam ex Conſulibus, quos refert, Theodoſium tantùm in Faſtis invenies.

HIC REQVIESCET
AIO IN PACE QVI
VIXIT IN SECVLO
P M AN. XI DECES
SIT DE SECVLO DI
E III IDVS NOVEMB
CONS THEODOSI
O AVG. PRIMVM
ET ROMORIDO
V. C. CONS.

Mul-

Multa alia ornatiora monimenta prętęr allata, fuiſſe comperimus in tit. *De ſepulchris violatis*, in Cod. Theod. nam in lib. 2. columnarum marmorumque avulſio, ac ornatûs diminutio interdicitur: idemque ſtatuitur in l. 4. tum in poſteriori lib. 5. fit mentio de ornamentis, quibus triclinia ſepulchrorum, ac porticus decorabantur.

Præter allegata Jura, quæ ſepulchralium columnarum meminêre, Caſſiodorus occurrit, qui l. 4. *Var.* c. 34. *Aedificia* (ait) *tegant cineres columnæ, vel marmora ornent ſepulchra, talenta non teneant*. Item lib. 6. *Var.* cap. 8. in formula *Comitivæ Privatarum, & ejus excellentiæ*. ſic loquitur: *Ne quis veſtita marmoribus ſepulchra nudaret; ne quis columnarum decorem irreligiosâ temeritate præſumeret*. Cic. etiam lib. 2. *De legibus* id firmat ibi: *Sepulchris nihil eſt apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, neve alienum inferat. Si quis buſtum, aut monimentum, aut columnam violârit, dejecerit &c.* Ex quibus, & aliis auctoritatibus, quæ poſſent facilè adduci, id conſuetudinis apud Romanos fuiſſe inferam, ut ſua ſepulchra etiam columnis ornârint, quarum typos non tradam, cùm tempus vel eas confregerit comminueritque, aut aliò eædem tranſlatæ fuerint. Quæ vidimus huc uſque monimenta, civium, ſeu medii ordinis fuêre ſepulchra: infimæ enim conditionis hominibus funerandis loca publica fuiſſe cenſeo, in quibus ſingularum ollæ oſſuariæ vel cinerariæ collocabantur. Sicuti olim campus erat, in quo mons Teſtaceus aſſurgit, quem ego ex confractis ollis oſſuariis compactum auctumque in eam molem creviſſe puto: nec ſolidis conjecturis deſtituor; cùm enim hyemalis glacies fictilia vaſa ſub Dio expoſita ſæpè ſæpius frangat, cumq; fictiles urnæ ſeu amphoræ cinerariæ, ſacræ à Gentibus putarentur, ex eo credam Gentiles, cùm diſruptas eaſdem viderent, ac miſerarentur, decreviſſe teſtas fragmentaque, omnia in unum coacervanda, acervumque ex innumeris teſtarum particulis eo loci erigendum, quibus tandem immodicè aggeſtis mons ille ſurrexerit. Plurimas alias conjecturas afferrem, ſed quia brevitati ſtudeo, alibi, prout occaſio ſe ſe offeret, opportunè reponam.

Hactenus Romanorum ædificia præmiſimus, quæ molium ſepulchralium ſtructuram reſpiciunt: exquirere modò ſubeſt, quænam & qualia ſepulchra fuerint à priſcis Chriſti Fidelibus, tam graſſante perſecutionum turbine, quàm redditâ pace Eccleſiæ, uſurpata.

Pro quo, repetenda quæ initio hujus Capitis dicta ſunt: nempe Nationes finitimas ſæpè ſæpius ritus moreſque ſe ſe invicem edocere, edoctaſque conſtanter pro ſuis aſſerere. Quamobrem Chriſtiani cùm viderent, quòd in Fide commilitones adeò acriter pro Chriſti lege pugnabant, ut nullus omnino pavor aut cruciatus, nullâve acerbiſſima mortis ſpecies terrere eos poſſet, quin alacri animo pro Redemptore glorioſiſſimè occumberent; ideo pro memorabili eorum virtutis conſtantia, mirâ pietate, clanculùm plerumque ob timorem tyrannicæ poteſtatis, eorundem cadevera, vel iiſdem in locis, ubi Martyrii coronam receperant, vel alibi, prout opportunum fuiſſet, ſepeliebant. Hinc, eo quòd tam de mundi, quam de tartareis tyrannis

rannis palmam tulerant, ac triumpha-verant, ne eorum memoriam tempo-rum ingluvies abſorberet, Romanos æmulati, ſuper eiſdem locis humilia conſtruxêre ædificia, quæ Memoriæ, ſive Sedes, Conciliàve Martyrum, ſive Martyria, Confeſſioneſque, vel Con-ditoria dicebantur, de quibus fuſiùs alibi.

Et primò cur *Memoriæ* dicta fue-rint, doctiſſimè S. Auguſt. *De cur. pro mort. geren.* cap. 4. ſic cauſſam expo-nit: *Sed non ob aliud vel Memoriæ, vel Monimenta dicuntur ea, quæ inſi-gnita ſiunt ſepulchra mortuorum, niſi quia eos qui viventium oculis morte ſubtracti ſunt, ne oblivione etiam cor-dibus ſubtrahantur, in memoriam re-vocant, & admonendo faciunt cogita-re: nam & Memoriæ nomen id aper-tiſſimè oſtendit, & Monimentum, eo quòd moneat mentem, ideſt admoneat, nuncupatur.* Idemque Auguſtinus *Pſal.* 48. hæc argutè expendit: *Pompa eſt funebris, excipitur ſepulchro pretio-ſo, involvitur pretioſis veſtibus, ſepe-litur unguentis & aromatibus, dein-de Memoriam qualem habet, quàm marmoratam! vivit in ipſa Memoria ille, ubi mortuus eſt.* Et paullò infe-riùs ſic: *Quando cogitat ſibi Memo-riam marmoratam, aut exculptam facere, quaſi de domo æterna cogitat, quaſi ibi maneat ille dives*, quem ri-tum ædificandi ſepulchra in memoriã mortuorum, apud omnes nationes in uſu fuiſſe, jam ſupra ſatìs oſtendi-mus, paſſimque apud ſupracitatum Gruterum in ſua magna Epigramma-tum collectione, inſcriptiones legun-tur, in quibus de Memoriis fit mentio, ac preſertim pag. 488. num. 8. ubi ſe-quens affertur ſepulchralis inſcriptio.

D M
ET
MEMORIAE. AETERNAE
Q. VIREI. LAVRENTINI
IIIIII. VIRI. AVG. C.C.C. AVG.
LVGVDVNI
HOMINIS. INCOMPARA
BILIS. ET. VIREIAE. ATHE
NAIDI. CONIVGI. EIVS. MEMO
RIAM. QVAM. LAVRENTINVS
CONIVGI. KARISSIMAE. FE
CERAT. VIR EIVS. ATHENA
GORAS. FILIVS. EORVM
EVNDEM. LAVRENTINVM
CVM. CONIVGE. COLLOCA
VIT. ET. SVB. ASCIA. DEDICA
VIT.

Item pag. 827. num. 8. apud eun-dem ſic legimus:

SERVILIVS. TROILVS
SE. VIVO. COMPARAVIT
MEMORIAM. SIBI. ET. SVIS. ET
CONIVGI. SVÆ. VLPIÆ. SVCCESSÆ
ET. FILIS. SVIS. QVI. VIXIT. CVM. EA
CONIVGE. ANN. XIIII. MENS. VIII.
IPSE. AVTEM. VIX. ANN. XXXIIII.
MEN. V. ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQVE POSTERISQVE.

Hæc vox *Memoriæ* paſſim antiquiſ-ſimi Chriſtiani uſurpârunt, ut Auctor eſt *Liber Pontificalis* in vita Anacleti ubi ſic: *Hic* (ideſt Anacletus) *Memo-riam B. Petri conſtruxit & compo-ſuit, dum Præsbyter factus à B. Petro, ſeu alia loca, ubi Epiſcopi reconderen-tur ſepulturæ: ubi autem & ipſe ſepul-tus juxta corpus B. Petri.* Pariformi-ter in eodem in Felice I. ſic legitur: *Hic conſtituit ſupra ſepulchrum & Me-morias Martyrum, miſſas celebrari.* Ex quo patet univoca vocabuli uſurpatio apud Ethnicos & Chriſtianos. Con-firmatur idem ex Lucifer. Calaritan. *Pro S. Athanaſio* lib. 2. in max. Bibl. PP. to. 4. *Tu autem eſſe ex illis hinc intelligeris, quòd cùm ſis Memoriam Martyrum Beatorum inſtaurans, ta-men ſervorum unici filii Dei cruorem fundens &c.* Item ex S. Auguſt. con-

tra

tra Fauſt.Manich.lib.20. c.21. ibi: *Populus Chriſtianus Memorias Martyrum religiosâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus, quamvis in memorias Martyrum conſtituamus altaria*, Et item lib.22. *de civit. Dei* c. 10. ſic loquitur: *Nos autem Martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed Memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum & noſtro ſacrificium immolamus*. Conſtat quoque hujus vocis uſus apud S. Paulinum Epiſt.13. *Ipſum tempus ante meridiem in votis noſtris (quorum curâ veneramus) per Apoſtolorum vel Martyrum ſacras Memorias conſumentes*. Affluunt inſuper hac voce collectanea *De vitis Sanctorum* apud Bollandum, qui candidè & ſedulò, nullis adulteratis immutatiſque, ſed primigeniâ Scriptorum veterum phraſi omninò retentâ, conſpicua volumina congeſſit. Occurrit primò locus in S. Claro Abbate Viennenſi ad 1. Januarii cap. 1. to. 1. ibi: *Accidit quippe, ut puer matrem orbatam marito haberet, quæ devotè ad Memorias SS. Martyrum apud Viennam ſubinde orandi gratiâ occurrebat*. Secundò, in vita S. Rigoberti Epiſc. Remen. ubi narratur, quòd Sanctus hic *in Vaſconiam Regionem ſeceſſit, ibique exulando multas ſanctâ indefeſſus intentione, Sanctorum Memorias luſtravit, poſteaque ad Memoriam S. Mauritii ſe contulit*. Conſtat itaque ſatìs abundè de præfatâ Memoriarum notione apud antiquos: ideò ad alias voces enucleandas accedam, nimirum Sedes Martyrum, Concilia Martyrum, & Martyria.

De voce *Sedis* fit mentio in l. 6. *De Sepulchr. viol.* in Cod. Theod. ubi Apoſtolorum & Martyrum ſepulchra *Sedes* appellantur: & apud Ammian. Marcell. lib.22. cap.11. ut ſcribit eruditiſſimus Gothofred. ad d. l. 6. ubi ſupra *Cineres* (inquit Marcellinus) *projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectæ ſupremis (ideſt reliquiis) Sedes illis extruerentur*. Imò & apud Ethnicos, purioreſque Latini ſermonis latices, ut Virgilianum hoc docet Æneïd. 6. 328.

*Quàm ſedibus oſſa quiêrunt.*

tum quoque inferius n. 731. clariùs

*Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.*

Concilia autem Martyrum, ac Martyria, Confeſſioneſque appellata fuiſſe hæc ædificia, teſtatur Baron. in *Martyrol.* ad diem 23. Junii in verſ. *juxta Martyrum Concilia*. Et ad diem 6. Julii in verſ. *cur ad Confeſſionem*; ubi ſcribit, Martyrium nîl aliud importare, niſi locum in quo Martyr tumulatus eſt, ut habemus ex l.7. *De Sepulchr. violat.* in Cod. Theod. quo loci maximè ad rem plura cumulat laudatus Gothfredus: hi ambo terrarum orbi celeberrimi viri notant, haud ſemper *Martyrium* ſonuiſſe præcisè locum, in quo Martyris oſſa jacerent, ſed non rarò totam ipſam Eccleſiam importâſſe: & habemus Concil. Chalcedonen. ubi ſæpè de Martyrio S. Euphemiæ fit mentio, ideſt de Eccleſia. Aperto ſtylo loquutus eſt Valafrid. Strab. *De reb. Eccl.* cap. 6. *Martyria* (inquit) *vocabantur Eccle-*

*ſiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum ſiebant*. Et alii paſſim, ac præſertim Euſebius.

Pro altaribus autem Confeſſiones acceptas, plurimis oſtendit Codex Pontificalis, & primo in Hilar. ubi ſic: *Hic fecit Confeſſionem S. Joannis Baptiſtæ, & Confeſſionem S. Joannis Euangeliſtæ, in Oratorio S. Crucis fecit Confeſſionem, ubi lignum Dominicum poſuit &c. fecit ex argento in Confeſſionem januas.* Item in vita Xyſti: *Hic fecit Confeſſionem Beati Laurentii Martyris cum columnis porphyreticis, &c.* Pleraque loca ibidem legi poſſunt, ubi ſæpiſſimè Lector hanc vocem offendet, qua Caſſiodorum quoque uſum inveni lib. 10. epiſt. 2. ubi ſic: *Tenemus aliquid Apoſtolorum proprium, ſic peccatis diuidentibus non reddatur alienum, quando Confeſſiones illas, quas videre univerſitas appetit, Roma feliciter in ſuis finibus habere promeruit*. Atque hæc de his vocibus ſatis; de aliis porrò ſepulchris, nimirum Monimentis, Conditoriis, Oratoriis &c. cùm notiſſima ſint, ſiluiſſe, ne nimiâ prolixitate tedio eſſem, conſilium fuit.

Cum itaque noſtri inſtituti ſcopus ut plurimùm eò vergat, ut ea quæ ſcribimus, emblematibus, ſi fieri poteſt, comprobemus; hinc multis revolutis Codicibus, nullum tot inter ac tantos inveni, qui mihi illa ullatenus indicaret: hoc mecum ideò ſtatui, non ſolùm omnes Urbis Eccleſias perquirere, verùm & exteras amicis perluſtrandas committere: cumque inter alias quidquid Muſivorum operum in Urbe Ravennatenſi reperiretur antiquum conſpicuumque configuratum habere curáſſem, nonnulla tranſmiſſa fuêre exemplaria fide digniſſima, inter quæ celeberrimum Tholus Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ *in fonte* appellatæ, quòd ſcilicet vetuſtiſſimus fons baptiſmalis inibi ſit. De hac Eccleſia, ejuſdemque Muſivis operibus agemus inferiùs; hic tantummodo de ejus fundatione figuriſque in Tholo expreſſis ſermo erit, ut validiùs conjecturas fulcire poſſimus.

Templum hoc adeò vetuſtum ac venerandum eſt, ut è memoria hominum ejus Auctor exciderit. Conſtat tamen, Neonem Præſulem Ravennatem ad ann. 451. illud inſtauráſſe, idemque etiam Muſivis figuris ipſam Eccleſiam ornáſſe creditur, ut conjici probabiliter poteſt ex infraſcriptis carminibus ab Hieronymo Fabri in ſuis *Mem. Sac. Raven.* relatis.

*Cede vetus nomen, novitati cede vetuſtas*
*Pulchrius ecce nitet novitati gloria fontis*
*Magnanimus hunc namque Neo, ſummuſque Sacerdos*
*Excoluit, pulchro componens omnia cultu.*

Icones in tholo expreſſæ id ordinis habent. In ipſius centro repræſentatur baptiſmus Chriſti in Jordane, & circum undique per circumferentiam Apoſtoli. In exteriori ambitu prope Apoſtolos nonnulla veluti altariola indifferenter ornata cernuntur, ut in Tab. XLIII. ex quibus id me confirmare poſſe cui dubium, quòd ſupra de memoriis, ſive Martyriis prælibavi, aſſerens, priſcos Chriſticolas exemplo Ethnicorum ſepulchra SS. Martyrum columnis aliiſque ornatibus cohoneſtare conſueviſſe? Patet hoc ex Fig. prima, per quam Martyrium,

ſeu

ig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3



Fig. 4.



ſeu Martyris ſepulchrum delineatum eſt: index eſt infallibilis palma in medio altaris aſſurgens, quâ nullum Martyrii ſymbolum aptatius. Altaris à tergo florum corona conſpicitur, quæ etiam Martyrii coronam innuit; nî potius id Gentium more factum dicamus, qui coronis floribuſque monimenta ſpargebant.

Tertius iconiſmus videtur cum primo penitus convenire, ſi palmam excipias, cujus loco ſunt veluti lilia, quæ fortè ſepulchrum Virginis denotant, vel ſaltem Confeſſoris, non autem Martyris.

Secunda Figura valdè diſcrepat; exprimitur namque in ea veluti loculamentum in muro, non uno modo perornatum: in cujus centro protenditur altare ad inſtar menſæ pannis contectum, duabuſque gemmatis faſciis A. B. ab eo pendentibus: ad pedem altaris jacet parvulum, demiſſumque ſuppedaneum C. tribus gemmis emicans: in frontiſpicio ſuper aram producitur magnum involucrum D. cui ſupereminet in orbiculo Crux E. Hîc, ſi hariolari liceat, molem hanc hieroglyphicam exiſtimarem, connotantemque alicujus Pontificis Maximi, ſive Epiſcopi Monimentum. Hanc mihi ſpeciem excitavit Ammian. Marcellin. lib. 16. cap. 8. ubi de quadam muliere narrat, quòd ab amaſio illecebris capta & impulſa maritum de furto accuſaverit, quòd velum purpureum è ſepulchro Diocletiani avulſum occultâſſet: en in gratiam Lectoris, Ammiani verba: *Is, ut loquebatur jactantiùs, verſabilem feminam poſt nefandum concubitum periculoſam in fraudem illexit: ſuaſitque conſarcinatis mendaciis, læſæ majeſtatis arceſſere maritum inſontem, & fingere quòd velamen purpureum à Diocletiani ſepulchro furatus, quibuſdam conſciis occultabat.* Quem locum notis illuſtrat Henric. Valeſius, qui velamen purpureum notum olim certiſſimumque conſecrationis indicium fuiſſe tenet. Lindenbergius etiam in notis ibidem, fuſiùs pretioſiſſimis veſtibus ornata cadavera antiquitùs comprobat: unde infero; ex eo quòd Imperatorum Procerumque cadavera purpurei velaminibus contegi conſuetum eſſet, id moris ad Chriſtianos fluxiſſe: ut allata monimenta nos docent; ſimilibuſque integumentis eoſdem Chriſti fideles tam Pontificum quàm Epiſcoporum fato functorum corpora, eiſque dum juſta perſolverentur, condecorâſſe. Cujus rei ſignum luculentiſſimum & argumentum, quod omnem hæſitationis nebulam diſſipet, ac diſſolvat, Ccux eſt, loculi in culmine expreſſa, quæ Pontificiæ dignitatis præcipua nota videtur: Pontificum quippe & Antiſtitum eſt, Crucem ante pectus præferre, quam Græci *Encolpium* vocitant. Conſuetudinem hanc antiquiſſimã probat Du Sauſſay in ſua *Panoplia Epiſcopali* lib. 4. Id etiam deducitur ex Ciaconio primæ editionis in vita Hilarii Papæ, qui vixit anno 461. & ſic Muſivo huic operi S. Joannis in fonte Ravennæ ſinchronus fuit: Crucem hîc tam ſimplicem, quàm gemmatam pro ſigno Pontificię Majeſtatis uſitavit; eandemque inde poſteriores Pontifices Honorius videlicet I. Severinus I. Joannes IV. Donus, & alii, pro ſimili nota uſurpârunt.

Inſuper (quod magìs ad rem facit) adhuc hodie in Vaticana Baſilica funebre ſtragulum aſſervatur, ſeu emor-

tuale, quo priſci Fideles SS. Martyrum cadavera cooperire ſoliti erant, quum ad ſepulchra deferebant, ut notat Turrig. in ſuis *Cryptis Vatic.* par. 2. pag. mihi 123. Unde non abit à veriſimili, ſi velamen illud in figura expreſſum, ſimile ſtragulum nobis indicare credatur. Sed jam ad Memorias redeamus.

Has etiam *Altaria* vocitatas invenio in Can. 83. Eccleſiæ Africanæ apud Juſtell. ſic: *Item placuit, ut* Altaria, *quæ paſſim per agros, & per vias, tanquam Memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur ab Epiſcopis, qui locis ejuſdem præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur, ſi autem hoc per tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneatur, nè illa loca frequentent; ut qui rectè ſapiunt, nullâ ibi ſuperſtitione devincti teneantur, & omnino nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicujus habitationis vel poſſeſſionis vel paſſionis fideliſſimâ origine traditur; nam quæ per ſomnia & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, ubicunque conſtituuntur* Altaria, *omni modo improbentur.*

In quarta Figura ſub eadem Tab. XLIII. aliam *Martyrii* iconem produxi, quæ *Confeſſio* ſolet denominari, depromptam ex ſuo prototypo, qui adhuc hodie Romæ integer manet in antiquiſſimo SS. Petri & Marcellini templo apud Lateranum, quod titulo Cardinalitio Gregorius Magnus inſignivit, & in eo ſextam ad populum Homiliam habuit. In hac Confeſſione viſitur ſub altari, prout in aliis antiquis Urbis Eccleſiis, quædam feneſtra, & introrſum veluti ædicula, in qua Martyris corpus jacere aſſeritur, ex antiquo Eccleſiæ uſu, ſecundùm illud Apocal. cap. 6. *Vidi ſub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant.* Cadit quoque in hunc Confeſſionis iconiſmum, obſervandum columnarũ epiſtylium ornatiori elegantiâ fabrefactum: recurrit namque ſupra idem veluti columellarum porticus, quibus ſuper attollitur tympanus: ex quo ornatûs genere illud eruo; priſcos videlicet Chriſti fideles animo habuiſſe, ut Martyris corpus attumulatum, ſi non magnâ, ſaltem parvâ compendiosâque Baſilicâ, in Martyrii tropæum honoraretur: Gentes enim extruere porticus circa Baſilicas conſueverunt, ut demonſtravimus ſupra in cap. 1. ubi de ordine *Peripteros* ſcripſimus.

Hæc ædicula quatuor ſuffulta columnis fuit, & *Ciborium* nominata, cujus vocis etymon variis agitatur diſſidiis inter eruditos: ego tamen, omiſſis aliorum votis, *Ciborium* dictum eſſe cenſeo à ſacro cibo, qui in ſacra menſa, nempè altari, aſſervatur; unde pyxides *Ciboria* fuiſſe vocata notamus. Vox hæc *Ciborium*, de qua fusè Du-Cange in ſuo *Magno Gloſſario*, ac in ſua *Conſtantinopoli Chriſtiana* n. 57. tum recens Hofmannus in ſuo *Lexico univerſali*; redolet media tempora, quibus religioſiſſimè cuſtodiri in Eccleſiis ſacroſanctam Euchariſtiam uſu ceptum eſt.

In Tab. XLIV. tres notâ ſpeciali dignæ Figuræ occurrunt. Prima Confeſſio eſt, quam cernimus etiam hodie in Eccleſiâ S. Clementis, ac ſupra Tab. VIII. indicavimus: modò eam in amplio-

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

TAB XLIV



tuale, quo priſci Fideles SS. Martyrum cadavera cooperire ſoliti erant, cum ad ſepulchra deferebant, ut no-

ſtra, & introrſum veluti ædicula, in qua Martyris corpus jacere aſſeritur,

TAB XLIV




pag. 181.

Homiliam habuit. In hac Confeſſione viſitur ſub altari, prout in aliis antiquis Urbis Eccleſiis, quædam feneſtio eſt, quam [illegible]nimus etiam hodie in Eccleſiâ S. Clementis, ac ſupra Tab. VIII. indicavimus: modò eam in amplio-

pliorem formam redactam hîc exhibere decrevimus, ut Lector faciliùs hunc pervetuſtum Confeſſiones ſtruendi modum percipiat, cùm hæc parum diſcrepet ab illa SS. Petri & Marcellini, atque eidem tempore æqualis ſit.

Sepulchrales hæ moles labentibus annis cœperunt non nihil mutationis perpeti, cùm in ſacrorum lipſanorum cuſtodiam adhibitę fuerint. Hîc Romę plurimas hujuſcemodi conſtructiones vidit præteritum ſæculum, quæ jam demolitæ ſunt : vidiąue egomet adoleſcens unam in Laterana Baſilica ante Innocentii X. S. mem. reſtaurationem. fuit & alia nonnullis ab hinc annis demolita in Eccleſia S. Mariæ in Porticu, quæ ad pręſens à fundamentis à fel. mem. Innocentio XI. Pontifice Maximo regnante conſtruitur : itidem & alia in Eccleſia S. Mariæ in Campitello, quæ cùm disjecta jaceret, à Senatu Populoąue Romano occaſione voti ob liberatam Urbem à peſtilenti lue anno 1657. reparata fuit ac reſtituta. Conſpexi inſuper Ciborium in Eccleſia S. Alexii, in quo Deiparæ Mariæ Virginis imago ab Edeſſa tranſvecta clauſa colebatur. Viſuntur adhuc duo ſimilia Ciboria, ſi tamen ita eas moles denominare fas eſt, in Baſilica Liberiana, quorum in uno cunabula aſſervantur Domini Noſtri Jesu Christi ; in altero verò multorum Sanctorum ſuprema, ſive exuviæ. Horum ſchemata abſtinui referre, cùm jam ea delineaverit Canonicus de Angelis in ſua Liberiana Baſilica.

Quales fuerint hæ reliquiarum cuſtodiæ meo tempore demolitæ, exemplaria non adduco, cùm eas tranſcriptas fuiſſe non inveniam, præter illam S. Mariæ in Campitello, quam habes in Tab. XLIV. Fig. 3. Cuſtodiam hanc Eminentiſ. & Reverend. Dominus Raymundus S. R. E. Cardinalis Capiſuccus delineare juſſit, cùm à proavis ſuis quatuor ferè ab hinc ſæculis conſtructa eſſet, ut ejuſdem nobiliſſimæ familiæ teſtantur Inſignia ibi expreſſa, ac ut clarius faciliuſque argui poſſit quo tempore hæ conſtructiones in uſu eſſent, breviſſimè enarrationem addam ex vita Cardinalis Joannis Antonii Capiſucci à Paulo IV. recol. mem. purpurâ donati, deſumptam ; ubi Oldoïnus perantiquæ ac nobiliſſimæ hujus familiæ, quæ tam Romæ, quàm Neapoli Galliâ & Germaniâ radices propagavit, varios admodum Illuſtres deſcribit Viros, qui purpurà, armis, aliiſque inſignibus muneribus condecorarunt. Narrat etiam eum in templo D. Mariæ ad Campitellum Lipſanorum cuſtodiam fuiſſe, quam nos vidiſſe recordamur nobiliſſimis marmorum incruſtationibus concinnatam, ubi ejuſdem Familiæ Capiſuccæ inſignia conſpiciebantur opere vermiculato expreſſa, aureum nempe balteum in cærulei coloris areola ibiąue etiam Artificis nomen legebatur, nempe HOC OPUS FECIT MAGISTER DEODATUS, vixit Artifex an. circiter 1290. ut indicat Abbas Conſtantinus Cajetanus in vita Gelaſii II. Romani Pontificis, addens in eodem D. Mariæ templo eandem Familiam antiquum habuiſſe Sacellum anno 1390. dotatum. Hæc idem Oldoïnus ex variis Auctoribus compilavit, quæ hîc in aliorum exemplum annotare duximus, ut diſcant poſteri quanti intereſt antiquas ſervare memorias, nam

tem-

tempus advenit ut ea quæ in tenebris deliteſcunt lucem videant.

Ut autem magìs appareat peculiaris ejuſdem Cardinalis Raymundi diligentia non ſolùm in aſſervandis, verùm etiam in renovandis ſacris memoriis, prætereundum ſilentio minimè duco, præfatum Sacellum unà cum Eccleſia demolitum ſuiſſe. Quare illud in aliam Eccleſiam ſub eadem denominatione, ut diximus, noviter conſtructam, ipſe Raymundus Cardinalis à fundamentis in ampliori & auguſtiori forma, variis etiam marmorum integumentis, nobilibuſque picturis excitavit, ut omnibus intuentibus patet. Quædam verò in eo Sacello inſcriptiones inſculptæ ſunt, quarum duas, vtpote ad ea quæ referimus concernentes, hîc in lectoris gratiam referam. Prima videlicet.

D. O. M.
QVADRATVM
SACRORVM LIPSANORVM
TABERNACVLVM
CVM ADSCRIPTO ARTIFICIS
NOMINE
HOC OPVS FECIT
MAGISTER DEODATVS
QVATVOR AB HINC SECVLIS
A NOBILI CAPISVCCA
FAMILIA
PLVRIBVS EIVS INSIGNIBVS
CVM AVREO BALTEO
IN CAERVLEI COLORIS AREOLA
OPERE MVSIVO
REPRAESENTATIS EXTRVCTVM
PER NOVAM HVIVS TEMPLI
MOLITIONEM EVERSVM
SVI MEMORIAM AD POSTEROS
HAC INSCRIPTIONE
TRANSMITTIT
HOC ANNO M DC LXXXV.

Secunda autem inſcriptio ſic.

SACELLVM HOC DIVO PAVLO SACRVM
IN VETERI TEMPLO S. MARIAE DE CAMPITELLO
A NOBILI FAMILIA CAPISVCCA
DOMICILIVM IN EADEM REGIONE A MVLTIS SAECVLIS
HABENTE CONSTRVCTVM
CELEBRIQVE PRAEDIO NOMINE S. CYRIACI
VIA OSTIENSI SEPTIMO AB VBRE LAPIDE
SVB IVREPATRONATVS EIVSDEM PROSAPIAE DOTATVM
ANNO M CCC XC.
IN HVIVS INNOVATI TEMPLI MAGNIFICENTIORI STRVCTVRA
RAYMVNDVS CAPISVCCVS ORDINIS PRAEDICATORVM
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
DENVO EXTRVXIT, ORNAVIT, ET AVXIT.
ANNO SALVTIS M DC LXXXV.

Secunda Figura formam præſefert aræ majoris in Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin, quæ antiquam ſpeciem aliarum Confeſſionum non retinet, ſed in multis aberrat. Porrò ſuper ſingulis columnis turres campanariæ attolluntur, ac epiſtylium in formam arcûs curvatur, in cujus angulis Annun-

Fig. 1.



Fig 2

TAB XI



Fig. 3.



Fig. 4.



Annunciatio B. Virginis Musivo opificio extructa est. Supra arcum fastigium prominet, & in tympani medio orbicularis fenestra panditur, ac decussato fornicis centro turris alia consurgit, ut ipse delineationis typus instruit. Altaris hujus antiquitatem perlustrans duodecimo sæculo erectum didici ab ejus chronologia; at cùm de illo, deque Ecclesia plura eruditè scribat amicus noster Abbas Bartholomæus Piazza, literariæ Reipublicæ, ob sacras memorias, quas excolit, satìs notus in suo Tractatu *De Titulis Ecclesiarum*, quem vidi, & in lucem propediem est editurus; ideò ulteriori descriptioni parcam, cùm in alienam messem (ut in adagio est) manum, seu falcem immittere, nefas ducam.

Hactenus sensim adduximus, qualiter sepulchra illorumque ornamenta, paucis ablatis, ex una in alteram nationem transierint: nunc verò ostendere cura nobis est, quomodo quodam naturæ ductu, quæ optimum semper appetit, in sepulchris ædificandis, ornatum monimentorum in Martyrum memoriam excitatorum ars æmulata fuerit. Indicat nobis hoc Figura 4. Tab. XLV. quæ est imago sepulchri, extatque in Ecclesia S. Laurentii in agro Verano, seu extra Urbis muros. Conspicitur in eâ Confessionis sive Ciborii forma cum columnis, epistylio, coronide, columellis, tympano, & fastigio, cæterisque ædificii partibus: statque in medio veluti ara, quadratus sarcophagus. In Fig. 3. quæ visitur in Ecclesia S. Alexii de Urbe, estque Eccellentissimæ, ac antiquissimæ Familiæ de Sabellis, apparet alia sepulchri forma, quæ magnam habet affinitatem cum supra adductis, nimirùm altare S. Mariæ in Cosmedin; & lipsanorum custodiâ, quæ erat in Ecclesia S. Mariæ in Campitello. Aliæ duæ icones nempe 1. & 2. virorum illustrium præseferunt monimenta, quæ Basilicæ, seu potiùs Basiliculæ nominabantur, ex eo quòd formam Basilicarum ac speciem redderent, adhuc conspicuæ sunt in porticu dictæ Ecclesiæ S. Laurentii in agro Verano sive extra Urbis mœnia. Vox autem hæc *Basiliculæ* nè alicui abstrusa, novaque videatur, en sæpè laudatus, ac laudandus Du-Cange, qui eruditionem ex lege Salica tit. 58. §. 3. 4. 5. deprompsit, ibi: *Si quis Basilicam super hominem mortuum expoliaverit, triginta solidis culpabilis judicatur*. Notat hìc idem Du-Cange, *Basilicas* eo loci intelligi Magnatum tumulos, quos ad instar ædium sacrarum Basilicarumque extruere mos erat: quorum quoque mentio extat in tit. 71. ubi agitur de mulcta illius, qui Basilicam ausu temerario, aut fortasse per negligentiam incenderit. Ex quibus verbis eruit Du-Cange ejusmodi Basilicas ligneas fuisse, proindeque incendiis obnoxias. Nostra tamen Italia cùm marmoribus affluat, non ex ligno, sed marmore illas ædificare consuevit; ut geminæ jam allatæ confirmant, quæ ex Pario marmore constructæ sunt. *Basiliculæ* vocem mihi exquirenti porrexit S. Paulinus in Epist. 12. ad Severum, ac apud Avitum Viennen. Epist. 6. ubi pro sacello seu oratorio, Basiliculam posuit; quem unum adducere satìs sit, ne de nominibus vocibusq; verba facientes, Lectorem, res ac doctrinam sectantem expectantemque, verbis diutiùs oneremus.

CA-

## CAPUT XX.

*De Ecclesia Sanctæ Agathæ Majoris in civitate Ravennate, ac opere Musivo in ea ab Exuperantio ejusdem civitatis Episcopo, constructo anno circiter CCCC.*

RAVENNA urbs toto terrarum Orbe præcipuâ quâdam ac singulari antiquitatis notâ celeberrima, Romanæ olim urbis in pluribus, præsertim verò in templorum magnificentia ac splendore æmula fuit. Horum autem cùm aliqua adhuc in præsens quà molis suæ structurâ, quà Musivi operis elegantiâ, eximium sui spectaculum, cæterorumque jam dilapsorum illustre testimonium reddant; libuit nobis ea literis demandare, ætatumque omnium oculis tum drscriptione, tum variis iconismis expressa repræsentare. Hâc autem in re maximo mihi adjumento fuit R. P. Cæsaris Pronti ordinis S. Augustini, in picturis versatissimi mira sedulitas, qui non de pictore solùm providit, sed ipsum docuit, quâ potissimùm arte fideliùs Musiva opera delinearentur. Præterea nec parum est, quod debemus R. P. Francisco Brandi, Clerico Regulari Theatino, qui ea loca perlustrans, ubi celebriora Musiva opera nitent, ipsos etiam eorundem Musivorum colores annotavit. Eorum autem omnium schemata, ut instituti nostri est, exhibentur sub Tab. XLVI. & suo quæque loco explicantur. Modò igitur ad Ecclesias hujusmodi Musivorum operum lenociniis illustres describendas gradum facientibus, prior quæ vetustatis ordine servato, nobis occurrat, ea est, quæ S. Agathæ Majoris appellationem sortita fuit.

Hujus templi constructio seu fundatio, à Hieronymo Fabri in suis *Memoriis sacris antiquæ Ravennæ*, vernaculo idiomate fusè describitur, & hîc ex eodem breviùs ac strictim excerpta subjicitur.

Reparatæ salutis anno 378. Sanctus Ursus, ex nobilioribus totius Siciliæ Familiis natus, ad cathedræ Ravennatis regendæ munus evectus fuit: ejus inter potiora pietatis monimenta commendatissimum illud est, nempe omnium bonorum, quæ jure hæreditario in Sicilia regno possidebat, Ecclesiæ Ravvennati ab ipso facta donatio. Unde hæc Ecclesia semper id moris habuit, in eodem Siciliæ regno ministrum constituere, qui Vicarii seu Præfecti titulo ea bona gubernaret, quæ Patrimonium Ecclesiæ Ravennatis appellabantur.

Primus autem qui huic templo excitando animum applicuit, quidam fuisse creditur nomine Gemellus tempore S. Exuperantii, præfati S. Ursi successoris, nempe in principio sæculi V. Hanc verò Ecclesiam splendidè ædificatam, in honorem SS. Virginum ac Martyrum Agathæ & Luciæ dicavit, quæ tamen temporis progressu tantùm Agathæ denominationem retinuit, adjuncto titulo Majoris; fortè ad alterius discrimen, quæ in ea urbe, mole quidem minor, sed sub ejusdem S. Agathæ invocatione, tunc aderat. Nota propterea est veneranda hujus Ecclesiæ vetustas, quæ jam à duodecim circiter sæculis, quo tempore hæc scribimus, adhuc extat. Nominatur etiam Ecclesia ista in vetustis quibusdam

Codi-

TAB. XLVI.

pag. 184.

Codicibus, *Monaſterium*; & ſic appellatam fuiſſe conſtat ex quadam donatione Archiepiſcopi Arnoldi, ſub anno 1018 in qua ipſum Petro Diacono Eccleſiæ Ravennatis, Monaſterium S. Agathæ Majoris contuliſſe narratur. Præterea duo diplomata, quorum unum de Alexandri III. legibus eſt; alterum ad Urbanum IV. ſpectans, hoc eodem titulo *Monaſterii* eam appellant; & inter loca juriſdictionalia Capituli Ravennatis enumerant. Poſtmodum autem Parochialis evaſit, ut fuſius apud eundem Hieronymum Fabri videri poteſt.

Pervetuſtæ hujus Baſilicæ corpus in tres, & quidem ingentes naves, partitur, vigintiquatuor, diverſæ tamen magnitudinis habitâ illarum menſurâ, ex Græco Numidicoque marmore columnis ſuffultas, & in fronte habet abſidem, ſive Tribunam, quæ perantiquo Muſivo opere elegantiſſimè coruſcat. Hujus operis iconiſmum habes in præcitata Tabula XLVI. ubi Chriſti Domini imago eſt, qui throno inſidet gemmis undequaque conſpicuo; aperta dextera benedicere, ſeu potius loqui, ac docere videtur, lævamque codici ſuperimponit, qui ſiniſtro ejus genu innititur, & Evangeliorum volumen repræſentat. Ejus pallium, quod violaceum colorem refert, rubeum veluti ſuboſcurum adumbrantem, hoc monogrammate inſignitur: Caput pretioſi diadematis nimbo coronatur, in quo gemmea Crux eſt: ſcabellum, quod Salvatoris pedibus premitur, duos gradus habet, gemmiſque uſque ad cathedram circumfulget. Ab utroque ipſius latere in quodam velut prato liliis roſisque interſepti ſtant duo Angeli, & alas expandunt: eorum autem qui ad lævam Salvatoris eſt, dexteram manum in pectus inflectit, ſiniſtra pallium elevans, ſimul cum baculo, ſive arundine aurea: alter verò dextram elevatam perinde ac ſi benediceret. attollit, ac ſiniſtrâ baculum ſive arundinem auream tenet: ambo ſimplici diademate coronantur: ambo tam pallio, quàm veſtibus albi coloris induti ſunt. Parva ſtola, auroque nitens è dextro Salvatoris humero pendet. Idem viſitur in Angelis colore ſolummodo excepto, quia ſtolas habent albas. Demum proſpectus, ſive totius Tribunæ campus lucidè auri ſcobe conſperſus undequaque oculos raperet, ni quædam lacunæ oſtenderentur, quæ elapſis, ævoque dejectis lapillis, calce oppletæ ſunt. *De baculo*, ſive arundine, quam Angeli in hoc Muſivo opere expreſſi manu tenent, diximus ſupra in Capit. XV. *De baculis*. Licèt de certo tempore conſtructionis Muſivi operis apud Scriptores non conſtet, nec aliunde expiſcari poſſit, apparet tamen ex gemmato, & in formam Crucis diademate, gemmatoque ſolio, ac Angelis cum baculis circa Chriſtum Dominum noſtrum aſtantibus, ac monogramma in veſtibus habentibus, vetuſtiſſimum eſſe opus, ac ipſa redolere tempora ædificationis ipſius templi, ſcilicet principium V. ſæculi, ut conferri poſſunt figuræ cum illis Liberianiæ Baſilicæ, infra afferendis.

## CAPUT XXI.

*De Muſivis operibus in Eccleſia S. Sabinæ à Cæleſtino I. Summo Pontifice Anno circiter 424. conſtructis ; ejuſdemque Eccleſiæ antiqua fundatione.*

MULTA quidem tempori beneficia deberemus, à quo maximum rebus pretium, hominibuſque nomen accedit, niſi plura ex his injurioſâ nimis edacitate corrumperet & abſumeret. Fertilis ævi fructus hiſtoriæ ſunt, quibus profectò neque utilius quid foret, ſi ad nos integri & incolumes pervenirent. At malo quodam ætatis genio fit, ut quæque antiquiora caligine graviori involvantur, à qua eadem neque provida cura Scriptorum, nec vigilantia nepotum, eximere & expedire ullatenus poteſt. Porrò has tenebras ut in tota de Muſivis operibus, deque erectionibus Eccleſiarum tractatione, tum peculiariter in Eccleſia præſenti S. Sabinæ experimur. Vitio etenim ſæculorum, & ejus de fundatore ambigitur, & de operibus vermiculatis, quibus tota ornabatur, nihil ad nos niſi tenue veſtigium & grande deſiderium relictum eſt; quòd vel explebitur, vel incrementa ſuſcipiet, ſi præmiſſis aliquibus circa templi hujuſcemodi fundationem, Muſivorum reliquias propoſuero, & conatus fuero explicare. Marlianus in ſua *Topographia Urbis Romæ* lib. 4. cap. 4. Appiani auctoritate ſubnixus; aſſerit, ædem B. Sabinæ nunc eſſe, ubi olim fuit Dianæ templum. Contrarium tamen Donatus in ſua *Roma* lib. 3. cap. 13. exiſtimat, non Dianæ, ſed Deûm Reginæ Junonis Fanum ibi extitiſſe. Pancirolus verò in ſuo tract. *De Urbis Eccleſiis*, in IX. Regione, & cap. 8. Eccleſiam S. Sabinæ Palatium ejuſdem olim fuiſſe arbitratur, quod in oratorium à Fidelibus verſum, & SS. Sabinæ & Serapiæ ejus hoſpiti ſacratum, poſtremò in Eccleſiam à Magno Conſtantino redactum fuerit. Verùm hæ meræ ſunt conjecturæ. Certi neſcio quid indicat in eadem Eccleſia inſcriptio quædam, palmaribus literis fundatorem fuiſſe aſſerens Petrum natione Illyricum, & ipſius Cardinalem Titularem, quam huc fideliter retuli, ac etiam in annexo picturæ exemplari, ubi characteres imitatus ſum: inſcriptio hæc eſt:

*Culmen Apoſtolicum cùm Cæleſtinus haberet,*
*Primus & in toto fulgeret Epiſcopus Orbe,*
*Hæc quæ miraris fundavit Presbyter Urbis,*
*Illyrica de gente Petrus ; vir nomine tanto*
*Dignus, ab exortu Chriſti nutritus in aula,*
*Pauperibus locuples, ſibi pauper, qui bona vitæ*
*Præſentis fugiens, meruit ſperare futuram.*

Hanc Eccleſiam à ſupradicto Petro fundatum fuiſſe legimus in Libro Pontificali, ac Vita Xyſti III. ubi ſic: *Hujus temporibus fecit Petrus Epiſcopus Baſilicam in Urbe S. Sabinæ, ubi & fontem conſtruxit.*

In hac autem Hiſtorici narratione duplex error animadvertendus eſt. Primus cùm Xyſti III. temporibus ædifi-

ædificatam Eccleſiam referat; quod inſcriptioni prædictæ repugnat : ex ea namque prædeceſſoris illius tempore conſtructa videtur : ſecundus, cùm Petrum ejus fundatorem, Epiſcopum dicat, & tamen in deſcriptione Presbyter urbis appelletur, & urbis Presbyteri non Epiſcopi erant, ſed Parochi : unde igitur Petrus Epiſcopus ?

Ipſa quoque inſcriptio notanda eſt, quæ ab eodem Petro poſita minimè fuit, cùm recta prudentiæ ratio nemini ſibi ipſi laudem dare permittat, nam : *Laus in ore proprio ſordeſcit.* Proverb. 27. Legitur autem : *Petrus vir nomine tanto dignus, &c. Pauperibus locuples, ſibi pauper.* Quare elogium certè ipſe Petrus nunquam appoſuit, ſed ejus ſucceſſor, qui etiam opus abſolvit, cùm ille fortaſſe morte præventus ultimam ei manum imponere non potuerit. Nec etiam incongruum reor aſſerere, elogium illud aliquem ex reſtauratoribus, quas infra referam, appoſuiſſe,

Prætereunda etiam non eſt alia obſervatio, videlicet Petrum iſtum egregium atque ſublimem virum, fuiſſe ex gente Illyrica, ac in Patriarchio Lateranenſi, aut aliquo ex alibi narrandis Monaſteriis apud Vaticanam Baſilicam conſtructis, educatum; ut colligitur ex verbis : *Chriſti nutritus in aula*: Per *aulam* enim *Chriſti* unum ex dictis locis intelligo Romæ exiſtentibus, quæ *Chriſti aula* dici poteſt, cùm in ea Chriſti Vicarius reſideat. Conjecturam hanc educo ex Pontificali Libro, ubi legimus plurimos Pontifices ex iiſdem locis ad Petri cathedram regendam evectos fuiſſe, ut de Benedicto II. Gregorio II. Stephano III. Paulo I. Leone III. & aliis pluribus.

Majori tamen animadverſione dignum ſecundum carmen exiſtimo, nempe :

*Primus & in toto fulgeret Epiſcopus Orbe.*

iſta enim vox *primus* Pontificum ordinem haud reſpicit, ita ut Cæleſtium ejus nominis primum fuiſſe, inſinuet, cùm hoc à veritate prorſus alienum ſit. Nominibus enim numerus non apponitur : niſi quum ſuperveniat aliquis ejuſdem nominis, & hoc ad diſtinctionem, quæ utique in primo neutiquam eſt adhibenda, cùm ſecundus à quo differat, haud inveniuntur · Hìc igitur vox *Primus* ad alteram vocem *Epiſcopus* referenda eſt, ita ut Cæleſtinus primus ac maximus Epiſcopus dicatur, qui in toto Orbe fulgeret. Idque jure optimo expreſſum fuit : nam Cæleſtinus I. per univerſum Chriſtianum Orbem ampliſſimam ſui nominis famam diffudit, ob celebre, ac univerſale Concilium Epheſinum, eo jubente habitum, in quo impia Neſtorii hæreſis damnata fuit. Ex dictis igitur, quis unquam fuerit, qui Romani Pontificis Primatum à treſdecim circiter ſæculis palmaribus literis expreſſum fuiſſe, omnium oculis expoſitum non eliciat?

At mihi à quibuſdam objici ſtatim audio, hæc pauci, ac nullius momenti eſſe, quoniam Muſiva opera ab aliquo ex reſtauratoribus facta fuerunt, atque ideò tempora ipſi Cæleſtino poſteriora redolere : propterea, que eam vocem : *Primus*, numerum Pontificis ejuſdem nominis denotare. Sciant, reſpondeo, hi, nominis hujus Pontificem non reperiri niſi in ſæculo

XII. quo tempore ſacræ picturæ cum diadematibus exprimebantur, quibus figuræ in noſtro Muſivo opere expreſſæ penitus carent; ſicque vetuſtiſſima erunt. Præterea Muſivum opus rude eſt, ſi ea reſpicias, quæ ſub XII. ſæculo conſtructa fuêre; prout etiam rudes ſunt imagines, quæ quandam venerabilem intuentibus antiquitatem præſeferunt. Inſuper, ſi opus XII. ſæculi eſſet, ejus profecto hiſtoriam haberemus, nec in oblivionis tenebris obvoluta jaceret; ſicuti etiam, quiſnam iſte Petrus fuiſſet haud ignoraremus; in ſæculo XII. omnes Cardinales qui electioni Cæleſtini II. interfuêre, à Caconio referuntur, quos inter nullus uſquam Petrus Tit. S. Sabinæ invenitur. Prout etiam inter Cardinales ab eodem Cæleſtino II. creatos non legitur.

Hanc veritatem, quòd hæc vox *Primus*; Primatum inter Sacerdotes denotet, confirmo ex præfatione Miſſæ, in die natalis S. Xyſti Papæ urbis Romæ, quæ legitur in Miſſale Gothico à ſæpè laudato Joſepho Maria Thomaſſio in lucem edito pag. 367. & iterum impreſſo etiam à laudato viro D. Joanne Mabillonio in ſua *Liturgia Gallicana* lib. 3. pag. 276. ubi ſic: *Verè dignum & juſtum eſt, &c. Ex quibus eſt ſanctus ac venerabilis Xyſtus Martyr; cujus hodie ſolennitas celebratur: qui dum Apoſtolicæ Sedis excepiſſet inſignia, & ſe* primum *eſſe conſpiceret Sacerdotum, &c.*

Hanc eandem Eccleſiam an. 795. Leo III. reſtauravit, ut notat Bibliothecarius in ejus vita, qui *ſimiliter* (ait) *& Titulum S. Sabinæ ſtudiosè renovavit, in quo idem egregius Præſul fecit ex argento coronas quinque, &c.*

Poſtea Eugenius prius ejuſdem Eccleſiæ Titularis in Pontificem lectus an. 824. Picturis illam ornavit, quarum adhuc veſtigia ſuper columnarum epiſtylia videntur. Colligitur ſuper totam Eccleſiam fuiſſe non ſolùm picturis, verùm etiam vermiculatis operibus decoratam, ut ex murorum concatenationibus, quas in angulis propè majorem Portam ſedulò & accuratè cum præmemorato Joanne Lucio obſervavi; & vterque examinavimus: hodie verò deſtructæ ſunt novæ reſtaurationis cauſsâ ſub annum 1683.

Quòd Eugenius Eccleſiam ornaverit, ſic teſtatur Liber Pontificalis in ejus vita: *Tenuit autem Presbyteratûs ſui tempore Eccleſiam Beatæ Sabinæ Martyris, poſitam in monte Aventino, quam Deo diſpenſante poſt Pontificalem ſibi attributam gratiam, ad meliorem cultum perduxit.* Nec defuêre alii Pontifices & Titulares, qui eandem reſtaurârunt; quos vide apud alios; mea namque unica intentio, de antiquioribus reſtaurâtionibus agere ad earundem antiquitatem probandam.

Reliquias inter Muſivi operis, quæ ſuperſunt; eſt arcus Tribunæ, ut in Tab. XLVII. cui quindecim orbes incumbunt, ac aliorum duorum veſtigia apparent, quorum ſingulos implet togati viri facies & pectus, quales imagines Cæſarum in numiſmatibus eſſe ſolent.

Medium in arcûs faſtigio orbem obtinent Chriſti Servatoris effigies. Icones reliquæ, cùm nullam præſeferant teſſeram peculiarem, præter tunicam, quoſnam referant viros dubium faciunt, quod ego ab exemplari hîc appoſito, minus occupato Lectori ſolven-



TAB. XLVII.

pag. 188.

ſolvendum relinquo. Adhærent hic inde orbium lateribus duæ civitates, utraque portis patentibus, quarum ex arcu tres lampades pendent, figurâ partim rotundæ, partim quadratæ. In portæ quidem, reſpectu intuentis, dexteræ medio, lampas eſt formâ rotundâ, aliæque duæ quadratâ. In ſiniſtra verò è contrario, media quadrata eſt, laterales rotundæ: ſingulis autem in medio ineſt orbiculus.

Nec ſuo carent myniſterio hæc hieroglyphica: nam & in diverſis aliis Muſivis operibus ambæ hæ civitates, quæ Bethleem, & Hieruſalem denotant, conſpiciuntur, licèt eundem ubique locum non teneant: in aliqua namque Tribuna Hieruſalem dexteram, in alia ſedem ſiniſtram obtinet, ad arbitrium profectò Pictoris, vel Muſivarii. Sed ne ullâ explicatione intentatum hujuſmodi ſacrum emblema relinquam, meas aliquas conjecturas adjiciam.

Bethleem, & Hieruſalem duo ſunt fontes, è quibus humani generis ſalus prodiit. In Bethleem enim ſalvator noſter JESUS Chriſtus natalia ſortitus eſt: in Hieruſalem verò primò verbum ſalutis annunciavit, poſtmodum mortem ſubiit. In Bethleem Dauid, qui Chriſti typus & pater fuit, ut ex Luc. c. 1. ortum habuit; ac ſepulchrum. Eadem civitas eo quòd, licèt horridum; Chriſto naſcenti hoſpitium præbuiſſet, à Matthæo cap. 2. num. 6. inter præcipuas Regni Judaïci urbes reponitur, ubi inquit: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui reget populum meum Iſraël.*

Quare Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes D. Ambroſius in Sermone in Michæam Prophetam, obſervatione I. *ad Horontianum*, plura de hac eadem urbe congeſſit, inquiens: *Ubi crudelitas ibi pietas: ubi pœna innocentium ibi univerſorum redemptio, ſicut ſcriptum eſt*: Et tu Bethleem, domus Ephrata! non es minima inter Principes Juda: ex te enim exibit Princeps in Iſraël. *Bethleem domus panis erat; Ephrata domus furorem videntis: hoc habet interpretatio iſtorum nominum. In Bethleem natus eſt de Maria Chriſtus: eadem autem Bethleem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus eſt Chriſtus; & ideo jam non domus furoris; ſed domus panis; quia panem recepit eum qui deſcendit de cælo. Domus autem furorem videntis Ephrata; quia illic Herodes dum Chriſtum requirit, perimi ſtatuit infantulos.*

Nec minora dignitatis argumenta habuiſſe Hieruſalem conſtat: legitur enim apud patres Hieruſalem, juxta Prophetæ Hieremiæ ſententiam, in medio terræ poſitam eſſe, à Melchiſedech conditam, à Davide in Regni Caput & Metropolim conſtitutam, & auguſtiſſimo templo juxta Dei mentem à Salomone decoratam.

De eadem Sedulius Hibernenſis Epiſcopus in epiſt. *Epheſios* cap. 4. ait hoc ſolo nomine *Hieruſalem*, quatuor figuras ſingulari, nempe *Hiſtoriam*, *Allegoriam*, *Tropologiam*, & *Anagogen*: ſecundùm *Hiſtoriam* civitas eſt Judæorum: ſecundùm *Allegoriam* Eccleſia Chriſti; ſecundùm *Anagogen* civitas illa Dei, quæ noſtrum omnium Parens & Patria eſt; ſecundùm *Tropologiam* anima hominis, quam frequenter hoc nomine, aut interpretatus eſt Dominus.

Hæc

Hæc breviter circa explicationem emblematum civitatum, superest nunc aliquid de lapidibus ab earum foribus pendulis addere. Hieroglyphicum idem in aliis Musivis pro portis ambarum civitatum conspicitur, numero tamen impar; cùm alibi duæ vel tres, alibi quatuor aut quinque lampades pendeant, ut è sequentibus emblematibus liquet. Quòd autem sint lucernæ, favet huic meæ conjecturæ Eusebius Cæsariensis lib. 4. cap. 23. *De vita Constantini*; ubi narrat, quàm grandi ac splendido cultu Christianissimus Imperator Paschale Festum celebraret. Inter alia ait: *Sacram vigiliam* (subintelligе Paschatis) *in diurnum splendorem converterat, accensis totâ Urbe cereorum quibusdam columnis per eos quibus id operis erat injunctum: Lampades quoque accensæ, cuncta passim loca Illustrabant, adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur, &c.* Illustravit hunc locum eruditissimus Valesius sequenti notâ: *Christiani in vigilia Festi Paschatis maximam cereorum copiam accendebant, quod cum intra Ecclesiam dumtaxat facerent, Constantinus etiam extra Ecclesiam cereos passim accendi jussit in honorem tantæ Festivitatis. Cumque in magnis civitatibus noctù lumina accendi solerent in compitis, Constantinus eâ nocte multò plures & majores cereos voluit accendi, ut Gentilium animos ad Christianæ Religionis venerationem perduceret, &c.* Idem Valesius prædictum ritum illuminandi nocturnis ignibus facibusque ac lampadibus magnas civitates, ostendit in aliis notis, quas addit ad lib. 14. Ammiani Marcellini cap. 1. ubi agitur de Galli Cæsaris sævitia, qui *Vesperi per tabernas palabatur & compita, quæritando Græco sermone, cujus erat impendio gnarus, quid de Cæsare quisque impensè sentiret. Et hæc confidenter agebat in Urbe, ubi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem.* Quem locum sic explicat laudatus Valesius *de hac urbe testatur Libanius in fine Antiochi.* Καὶ τὴν ηλίκα λαμπάδα λαμπτῆρες ἔπεσι διαδέχονται τὴν Αἰγυπτίων λυχνοκαΐαν παυσόντες. *Sic enim legendum est, non* πεισόντες, *ut vulgata habet editio, idest. Solis porrò facem aliæ faces excipiunt, quæ illam Aegyptiorum in Minervæ Saiticæ festo lucernarum accensionem longè superant.* Addit idem Libanius: *Totâ nocte operari solitos in tabernis opifices, cùm interim saltantium, & canentium vocibus compita personarent: macellum ipsum æquè ac interdiu pateret, in eoque omnis generis edulia essent proposita.* Idem in oratione adversus Tisamenum ait, *miseros opifices à Curatoribus regionum cogi solitos, ut ea lumina accenderent, oleumque lucernis infunderent: erant autem hæc lumina inter ornamenta civitatum, ut idem Libanius scribit in Orat. gratulatoria ad Ellebicum.* Ελθόντες δὴ τὸ πλησιάζον βαλανεῖον, κάλωας ὧν ἐξήρτηντο τὰ τὸ φῶς ἐν νυκτὶ παρέχοντα μαχαίραις ἀπέκοπτον, δεικνύντες ὅτι δεῖ τὴν ἐν τῇ πόλει κόσμον τοῖς αὐτῆς ἐκλείπειν ὑποχωροῦν. Idest: *Cùm veniissent ad vicinum balneum, funes quibus appensæ sunt lucernæ, quæ noctu lucere solent, gladiis præciderunt, ut ostenderent ornamentum civitatis suo furori cedere debere.* Hic est quòd Basilius Magnus in Epist. 39. ad Martinianum, quâ calamitates Patriæ suæ deplorat, hoc inter cætera recenset:

CVLMEN APOSTOLICVM CVM CAELESTINVS HABERET
PRIMVS ET IN TOTO FVLGERET EPISCOPVS ORBE
HAEC QVAE MIRARIS FVNDAVIT PRESBITER VRBIS
ILLYRICA DE GENTE PE TRVS VIR NOMINE TANTO
DIGNVS AB EXORTV CHRISTINVTRITVS IN AVLA
PAVPERIBVS LOCVPLES SIBI PAVPER QVI BONA VITAE
PRAESENTIS EVGIENSM ERVIT SPERARE FVTVRAM

ECCLESIA EX CIRCVMCISIONE

ECCLESIA EX GENTIBVS

Hæ
embler
nunc
rum fo
glyphi
portis
tur, n
bi dua
quinqu
sequen
Quòd
meæ c
lib:4.
ubi n
dido c
tor Pa
alia ai
lige P
*rem co*
*cereoru*
*quibus*
*pades*
*loca Il*
*vigilia*
*splendia*
vit hun
sequen
*Festi*
*copiam*
*Eccleſia*
*ſtantinu*
*paſſim*
*Feſtivi*
*tatibus*
*in com*
*multò p*
*accendi*
*ſtianæ*
*ceret*,
ritum
facibuſ
civitat
addit a



γυμνάσια ὃ κεκλεισμένα καὶ νυκτὸς ἀλαμπεῖς. Et Procopius in Anecdotis pag. 114. Juſtinianum accuſat, qui omnes civitatum reditus ſuſtulerat: quo factum eſt, ut nec lumina in publico ſingulæ haberent, nec ſolatium ullum ac delenimentum incolis reliquum eſſet: ὅτε λύχνα ταῖς πόλεσιν ἐν δημοσίῳ ἐκάστῃ, ὅτε τις ἦν ἄλλη παραψυχὴ τοῖς ταύτας οἰκοῦσι. Itaque in publico luctu ac mœrore hæc lumina vel penitùs, vel magna ex parte removebantur. Sic Libanius in Orat. ad Antiochenſes de Imperatoris ira, ſuadet civibus, ut has lucernas tantiſper reponant, aut rariores accedant: Τὸ πολὺ καὶ μάταιον τοῦτο φῶς καὶ ξυφὴν ἀχρηστον βαλανεῖον δεικνύον, τὸ πρὸ τῆς βασιλείων κρεμάμενον εἰς πολλοστὸν τοῦ νεὼ ὄντος ταπήσωμεν. De his luminibus loquitur B. Hieronymus initio Dialogi adverſus Luciferianos: *Dum audientiam & circulumlumina jam in plateis accenſa ſolverent, & inconditam diſputationem nox interrumperet; conſputâ pænè invicem facie receſſerunt.*

Hunc ritum lucernas accendendi primi docuerunt Ægyptii, ut oſtendit Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. 1. & luculentiùs Caſalius de veteribus Ægyptiorum ritibus; ac Fortunius Licetus *De lucernis*. Poſtmodum idem ritus ex Ægyptiis ad cæteras gentes tranſiit, à quibus ad nos Chriſtianos, ut docet Tertullianus de idololatria, n. 10. *Nunc* (inquit) *lucent tabernæ, & januæ noſtræ, plures jam invenies Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum.* Quare myſticæ hæ civitates ac lampades, fulgidam Chriſti nativitatem innuere, & ejuſdem Reſurrectionem, quâ nihil unquam Eccleſiæ feliciùs luxit, abundè perſuaſum eſt.

In arcûs ſummitate volitant novem columbæ, quæ quid indicent, neſcio: ſcio tamen S. Eucherium ſub an. 440. Epiſcopum Lugdunenſem in libro *Formularium ſpiritualium* cap. 5. *De animalibus*, columbam ſimplicitatem denotare dixiſſe. Petrus Bleſenſis in ſerm. 10. *De Dominicis infra Epiphaniam*: aſſerit, quod, *Sicuti agnus inter animalia, ſic eſt inter aues columba ſimplicior*: Et idem Dominus, qui Patris ſapientia eſt, ubi nos ad innocuam ſimplicitatem colendam perpetuò hortaretur: *Eſtote* (inquit) *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Hieroglyphicum ſimile conſpicitur in Cruce exiſtente in tribuna S. Clementis, de quo ſuo loco.

Progrediamur modo ad aliam Muſivi operis partem, quæ ſupra Januam majorem, parietem Eccleſiæ interiorem illuſtrat. In operis ſummitate ſymbola quatuor Evangeliſtarum apparent ſub ſpecie quatuor animalium. Cur autem Evangeliſtæ ſic exprimantur, diverſæ ſunt Patrum ſententiæ, quarum nonnullas Zacharias Epiſcopus Chriſopolitanus in unum collegit, qui ſub initio ſæculi XII. *De concordia Evangeliſtarum* dilucidè ſcripſit. Is igitur in præfatione prima, *De figuris Evangeliſtarum* (inquit, *non adverſas, ſed diverſas Patrum ſententias ponemus, ut lector eligat quod ſibi potiſſimum videbitur. Hieronymus in argumento ante Evangelia. Quatuor Evangelia multò ante prædicta, Ezechielis volumen probat, in quo prima viſio ita contexitur: Et in medio ſicut ſimilitudo quatuor animalium, & vultus eorum, facies Hominis, & facies Leonis, & facies*

Vitu-

*Vituli, & facies Aquilæ. Prima Hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere:* Liber Generationis Jesu Christi *Secunda Marcum, in quo vox Leonis in eremo rugientis auditur:* Vox clamantis in deserto. *Tertia Vituli, quæ Lucam à Zacharia Sacerdote sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem, qui ad altiora festinans de verbo Dei disputat. Et in Apocalypsi eadem significatio est, ubi dicitur:* Animal primum simile Leoni, secundum simile Vitulo; tertium simile Homini quartum simile Aquilæ volanti. *Sedulius:*

*Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet.*
*Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis.*
*Jura Sacerdotis Lucas tenet ore Juvenci.*
*More volans Aquilæ verbo petit astra Joannes.*

Aliter Juvencus:

*Matthæus instituit virtutum tramite mores,*
*Et bene vivendi justo dedit ordine leges.*
*Marcus amat terras inter cœlumque valore,*
*Et vehemens Aquila stricto secat omnia lapsu.*
*Lucas uberius describit prælia Christi.*
*Jure sacer Vitulus, qui mœnia fatur avita.*
*Joannes fremit ore Leo similis rugienti.*
*Intonat æternæ pandens mysteria vitæ*

Augustinus verò sic in libro de concordia Evangelistarum: *Matthæus Incarnationem Domini secundùm Regiam stirpem suscepit. Marcus tanquam pedisequus & breviator ejus esse videtur cum solo Joanne nihil dicens. Lucas Sacerdotalem Christi stirpem occupavit, ad David ascendens, non Regium stemma sequutus, sed per Reges exit ad Nathan (qui Rex non fuit) filium David: Non sicut Matthæus, qui per Regem Salomonem descendens, cæteros Reges prosequutus est Non autem habuit breviatorem Lucas, sicut Matthæus, & hoc fortè non fuit sine aliquo sacramento, quia Regum est non esse sine comitum obsequio. Lucas verò non habuit comitem breviatorem, nam Sacerdos in Sancta Sanctorum solus intrabat. Hi tres maximi circa humanitatis facta versati sunt. Joannes verò circa divinitatem. Proinde cùm duæ virtutes sint animæ, una activa, altera contemplativa, quas significaverunt uxores Jacob, Lia quæ interpetratur* laborans, *& Rachel, quæ interpretatur* visum principium, *datur intelligi, tres Evangelistas circa activam virtutem fuisse versatos, Joannem verò circa contemplativam. Unde mihi videtur probabiliùs attendisse illos, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco intellexerint, Vitulum verò in Luca, Aquilam in Joanne: quàm qui Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Leonem Joanni tribuerunt. De principiis enim librorum conjecturarum capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multò enim congruentius Matthæus Regiam Christi Personam maximè commendans, per Leonem significatur: unde & in apocalypsi cum ipsa Tribu Regia Leo com-*

*memo-*

*memoratus est, ubi dicitur* : Vicit Leo de Tribu Juda. *Secundùm Matthæum Magi narrantur veniſſe ab Oriente ad Regem quærendum, & adorandum, qui eis per ſtellam natus apparuit, & ipſe Rex Herodes Regem formidat infantem, atque ut eum poſſit occidere, tot parvulos necat. Lucam per Vitulum ſignificari neutri dubitaverunt, qui quaſi animal hoſtiis deputatum, circa templum maximè & Hieroſolymam narrationis ſuæ verſatur inceſſu. In principio Sacerdotem collocat ad aram orantem, populo foris ſtante. Mariam concepto Domino Hieroſolymam mittit ad domum Pontificis. Ibi Baptiſtam natum refert, illuc Dominum natum cum hoſtia transfert, illuc cum parentibus ſingulis annis ducit, duodennem in templo choris Doctorum interſerit: Et poſt cætera Diſcipulos Deum in templo laudantes in fine Evangelii concludit.*

*Concordia Auguſtini in 4. lib. Ideo Marcus videtur Hominis demonſtrare perſonam, & Matthæi comes eſſe, quia cum illo plura dicit propter Regiam perſonam, quæ ſinè comitatu eſſe non ſolet : vel quod probabilius eſt, quia cum ambobus incedit: nam quamvis Matthæo in pluribus, tamen in nonnullis Lucæ magis congruit, ut hoc ipſo demonſtretur ad Leonem, & ad Vitulum (hoc eſt ad Regalem quam Matthæus, & ad Sacerdotalem, quam Lucas inſinuat perſonam) id quod Chriſtus homo eſt pertinere : quam figuram Marcus gerit, pertinens ad utrumque.*

*Auguſtinus* ſuper Joannem LXXXVI. *capite. Plerique ante nos in animalibus quatuor intellexerunt Leonem pro Regè poſitum, quoniam videtur eſſe Rex beſtiarum, propter terribilem fortitudinem. Hæc perſona tributa eſt Matthæo quia in generatione Domini Regiam ſeriem proſequutus eſt. Lucas autem quoniam cæpit à Sacerdotio Zachariæ, Sacerdotis faciens mentionem patris Joannis Baptiſtæ, Vitulo deputatus eſt, quia magna victima Vitulus erat in ſacrificio Sacerdotum. Marco homo Chriſtus meritò aſſignatus eſt, quia neque de Regia poteſtate aliquid dixit, neque de Sacerdotali, ſed tantùm ab homine Chriſto exorſus eſt. Hi omnes de Divinitate pauca loquuti ſunt. aquila eſt Joannes lucis æternæ contemplator. Dicuntur enim pulli aquilarum ſic à parentibus probari, patris ſcilicet ungue ſuſpendi, & radiis Solis opponi: qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoſcitur, ſi acie paplitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur.*

*Ambroſius* ſuper Lucam : *plerique putant Dominum noſtrum quatuor formis animalium figurari. Ipſe enim eſt Homo, quia natus eſt ex Maria. Leo, quia fortis eſt. Vitulus, quia Hoſtia. Aquila, quia Reſurrectio.*

*Hieronymus* ſuper Marcum: *Chriſtus eſt homo naſcendo, Vitulus moriendo, Leo reſurgendo, Aquila aſcendendo.*

Animalibus ordo idem ubique non eſt, ſed pro pictoris arbitrio variat. In hac enim pictura dignior locus (is nempe, qui inter medios aſpicienti dexter occurrit) Aquilæ aſſignatur, ſecundus Leoni, tertius Homini, quartus Bovi.

In Arcubus S. Mariæ Tranſtyberim, & S. Clementis, dignior locus Homini, ſecundus Aquilæ, tertius

Leoni, quartus Bovi tribuitur. Homo pariter obtinet primum, & Aquila ſecundum, ſed tertius à Bove, quartus à Leone in Arcu S. Marci occupatur. In templo S. Pudentianæ primus Leoni, ſecundus Bovi, tertius Homini, quartus Aquilæ datur. In oratorio S. Venantii dexteram reſpicientis tenet Leo humânâ facie præditus, & Aquila, & ſuus cuique liber appoſitus eſt: ſiniſtram verò Angelus, & Bos, uterque alatus, uterque librum gerens. Quare ad antiquas imagines ſpectare non videtur Durandi aſſertum lib. 1. cap. 3. num. 9. dicentis: *Quandoque pinguntur quatuor animalia ſecundùm viſionem Ezechielis, & Joannis, facies Hominis, & facies Leonis à dexteris, & facies Bovis à ſiniſtris, & facies Aquilæ deſuper eorum quatuor.* Ab eodem Durando loco citato effertur ratio, cur Euangeliſtis attribuantur hæc ſymbola, & libri apponantur. *Quia* (inquit) *quæ verbis & ſcripturis docuerunt, mente & opere compleverunt, Matthæus figuram ſortitur humanam, Marcus figuram tenet Leonis; hi ponuntur à dexteris, quia Chriſti Nativitas, & Reſurrectio fuerunt omnium lætitia generalis. Unde in Pſal. & ad Matutinum lætitia. Lucas verò Vitulus eſt, eo quòd à Zacharia Sacerdote inchoavit, & Chriſti Paſſionem & Hoſtiam ſpecialiùs pertractavit; Vitulus enim eſt animal Sacerdotum ſacrificiis aptum: comparatur enim Vitulo propter duo cornua, quaſi duo continens Teſtamenta, & propter quatuor pedum ungulas, quaſi quatuor Evangeliſtarum ſententias. Per hunc quoque figuratur Chriſtus, qui fuit pro nobis Vitulus immolatus, ideoque ponitur à ſiniſtris, quia mors Chriſti fuit Apoſtolis triſtis. Joannes autem figuratur Aquilâ, quoniam ad excelſa pervolat, quum ait*, in principio erat verbum. *Hoc quoque ſignificat Chriſtum, cujus juventus ut Aquila renovatur, quia reſurgens à mortuis floret, & in Cælum ingreditur: hic tamen non juxta, ſed ſupernè depingitur, quoniam Aſcenſionem deſignat, & verbum apud Deum pronunciat.* Alias in lib. 7. cap. 44. idem Durandus explicationes addit, quas cauſsâ brevitatis omitto, nè de ſolis Evangeliſtis tractatum videar abſolviſſe.

Ad ſe igitur revocant nos figuræ, quæ in eadem poſteriori Muſivi operis parte adhuc ſuperſunt. Dexterum angulum aſpicienti togatus vir tenet, indicem dextræ elevans, togam ſiniſtrâ, cujus in fimbria legitur monogramma ſeu littera L. de quo ſupra cap. XIII. quæ figura D. Paulum concionantem exhibet.

Huic ex adverſo ad angulum ſiniſtrum alia reſpondet, quæ D. Petri imaginem refert, & ipſum prædicantem: dexterâ quippe manu elevata, & pollice, indice, ac medio extenſis innuere quidpiam geſtu, ac ſuadare videtur.

Imminet illi manus erumpens è nubibus, ac librum proferens, per quam porrò nihil aliud denotatur. niſi Fides Evangelica in libro deſcripta, & è Cælo divinitùs emanans, non ſecus ac geminæ veteris Teſtamenti tabulæ, quæ Dei digito ſcriptæ per Moſis manus populo fuerant proferendæ.

Subſtat verò ejus pedibus prope inſcriptionem imago mulieris, apertum ſiniſtrâ librum tenentis, & medium,

dum ac indicem dextræ manus digito elevantis : cui lemma ſubſcriptum eſt : *Eccleſia ex Circumciſione.* Ipſi ex adverſo feminæ alterius figura reſpondet, quæ & ipſa librum apertum ſiniſtrâ ſuſtinet, dexteramque cum indice extenſo pectori admotam elevat, habetque ſubſcriptum lemma : *Eccleſia ex Gentibus*. Et hæc utique conſultiſſimè ſubditur pedibus D. Pauli, qui peculiari nomine *Doctor Gentium* auditur, & divini Spiritûs teſtimonio *Vas electionis* eſt, ut nomen Domini Gentibus portet. Sicut & illa prior meritò pedibus D. Petri ſubdita eſt : illi enim Euangelium Circumciſionis creditum fuit, ut in Epiſt. ad Galat. c. 2. Paulus loquitur: ubi mirificè utrumque, & fusè confirmat : *Sed è contra* (inquiens) *cùm vidiſſent quòd creditum eſt mihi Euangelium præputii, ſicut Petro Circumciſionis* (*qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes*) *& cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis : ut nos in gentes, ipſi autem in Circumciſionem, &c.* Ex hujuſmodi imaginibus declarare poſſe videor, quod plurimum negotii faceſſit Severano, & aliis, qui impenſam operam collocârunt in illuſtrandis Cœmeteriorum picturis. Tomo enim 2. lib. 4. cap. 7. refertur tabula cubiculi ſecundi Cœmeterii Viâ Latinâ ; ubi inter alia eſt mulier, quæ ſic à Severano deſcribitur : *In arcuati verò monimenti pariete, mulieris extenſis bracchiis Deum exorantis imago exprimitur, ad cujus pedes vaſcula bina ſubſidunt, quæ ſervandis quondam voluminibus apud priſcos Chriſtianæ fidei cultores uſui eſſe conſueverant*. Hæc mulieris imago judicio meo nîl aliud repræſentat, niſi Chriſtianam Religionem, ac illa vaſcula cum voluminibus, nihil aliud denotant, niſi duas leges ſcriptas, Biblia nempe ſacra, & Euangeliorum volumina, in quibus Chriſtiana fides fundata eſt. In eodem lib. 4. cap. 14, conſpicitur alia tabula, in qua duæ mulieres expreſſæ ſunt, quæ Eccleſias utraſque ſignificant. Itidem eodem lib. cap. 28. & cap. 37. In cap. autem 18. deſcribitur mulier media inter duos ſenes, quorum brachiis fulcitur, referens (ut autumo) Eccleſiam Sanctitate & Doctrinâ robuſtis Apoſtolorum Petri & Pauli manibus ſuſtentari.

## CAPUT XXII.

*De Liberianâ, ſive S. Mariæ Majoris Baſilica : ac de antiquioribus Muſivis operibus in ea extantibus, à Xyſto III. Anno 443. concinnatis.*

INTER cætera Religionis Catholicæ teſtimonia, quibus Liberiana Baſilica ſemper enituit, extrema non obtinent ſacræ imagines, quibus ex primæva Eccleſiæ conſuetudine ornata fuit à Beatiſs. Pontifice Xyſto III. Hæ ſatìs integræ adhuc viſuntus, poſt diuturnum mille ducentorum & quinquaginta circiter annorum ſpatium ; ac non minorem de tempore triumphum agunt, quàm de ſuis hoſtibus, cùm ætatem vincant incolumitate ſuâ : Novatorum verò errores manifeſtiſſimâ ſuâ vetuſtate redarguant. Referunt iſtæ

quamplures tum veteris, tum novi Teſtamenti hiſtorias Muſivo opere depictas, quemadmodum paullò poſt aperiemus, ubi aliqua pro inſtituti noſtri diſciplina, de fundatione, forma, & ornatu inclytæ hujus Baſilicæ prius attigerimus.

Nemo tamen hîc exigat ſacræ iſtius ædis laudes univerſas à me recitari, cùm ſatis ampla prolixaque volumina occuparent, cæteraque, quæ meditor, expedire minimè poſſem, ſi earum affluentiæ indulgerem. Liberius Pontifex, teſte Bibliothecario in vita ipſius, hujuſce templi fundator fuit. *Fecit enim* (ut ipſius Bibliothecarii verbis utar) *Baſilicam nomini ſuo juxta Macellum Libiæ*: alii legunt *Liviæ*: quod etiam conſonat antiquæ traditioni, quâ invaluit, ut nomen Liberianæ Baſilicæ diù retinuerit. Neque verò negotium faceſſere debet id quod in vita Xyſti III. idem Bibliothecarius aſſerit, ſcribens, Xyſtum Pontificem feciſſe Baſilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis dicebatur *juxta Macellum Liviæ*, ſive ut legit Panvinius, Baſilicam Sanctæ Mariæ Matris Domini, quæ ab antiquis *Liberii* cognominabatur, *juxta Macellum Liviæ*. Nè inquam, alicui negocium faceſſat vox illa *fecit*, quam utrobique Bibliothecarius, uſurpat: conſtat enim hoc illi verbum familiare fuiſſe, tum ad fundationes, tum ad refectiones & ornatus dicendos: quare ſibi teſtimonio non refragatur, cùm de Liberio loquens hoc verbo *fecit*, primam Baſilicæ fundationem indicet, de Xyſto verò eatenus feciſſe dicat, quatenus, qui refecit, aut reſtituit, facere denuò non abſurdè dici poteſt. Sicut itaque à *Liberio* nomen *Liberianæ* mutuata eſt; ita nomen *Xyſtinæ* adepta fuit à *Xyſto* reſtauratore. Xyſtus enim, ſi fides carminibus præſtanda eſt à Grutero relatis.

*Virgo Maria tibi Xyſtus nova tecta dicavit*
*Digna ſalutifero, &c.*

de quibus infra, hujus Baſilicæ tecta refeciſſe videtur. Aſſumpſit etiam ab adjecto Præſepis Dominici Sacello nomen S. Mariæ ad Præſepe: demum quamplurimis ædibus ſacris Deiparæ Virgini nuncupatis, cum inter cæteras mole, & dignitate emineret, nomenclaturam S. Mariæ Majoris adepta eſt, eodemq; Titulo hactenus inſignitur: inter quinque Patriarchales Eccleſias Urbis recenſetur, de quibus Joannes Monachus S. R. E. Cardinalis in cap. *Fundamenta*, De elect. in 6. cecinit.

*Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Joannes.*
*Hi Patriarchatûs nomen in Urbe tenent.*

Numeratur etiam inter eas ſeptem, quas Chriſtifideles ex orbe univerſo affluentes, piâ devotione ac ritu ſolenni perpetuò viſitant: nec non inter quatuor præclariſſimas, in quibus anno Jubilei pretioſiſſimi Indulgentiarum theſauri confluentibus populis largiùs erogantur, & plena peccatorum remiſſio de Chriſti latere Apoſtolicâ auctoritate impertiente, benigniſſimè fluit. Plura de ejuſdem dignitate & laudibus congeſſit Abbas Paulus de Angelis in ſua *Baſilica S. Mariæ Majoris* Panvinius, & Severanus *De ſeptem Urbis Eccleſiis*; aliique Scriptores Eccleſiaſtici, quos conſulere Lector poterit.

Ordo inſtituti poſtulat, ut à fundatione

datione Basilicæ ad præsentem ejusdem situm ac statum, gradum faciamus. Frons sive facies ad orientem vergit. Interior autem forma tum ordine navium, tum ichnographicâ constructione, tum frontis aspectu, similis erat quatuor aliis Patriarchalibus, licèt modò antiqua Vaticana penitùs diruta sit, & Lateranensis solummodò porticus remaneat. Discrepat Liberiana à Lateranensi & S. Pauli, & antiqua Vaticana, ut supra demonstravimus, numero navium; cùm tres tantummodo hîc numerentur, distinctæ per columnas; quadraginta miræ magnitudinis ex Numidico seu Aegyptio lapide, vicenis à quolibet latere, dexterâque levâque assurgentibus. Imminent columnis epistylia ordinis Dorici, quibus insidet hyperthyrum cum zophoro Musivo opere ornato, in quo palmites revoluti, ac frondes cincinnatæ, miroque ordine & varietate dispositæ visuntur, quod opus *Arabicum* denominari solet.

In capite interioris porticûs, sive navium, admodùm elevatur Presbyterium à pavimento palmos septem & ultra; ad quod ascenditur per gradus undecim, & per duos alios ad aram maximam. Notandum hîc est, hujusmodi Presbyterium præ cæteris antiquis altius esse: cur autem sic constructum fuerit, ex Bibliothecario in vita Paschalis I. Sanctis. Pont. habemus, ubi sic: *Præterea idem summus Pontifex, & orthodoxus Divinâ inspiratione pulsatus, Ecclesiam sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ, Dominæ nostræ ad Præsepe cernens quondam tali more constructam, ut post sedem Pontificis, mulieres ad sacra solennia Missarum stantes prope assistere juxta Pontificem viderentur, ita ut si aliquid colloqui Pontifex cum sibi assistentibus voluisset, ex propinqua valdè mulierum frequentatione nequaquam ei sinè illarum interventione liceret: largum ibidem locum inesse, qualiter inde sedem mutare valeret concerneret, dato operis studio, cœpit indesinenter agere sedem inferius positam sursum ponere, ut eò familiariùs Domino preces fundere posset, quo consortia populorum modestè declinare potuisset. Denique sedem optimè quàmdudum fuerat, pulcherrimis marmoribus decoratam condidit, & undique ascensus, quibus ad eam gradiatur, construxit, pavimentumque altaris erigens pretiosissimis marmoribus stravit.*

Convertamus nos modò ad parietes, qui supra coronam assurgunt, quibus mediæ navis laquear, cælaturâ, & primo auro ex detectis Indiis advecto, preclarè ornatum fulcitur. Parietes ab utroque latere perforant fenestræ, supra singula columnarum interstitia ita locatæ, ut inter illas, & coronidem zophoro incumbentem areæ singulæ relictæ sint ferè quadratæ, in quibus vermiculato pingendi genere plures imagines efformatæ, quasdam historias, ex veteri, ac novo Testamento desumptas referunt. Ruinæ quarundam occurrit pia solicitudo bo. me: Dominici Cardinalis Pinelli, cujus jussu & expensis, quædam ævo corrosæ picturæ supplemento completæ, aliæ ex integro novis picturis restitutæ adhuc spectantur.

Præter has areas, sive Musivas tabulas, visitur etiam Pontificis Xysti Arcus major, sive *triumphalis* dictus, Musivo opere pereleganter ornatus;

quod

quod Hadrianus I. teſtatur in epiſt. ad Carolum Magnum *pro imaginibus*. *Beatus* (inquit,) *Xyſtus fecit Baſilicam ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ cognomento* Majoris, *quæ* ad Præſepe *dicitur*, *tum in metallis aureis*, *quamque in diverſis hiſtoriis ſcaris decoravit imaginibus*.

Denotabant hoc ipſum nonnulli verſus olim ſupra portam majorem intra Eccleſiam exarati, quorum reliquiæ in recenti reſtauratione ab ipſo Cardinali factæ deletæ fuerunt, qui tamen leguntur apud Gruterum pag. 1170. num. 7. hoc ordine.

VIRGO MARIA TIBI XYSTUS NOVA TECTA DICAVIT
DIGNA SALVTIFERO MVNERA VENTRE TVO
TV GENITRIX IGNARA VIRI TE DENIQVÆ FÆTA
VISCERIBVS SALVIS EDITA NOSTRA SALVS
ECCE TVI TESTES VETERI SIBI PRÆMIA PORTANT
SVB PEDIBVSQVE IACET PASSIO CVIQVE SVA
FERRVM FLAMMA FERÆ FLVVIVS SÆVUMQVE VENENVM
TOT TAMEN HAS MORTES VNA CORONA MANET.

Cùm in noſtræ Diſſertationis progreſſu, & in figurarum Muſivarum exhibitione forſitan apparere poſſit, illas his duobus poſterioribus carminibus adamuſſim non correſpondere; huic orituræ dubitationi ſatisfacio: Poëtam, conceſsâ ſibi licentiâ, more ſolito narrationem ampliâſſe: cùm imagines ſupra coronam, veteris teſtamenti hiſtoriam tantùm repræſentent: illæ verò in triumphali Arcu conſtructæ, aliqua ad Incarnationem, & ortum Domini noſtri JESU CHRISTI Myſteria ſpectantia demonſtrent; inter quæ eſt Innocentium ſtrages, quæ forſitan ad præfatum carmen *ferrum*, &c. referri poteſt: quando verò hæc reſponſio legentis mentem non æquaret, poſſet addi, imagines per eadem carmina deſignatas olim expreſſas fuiſſe in interſtitiis, quæ ſunt inter unam & alteram feneſtram, ubi modò depictæ cernuntur imagines hiſtoriæ novi Teſtamenti in locũ Muſivorum ſubrogatæ, aut in tribuna à Martino V. ornata.

Quærent fortaſſe aliqui rerum antiquarum ſoliciti ſcrutatores, unde nam fluxerit communis notio nominis *triumphalis* hiſce Eccleſiarum arcubus, cum triumphalibus illis, quos Imperatoribus cum victoria redeuntibus antiqui ſtatuebant? de jure enim, quo ego illos ita vocaverim, dubitari non poſſe credam, cum & à Bibliothecario in Paſchalis vita, & à Maphæo Vegio in ſuo tract. MS. de Baſilica S. Petri in ejuſdem Archivo aſſervato, & à Petro Alfarano pariter MS. & ab Eminentiſſimo Cardinale Baronio ad annum 440. n. 2. cæteriſque recentioribus, hoc nomine efferantur.

Eò libentiùs ad abſolvendam quæſtionem accedo, quò mihi venia (nî fortè fallar) faciliùs habenda eſt, cum ejus denominationis originem in nullo Scriptore adhuc viderimus.

Repetendum hîc ergo quod ſupra attigimus, quum de Templis in genere ſermo fuit cap. 1. ubi diximus, veteres fidei orthodoxæ cultores, pace Eccleſiæ reſtitutâ, Fana Gentilium in ſacros uſus vertiſſe, & ad exemplar priſcorum nova templa, & Baſilicas excitâſſe.

citaſſe. Studebant quidem diligentiſſimè Majores noſtri, iiſdem artibus, quibus cæca atavorum ſuperſtitio vana numina olim coluerat, verum mundi Rectorem & Servatorem placare : transfigebant Idolatriam telis ſuis, & inſtrumenta impietatis in veræ Religionis & pietatis uſum accomodabant. Cogitârunt itaque in Dei cultum illa quoque redigere, quæ in faſtum, & ſuperbiam triumphantium excogitata olim fuerant. Arcus propterea triumphales, præcipua, ac ſpecioſiſſima præmia victorum, Regi Regum ſtatuere Chriſto Domino jure optimo placuit & inventum glorioſiſſimum optimâ tranſlatione dicare. Igitur in ea templi parte, quæ maximè conſpicua eſt, ſupra tribunam, pariete ipſo hemicycli formam aptè excipiente, Arcum locârunt triumphis inſignem; hoc eſt ejus ſummitatem imaginibus Crucis, aut ut plurimùm, ejuſdem Domini noſtri JESU CHRISTI Crucem præ manibus tenentis, ac è lateribus aliorum Sanctorum conſpicuam reddiderunt; Romanorum exempla æmulantes, qui in arcubus ſpolia hoſtibus direpta, tropæi ritu, aut res ab Imperatoribus geſtas, oppida capta, hoſtium arma, captivorum greges, in ipſo arcu exculpebant. Unde Claudianus lib. 3. *De laudibus Stilicon.*

*Indutoſq; arcus ſpoliis, æquataq; tepla Nubibus*

& panegyrico 4.

*Aeraque veſtitis numeroſa puppe columnis.*

*Spoliiſque micantes*

*Innumeros arcus*

uti Juvenal. ſat. 10.

*Et ſummo triſtis captivus in arcu.*

Et Prudentius in Symmocho

*Fruſtra igitur quum ſummo miramur in Arcu*
*Quadrijugos, ſtanteſque Duces in curribus altis,*
*Sub pedibuſque Ducum captivos poplite flexo*
*Ad juga depreſſos manibus in terga retortis,*
*Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco.*

Græci autem ſimiles arcus τροπαιοφόρους nominavêre. Dio enim lib. 53. de Marco Vinitio agens ob victos ſub Auguſto Celtas ἀψίν τ' (ait) ἐν ταῖς Ἄλπεσι τροπαιοφόρος οἱ ᾠκοδομήθη. *Arcus triumphalis in Alpibus ei conſtructus eſt.* Xiphilinus in Veſpaſiano ἀψῖδες (inquit) τροπαιοφόροι ἐψηφίσθησαν. *Arcus triumphales decreti ſunt.*

Sicut (inquam) in illis, victoris effiges, & inſtrumenta victoriæ exponebantur; ita Chriſtiani ſuorum arcuum faſtigio Crucem, vel Chriſtum locabant, tropæo Crucis inſignem, ac Martyres, alioſque Sanctos à lateribus habentem, tanquam Regem triumphantem de victa morte, & inferorum proſtratis poteſtatibus, eique credentibus Cæli januas aperientem.

In antiquis, ac præcipuis Eccleſiis illud conſtanter ſervatum eſt, ut arcus iſte triumphalis Muſivo præſertim opere pingeretur; quod apertè cernimus in Baſilicis vetuſtiſſimis Sancti Pauli, S. Laurentii, S. Praxedis; ac in aliis Eccleſiarum Urbis ſimiles arcus fuiſſe facillimè deduci poteſt, in præſenti temporis injuria dirutos.

Explicavimus hîc ſacri triumphalis arcûs denominationem ex analogia, quam cum prophanis triumphantium

tium arcubus habet: ornatum verò ex Musivis operibus constantem exhibet Tabula IL.quam modò aperiemus. In summo arcûs apice area quædam circularis inspicitur, in qua plura notatu digna, sed perperàm ab aliquibus descripta; tum quia ætas 1250.annorum plurimùm nocuit evidentiæ colorum; tum quia à superiori lignea coronide, quæ subjacet lequeari, impeditur, ne tota appareat. Sæpius tentaveram symbola picturæ Musivæ internoscere, adhibitis etiam instrumentis quampluribus aciem oculorum juvantibus: nam excepto per speculum solis radio parietem reddere lucidiorem, & multâ vitrorum suppellectili visum promovere tentabam: quin etiam amicorum aliqui valentes oculis, & eruditionum copiâ præstantes (quæ cum picturæ vestigia inquirenda sunt, magìs quandoque prosunt quàm oculi) cùm diligenter intenderent, irrito conatu discedendum esse dolebant. Eò tamen acriùs ad id impellebar, quò difficilius videbatur: quapropter rogavi Illustris. & Rever. D. Sanctem de Pilastris, ejusdemque Basilicæ Canonicum, ut copiam faceret propiùs inspiciendi parietem, ablatis etiam à laqueari contiguis tabulis, quo clariùs tota figuræ orbicularis area appareret. Petitioni meæ libenter indulsit, propterea denuò accessimus, amotisque partibus tabulati, cum integra circuli superficies in conspectu esset, facillimum fuit illam diligentiùs exscribere, & schedulam delineare, quod præstitit laudatus Abb. Fabrettus in conservandis antiquis memoriis studiosissimus.

Dum hæc scriberem, non solùm in explicatione præfatæ orbicularis figuræ maxima difficultas occurrit, verùm etiam in aliis imaginibus, quia ob earum vetustatem adeò denigratæ, ac pulvere obductæ erant, ut etiam acutissimo visu prædíti eas dignoscere minimè possent. Rogavi iterum eundem Illustris. de Pilastris, daret operam, ut Basilicæ ejusdem Capitulum, tam venerabile testimonium antiqui Ritûs Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ magìs conspicuum redderet, ac proinde emundari, ac ab omnibus sordibus expurgari juberet, ut inde faciliùs explicari possent. Petitioni meæ non solùm indulsit, verùm etiam propriis sumptibus emundari Musivum opus curavit (utinam aliæ supra coronidem expressæ Tabulæ eandem fortunam sortitæ fuissent) imò avulsâ ligneâ corinde, quæ summitatem Figurarum primi ordinis usque ad capita earumdem tegebat, veram historiam, quam dictæ Figuræ repræsentabant, aperuit. Detectus etenim fuit Spiritus Sanctus, & Gabriel Angelus, Beatissimam Virginem MARIAM annuncians. Quatuor Euangelistæ formis animalium expressi. Capita Apostolorum Petri & Pauli: necnon gemmata Crux, & Arcus columnis impositi, Porticum representantes.

Omnia igitur explicaturi, à præfata orbiculari figura, tanquam in excelsiori & digniori loco sitâ, initium sumimus; hæc autem ut visui magis distincta esset, formâ ampliori delineavimus, quàm locus pateretur in tabula arcum triumphalem repræsentante. Locus ubi hæc circularis figura cernitur, signatur in Tab. lit. A. ipsa verò figura ampliata cum omnibus in ea contentis lit. B. C.

Exprimitur in ea veluti altare, cujus




pag. 200


A
C
TAB. II.
B
C
HIERVSALEM
BETHLEEM
pag. 200

jus in medio jacet uolumen ſignatum ſigillis ſeptem, ſuper quod imminet nigra Crux, veluti in velamine expreſſa, & in ejus apice corona gemmata, à qua ipſum velamen pendere conſpicitur. Retrò coronam alia Crux gemmata attollitur, cujus à tergo ſtat thronus, & ipſe gemmis diſtinctus, & in ſeſſili ejus medio pulvinar panno coopertum. Summis autem extremiſque ab ipſius throni lateribus extant duo canum capita, è quorum ore duplicatus pendet funiculus, cujus extremitatibus floccus annexus eſt. Circa ſedis medium, ad dexteram lævamque pulvinaris, ſinguli hinc inde viſuntur orbiculi referentes SS. Petri & Pauli capita, eodem fermè ritu, quo Imperatorum effigies militaribus ſignis inſertæ in vetuſtis marmoribus conſpiciuntur. Thronus iſte nonnullam ſpeciem præſefert Memoriæ, ſeu Confeſſionis, Martyribus olim dicari ſolitæ, de quibus ſupra in Cap. XIX. Tab. XLIII Fig. 2.

Valde diverſam hujus picturæ deſcriptionem reperies in hiſtoria Baſilicæ Liberianæ, quam conſcripſit Paulus de Angelis, ille ſiquidem Pictore fortaſſe uſus non ſatìs accurato, agnum loco voluminis, multaſque alias figuras pro lubito variatas exhibuit. Nos accuratiùs, aut certè moroſiùs iſta proſequentes, labori nulli pepercimus, aut expenſæ, ut fidè quàm fieri poſſet maximâ è prototypo ſingula deſcriberentur: propterea ſi quædam interpretabimur, æquo noſtro jure id præſtare videbimur, cùm minuta quæque non prætermiſerimus obſervare.

Occurrit primò de Menſa, ſive Altari aliqua breviter annotare, quod floccis ornatum eſt, ut hodie videmus in eorundem Altarium veſtibus, ſive frontalibus.

Secundò animadvertendum volumen complicatum, & ſeptem ſigillis obſignatum; quod profectò nihil aliud donotat, niſi volumen Euangeliorum, quod ſigillis olim obſignabatur, de quo plura peculiari capite XVI. ſupra congeſſimus, ubi de magnâ voluminis Euangeliorum veneratione fusè diſſeruimus. Cur autem ſeptem obſignaretur ſigillis; quid aliud in cauſſa, niſi quòd librum illum repræſentaret, de quo in Apocalypſeos cap. 5. num. 1. ibi: *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem*. Antiqui enim Patres in pingendis figuris ut plurimùm uſi ſunt myſticis ſenſibus in Apocalypſi latentibus, ut infra videri poterit in Eccleſia S. Pauli, & præcipuè in ejus majori arcu, tempore Leonis Magni conſtructo; & in aliis Eccleſiis in noſtro opere deſcribendis.

Tertio loco velamen, & in ejus medio depiſta Crux, ſupraque velum gemmata corona notanda eſt. Ego quidem aſſerere non dubitaverim, velamine Cruce inſignito priſcos Fideles velum illud innuere voluiſſe, quo Christvs Dominus noſter ad detergendum ſudorem ſuæ paſſionis tempore uſus eſt, quod Veronicæ dicitur: Coronâ verò gemmata, illam è ſpinis quæ ejuſdem ſanctiſſimum caput transfixit, indicâſſe.

Quarto loco gemmata Crux, quæ cum ſupplicium eſſet apud gentes, ac rei & latrones in ea criminum pœnas luerent, antiqui Chriſti Fideles maximè circumſpecti, noluerunt in ea imaginem Chriſti patientis affigere,

ſed potiùs gemmis, margaritiſque ornatam expoſuerunt, ut faciliùs inſpicientium oculos abſque horrore ad ſe alliceret, qui earundem gemmarum auriſque fulgore perculſi, illam venerarentur. Similes gemmatæ Cruces adhuc hodie hîc Romæ viſuntur in antiquiſſima Eccleſia S. Pudentianæ; in Eccleſia S. Stephani *in Rotundo*, & in Eccleſia Lateranenſi, quin etiam depictæ in nonnullis Cœmeteriis cernuntur, ut narrat Aringhus in ſua *Roma Subterranea* lib. 2. cap. 22. & Caſalius *De vet. ſacr. Chriſtian. Ritibus* par. 1. cap. 1.

Quintò poſt Crucem cathedra obſervanda eſt, ſive thronus, quem ornatum fuiſſe antiquiſſimum apud Majores noſtros animadverto: adeò ut Salamonis ævo mos iſte viguerit thronum regalem decorandi cælaturis & ſignis. Id apertè legitur lib. 3. Regum cap. 10. ubi ſacer Hiſtoricus ait: *Fecit etiam Rex Salamon thronum de ebore grandem, & veſtivit auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus; & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. non eſt factum tale opus in univerſis Regnis.*

A Regibus fortè Iſraëlitarum edocti cæteri Principes, poſtmodùm thronis ſuis ornatum conciliaverunt. Alexander Wilthemius in ſuo Dipthyco Leodienſi (ex quo poſtea tranſcripſit Ferrarius in ſuis Analectis *De re veſtiaria* pag. mihi 60.) pulcherrimum affert exemplar cujuſdam Conſulis Romani in throno ſedentis, cujus brachiolis ſtabant duo leones, ie ſedili verò viſuntur gemina hominum capita, ſicut in eo quem deſcripſimus. Hinc divinari non erit abſonum, ideo juſſu Pontificis Xyſti thronum hunc BB. Apoſtolorum Petri & Pauli capitibus conſultò decoratum fuiſſe, quia ipſis poteſtas à Chriſto Salvatore collata eſt judicandi duodecim tribus Iſraël; quique ipſi Regi gloriæ, tanquam à latere ad extremum orbis criterium aſſiſtere debent. throni autem in ſummitatibus exprimi canum capita voluit idem Pontifex, ad denotandam fortaſſe vigilantiam & curam, quæ in Eccleſiis habenda eſt, quando legitur Euangelium, & in ſede Majeſtatis ſuæ Deus adoratur. Huic hieroglyphico adaptari ſanè poteſt S. Auguſtini locus in Epiſt. 56. *ad Dioſcorum de curioſis Quæſtionibus*, ubi ſic: *Epiſcopi iſti etiamſi adoleſcentes, eodem quo tamen raperis animi ardore, vel potius errore, quaſi aliquid magnum hæc dicere curârunt uſque ad Canes Epiſcopales, & uſque ad cathedras Eccleſiaſticas.* Quare hæc S. Auguſtini auctoritas videtur hoc idem hieroglyphicum de *Canum* capitibus in ſummitate throni appoſitis luculenter explicare, illorumque temporum morem in Epiſcopalibus cathedris ſimilia Canum capita cælandi, ſeu appingendi: hinc etiam iſtud doctoris maximi dictum aliquibus antea obſcurum, illuſtrari videtur. Cùm nonnulli cenſuerint loco *Canes*, *Canos* legendum eſſe. Non incongruum etiam puto, ſi aliud afferam exemplum picturæ, quæ eſt in codice magnæ molis imaginibus ornato, qui olim erat in Monaſterio S. Martini Metenſis, nunc verò aſſervatur in Bibliotheca Colbertina. Exprimitur in eadem

de-

depicta tabula Carolus Calvus Rex in throno ſedens, in actu accipiendi eundem codicem ſibi dono datum. In angulorum ſummitate viſuntur duo Canes invicem ſe reſpicientes, ore ex panſo quaſi latrantes; ex quo deduci poſſe exiſtimo antiquum morem ſimilibus Canibus thronorum ſublimia ornandi. Hanc Tabulam in lucem edidit eruditiſſimus Stephanus Baluzius in ſuis notis ad Capitularia to. 2. pag. 1276.

Sextò per pannum, quo tegebatur pulvinar, deſignâſſe Chriſti Fideles eam ſyndonem, qua Chriſti Domini è Cruce depoſitum corpus fuit involutum, rationi maximè conſonum eſt.

Et hæc ſunt, quæ in hujus orbicularis Figuræ brevi declaratione proferre congruum duxi; plura & meliora dicendi cui libeat liceatque, facultatem ac ſpatium relinquens.

Hanc verò mediam excipiunt duo viri, nempe S. Petrus à læva, & à dextera reſpectu aſpicientis S. Paulus, & ipſe albâ tunicâ, pallioque ſuperinduto conſpicuus: in cujus oris laciniiſque legitur monogramma I. de quo fuſè ſæpius egimus in cap. *De veſtibus literatis*. Hinc inde capiti D. Petri imminent, Aquila à dexteris, Angelus à ſiniſtris; & ordine eodem à læva D. Pauli Leo, Bos autem à dextera: quæ quatuor animalia, ut ſæpius dictum eſt, & ſupra in Eccleſia S. Sabinæ, quatuor Euangeliſtas repræſentant.

Sub eadem orbiculari figura nomen Pontificis hujus operis auctoris inſertum eſt verbis ſequentibus XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI.

Si benè perpendantur hæc hieroglyphica, ſituſque quo poſita ſunt, ac conſuetudo quandoque à priſcis fidelibus obſervata, Romanorum ritus in proprios transfundendi, animadvertemus, nîl congruentius in triumphalis arcûs faſtigio Xyſtum locare potuiſſe, quàm victorem Chriſtum, quem exaltata Crux denotat, cùm in prophanis triumphorum arcubus triumphantis imago ſupernè collocaretur, ut ſupra oſtendimus.

Adde, quòd & in cæteris aliorum templorum arcubus, quos deſcribemus hoc loco, ſemper imago Chriſti locata eſt, ac in ſumma eorundem facie, quæ pavimentum reſpicit, aliquod monogramma conſpicitur, Chriſti quandoque nomen, quandoque Pontificis Muſivorum operum conſtructoris complectens, præſentis autem arcûs monogramma eſt, quod in eadem Tabula lit. C. demonſtratur. Literæ monogramma conſtituentes, videlicet Chriſti nomen exprimunt, vt fusè demonſtrat Aringhius in ſua *Roma Subterranea* lib. 6. cap. 23. Scio Fortunium Licetum lib. 6. cap. 47. *De reconditis antiquorum lucernis*; ſimile monogramma à Gentilibus etiam uſitatum referre; nihilominus id non obſtat quin priſci Chriſti Fideles pro Chriſti nomine illud uſurpâſſent, cùm (ut ſæpè aliàs diximus) multa ab eiſdem Gentilibus mutuati fuerint. Aliæ duæ literæ A, & Ω, nempè Ἄλφα, & Ὦ μέγα Grecæ ſunt, ac ipſummet Deum innuunt, ut ipſe Euangeliſta Joannes innoteſcere, ac terrarum orbi palàm fieri voluit. Apocal. enim cap. 1. & 22. *Ego ſum* (inquit) *Alpha & Omega, principium & finis*; plura de hiſce (ſi cupis) habes apud Aringhium loco cit. cap. 22.

Antequam tamen ad aliarum figurarum explicationem progrediamur, indagandum eſt, quidnam Xyſtus Pontifex per verba illa PLEBI DEI. denotare voluerit. S. Cyprianus vocem hanc *Plebis* in Epiſt. *ad Florentium* nobis ſic exprimit: *Eccleſia à Chriſto non recedit, & illi ſunt, Eccleſia Plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens*. Unde *Plebs* nîl aliud innuit, quàm Eccleſiam, ſeu cœtum fidelium. Eundem ferè ſenſum huic voci tribuit Pontius Diaconus Carthaginenſis in vita S. Cipriani, vbi ſic: *Majores noſtri Plebejis, & Catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro Martyrii ipſius veneratione dederunt, ut de paſſionibus eorum, multa, aut prope dixerim, penè cuncta conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent*. Quo loco pro *Plebejis* accipiendi ſunt laici, nullo ordine initiati. Sic enim obſervat eruditiſſimus Holſtenius, in notis *ad Paſſionem SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis* pag. 86. paullò inferius diſtinguit idem Pontius: *Multa ſunt, quæ adhuc Plebejus, multa quæ jam Præsbyter fecit*. Quæ Pontii auctoritas nobis ſuggerit aliam conjecturandi materiam, quòd Xyſtus Summus Pontifex voluerit his imaginibus Chriſti *ortum* denotantibus, Dei plebem erudire, ut conjicitur ex illis vocibus *Plebi Dei*, videlicet oculis plebis Dei, ideſt oculis laïcorum, quos eâ tempeſtate ut plurimùm, ſacrarum hiſtoriarum ignorantia præmebat.

Hinc (ni fallor) intelliges, cur familiare fuerit aliis etiam Pontificibus, ſimili epigraphe opera ſua inſcribere. Ita Hilarus Papa, qui floruit anno 461. in Hyperthyrio januæ oratorii S. Joannis Baptiſtæ in Baptiſterio Conſtantiniano inſculpi fecit: HILARVS EPISCOPVS SANCTÆ PLEBI DEI.

Ac Simplicius Hilari ſucceſſor in Eccleſia S. Andreæ in Exquiliis, ſive *Catabarbara Patricia*, in verſibus ſubtus Muſivum opus expreſſis, de quo infra, ubi iſta etiã legebatur vox.

*Plebs devota veni, &c.*

Itidem Felix III. ſive ut alii vocant IV. qui electus Ann. 526. in reſtauratione ſive ornatu Eccleſiæ S. Stephani hanc inſcriptionem à Grutero relatam pag. 1164. n. 17. poſuit.

OPVS QVOD BASILICÆ BEATI MARTYRIS STEPHANI
DEFVIT A JOANNE EPO MARMORIBVS INCHOATVM
IVVANTE DNO FELIX PP. ADDITO MVSIVO SPLENDORE SANCTÆ PLEBI DEI PRÆFECIT.

In Eccleſia item S. Pancratii, quæ etiam S. Victoris & Pancratii, fuit appellata, olim in ejus Tribuna ſequens inſcriptio legebatur. OB INSIGNEM MERITVM ET SINGVLAREM B. PANCRATII MARTYRIS, BASILICAM VETVSTATE CONFECTAM EXTRA CORPVS MARTYRIS NEGLECTV ANTIQVITATIS EXTRVCTAM, HONORIVS EPISCOPVS DEI FAMVLVS ABRASA VETVSTATIS MOLE RVINA, QVAM ANTE A FVNDAMENTIS NOVITER PLEBI DEI CONSTRVXIT, ET CORPVS MARTYRIS, QVOD EX OBLIQVIO AVLÆ IACEBAT, ALTARE INSIGNIBVS ORNATA METALLIS, LOCO PROPRIO COLLOCAVIT. Iſte autem Honorius fuit Summus Pontifex ejuſdem nominis I. qui floruit anno 626.

Leo etiam III. qui vixit in fine octavi ſæculi, in janua confeſſionis S. Pauli Apoſtoli ſequẽtia verba inſculpi juſſit:

LEO

Leo gratia Dei Tertivs Episcopvs hvnc ingressvm SANCTÆ PLEBI DEI miro decore ornavit. Narrat id Panvinius *de Septem Urbis Ecclesiis* in eadem Basilica S. Pauli Apostoli pag. 75. Martius verò Milesius Sarrazanius in Notis ad carmina S. Damasi, ad carm. xxi. refert quosdam versus Leonis IV. qui erant in introitu urbis Romæ, per Portam Æliæ Arcis, ac inter illos iste legebatur:

Pro Patriæ ac Plebis ecce salvte svæ.

Pariter in Porta Suburbii S. Pauli alia fuisse carmina Joannis VIII. inter quæ istud erat:

Plebsqve sacrata Dei limina sancta petens.

Ut autem idem Xystus arcum hunc triumphalem Incarnationis ac Nativitatis Domini nostri Jesu Christi misteriis illustraret, motus hoc maximè fuit, quòd tunc temporis Nestoriana blasphemia jam adulta passim serpere cœperat, illaque in Ephesino Concilio sub Cælestino I. Ann. 431. ejusdem Xysti Prædecessore proscripta & profligata. Sapientissimus igitur Pontifex, Plebejis eruditionem intendens, icones illas compegit, ut ex assiduo exemplarium intuitu Christiana Plebs fidei firmitatem contra infandum Nestorii ausum nanciscereturr.

## *Brevis Nestorianæ hæreseos enarratio.*

POrrò Nestorius Byzantinę Ecclæsiæ Præsul, execrandæ blasphemię defensor, sive Auctor fuit, quâ dignissimum Deiparæ titulum Sacratissimæ Virgini Dei Genitrici denegare præsumpsit: dixi, sive Auctor, sive defensor, quia primus, qui palàm pestiferum hunc errorem eructauerit, Anastasius fuit Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter, qui impiâ concione elatâ voce in Ecclesia, Nestorio in throno sedente, populisque auscultantibus, teterrimum vomuit impii dogmatis virus, de quo Euagrius *Hist. Eccles.* lib. 1. cap. 2. ex Bibliotheca PP. maxima tom. 2. ubi sic: *Anastasius* (inquit) *ut à Theodulo in Epistola quadam de iis rebus scriptum est, in disputatione apud Populum Christianum sanctè colentem, in Ecclesia Constantinopolitana habitâ, palàm ausus est dicere: Nemo MARIAM DEIPARAM vocet. Nam Maria homo erat, atqui ab homine Deus nasci non potest; quæ quidem verba, cùm Populus Christo consecratus graviter & acerbè ferret, & disputationem illam non sinè caussa haberet pro blasphemia. Nestorius istius blasphemiæ auctor & Dux, non solùm non prohibuit illum, neque rectam sanamque doctrinam tutatus est, verùm etiam ejus verba re vera in primis roborare contendit, & in eisdem defendendis acriùs institit, atque sua ipsius opinione hisce adjunctâ, atque adeò ascriptâ, venenoque animi sui in Ecclesiam effuso & ejecto, multò majorem blasphemiam docere conatus est, adeò ut ad sui ipsius capitis perniciem, hanc impiam sententiam, nimirum*, Ego eum qui spatiis menstruis, hoc est bimestri, & trimestri, & ita deinceps adoleverit, Deum certè non appellavero, *proferre non dubitaret*. Item Cyrillus Patriarcha Alexandrinus quoad ea, quæ ad hujusmodi hæreseos ortum spectant, hęc ait epist. 11. 14. 22. ad Cælestinum Papam, & ad

Aca-

Acacium Berrhenſem, ubi ſic: *Erat Epiſcopus quidam Dorotheus nomine, Conſtantinopoli, eadem, quæ Neſtorius ſapiens & ſentiens; vir quæſtûs cauſsâ adulationi impensè deditus linguâque ad temeritatem uſque promptus. Hic, dum ſacra peragerentur, Reverendiſſimo Neſtorio in Cathedra Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſedente, ſurrexit, magnâque & elatâ voce inclamare auſus eſt: ſi quis MARIAM DEIPARAM dixerit, Anathema ſit.* Tum ſic de Neſtorio Cyrillus: *Quamvis id ore ſuo facere noluerit, attamen ſedens & audiens Dorotheum, ut hoc diceret induxit ſubornavitque, cui etiam confeſtim, cum è Cathedra deſcendiſſet, in divinorum myſteriorum celebratione communicavit.* De hæreſeos hujus exordio multò ante hos auctores egerat Socrates *Hiſt.* lib. 7. cap. 32. ubi ſic: *Erat familiaris Neſtorii Anaſtaſius Presbyter, qui unà cum illo profectus fugerat Antiochiâ. Hunc Neſtorius magno in honore habebat, ejuſque conſilio in rebus gerendis utebatur. Hic igitur Anaſtaſius quodam die cùm in Eccleſia doceret, dixit hæc verba: Nemo MARIAM VOCET DEIPARAM. Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus naſci non poteſt: id ubi auditum fuiſſet, multos tam ex clero, quàm ex plebe pariter conturbavit, &c.*

Ut ut tamen ſit de primo hujus impietatis aſſertore, certum eſt, Neſtorium pervicaci animo acerrimum hujus temerariæ theſeos defenſorem, etiam anteſignanum evaſiſſe; cujus etiam conſequens ſceleſtiſſima execrandaque opinio, negans Chriſto Divinitatem, totumque dogma Chriſtianum evertens, ab Epheſinâ Synodo damnata eſt tanquam fædiſſimè judaïzans: Judæi enim eâ ratione Salvatorem crucifixêre, quòd cùm videretur homo, filium Dei, Regemque ſe faceret, ut animadvertit præcisè in hoc propoſito Lupus *in Scholis Canonis Epheſini* pag. 314. §. *Tertia ratio*. Imò Neſtorianum ſcelus Judaïcum longè ſuperat: quippè Neſtorius adeò pertinaciæ adhæſit, ut nunquam ab oſtinatione deſciverit; Judeorum autem multi portentis in Chriſto obitu convicti, fateri exclamando coacti ſunt: *Verè filius Dei erat iſte*. Matth. cap. 27. verſ. 54. Atque hæc de Neſtorii hiſtoriâ ſatis ſuperque. Modò iterum calamum ad hujus Baſilicæ triumphalem arcum convertimus, præcitaque figura circulari, in qua diutiùs quàm par erat, videbimur immorari, ad reliqua ejuſdem arcûs ornamenta, ſed breviter deſcribenda, accedimus. Ne tamen dicendi brevitas, & figurarum copia perſpicuitati officiat, diſtinguam geminas picturæ ſectiones, dexteram lævamque in quinque partes, prout ab ipſo Pictore diviſæ ſunt; & exorſus à ſuperiori, ad inferiores gradatim deſcendam.

In læva itaque ſectione, ſecundùm aſpectum, prima pars duplicem continet hiſtoriam, ortum videlicet D. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, quem Zachariæ parenti num. 1. Angelus, ut num. 2. prædixerat, & Chriſti Domini conceptionem ab Angelo pariter Virgini Deïparæ nunciatam. Videre eſt accuratam Pictoris diligentiam in hiſtoriæ diſpoſitione ad Euangeliſtæ mentem probè digeſtæ. Angelus enim, quem denotat Figura 2. locatus eſt à dextris Altaris incenſi, ut num. 2. pallio tunicâque candidâ inſignis, & pendulam ab utro-

que

que humero ſtolam cæruleam gerens (quem habitum omnibus Angelis in hoc opere datum videmus) Zachariam alloquitur, qui croceo pallio tunicam albentem cooperit, eiq́ue filii naſciturí laudes enunciare videtur. In fimbria veſtis Angelicæ adeſt monogramma I. quod etiam commune eſt alteri Angelo ſub num. 4. prioris veluti comiti. In hoc hieroglyphico animadvertenda eſt Pictoris ſolertia in locando Altare Incenſi, quod concinnè expreſſum fuit. Confer enim ędificium 3. hujuſce partis, quo altare ſignificatur, cum ædificio num. 8. partis adverſæ, per quod templum notatur, videbis templo quidem præponi porticum, & gradus aſcenſionis ſubſterni: Altare verò Incenſi per tabernaculum exhiberi, ſi ex capite Exodi formam illius repetis; ibi enim legitur: *Poſuit & Altare aureum ſub tecto teſtimonii contra velum, & adolevit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut juſſerat Dominus Moſi. Poſuit & tentorium in introitu Tabernaculi teſtimonii.* Notandum eſt, duo fuiſſe Tabernacula, ut indicat. D. Paulus Apoſtolus qui toties ea vidit in Ep. ad Heb. cap. 9. *Tabernaculum enim* (inquit) *factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta. Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum &c.* Secundum hoc Tabernaculum à Pictore fuit expreſſum, præ foribus pendens habens vas, prout in icone à nobis exhibita, ubi inter veli, ſive tentorii ſinus ab utraque parte collectos idem vas pendulum nõ valde abſimile illis, quibus etiamnum utimur in thure adolendo cernitur. Qua de re Julius Moroſinus Venetus in Bibliotheca Vaticana Hebreorum Codicum ſcriptor, & Sanctæ linguæ in Urbano Collegio de Propaganda Fide Lector, conſulendus eſt in ſuo Tractatu Italicè conſcripto: *Via della Fede moſtrata alli Ebrei* cap. 41. Qui plura cupit, adeat Marium in ſuis *Commentariis in Sacram Scripturam* cap, 30. Exod. verſ. 6. & ſeqq. ubi diſcutiuntur opiniones de loco Altaris Incenſi, & de Altari, in quo beatus Zacharias pater S. Joannis Baptiſtæ incenſum adolevit.

Sex quæ in hoc ordine ſuperſunt figuræ, meo quidem judicio ad myſterium Dominicæ Conceptionis pertinent; Spiritus Sanctus 5. & Angelus Gabriel 6. de Cœlo deſcendentes. Idem Gabriel Angelus 7. tantæ legationis miniſter in loco 7. ſtans alloquitur Virginem, quæ ut arbitror, per imaginem 8. notatur ſedens, & intenta nuncii verbis, cujus veſtis altera candida eſt, altera crocea, monileque gemmis diſcriminato circundatur. Duo illi à tergo Spiritus aſtant 9. 10. ſive Gabrielis aſſeclæ, ſive Deïparæ cuſtodes, aut potiùs incarnato tunc verbo obſequium exhibentes, ut innuit S. Auguſt. in Pſal. 56. circa medium ibi: *Omnes enim Angeli creatura ſerviens Chriſto eſt. Ad obſequium mitti potuerunt Angeli, ad ſervitium mitti potuerunt, non ad adjutorium: ſicut ſcriptum eſt, quod Angeli miniſtrabant ei, non tanquam miſericordes indigenti, ſed tamquam ſubjecti Omnipotenti.* Cæterum ex hoc etiam probandum eſt Pictoris ingenium, quòd ut Angelicam naturam corporis expertem oſtenderet, januam clauſam adjecit, cui nos num. 11. appingimus,

quâ

quâ adhuc obſeratâ Angelus penetrale ingreſus eſt . Haberi etiam poteſt tanquam ſymbolum integerrimæ virginitatis in Deïpara , cùm Eccleſia præſertim ad eandem referat ſimile Ezechielis hieroglyphicum , dum ait: *Ante multum tempus prophetavit Ezechiel , vidi portam clauſam , ecce Deus ante ſæcula ex ea procedebat pro ſalute Mundi , & erat iterum clauſa , demonſtrans Virginem , quia poſt partum permanſit Virgo* . Et rurſus : *Portam quam vidiſti Dominus ſolus tranſibit per illam* . De hoc Annunciationis myſterio ſic cecinit Aurelius Prudentius in ſuo *Teſtamento novo* .

*Adventante Deo deſcendit nuncius alto*
*Gabriel Patris ex ſolio , ſedemque repentè*
*Intrat Virgineam : Sanctus te Spiritus , inquit ,*
*Implebit Maria : Chriſtum paries ſacra Virgo .*

Secunda verò pars primæ , ſeu ſiniſtræ ſectionis Magorum Regum adorationem deſcriptam habet, ex Matth. cap. v. Stella , quæ veniens ſtetit ſupra ubi erat puer ; notatur num. 12. Puer Jesus num. 13. Maria mater ejus num. 14. Num. 15. alterius figuræ brachium viſitur , reliquâ ejuſdem figuræ parte in recenti reſtauratione muro coopertâ . Angeli duo num 16. 17. ſedem , ſeu lectum circumſiſtunt , in quo Chriſtus Dominus ſedens exhibetur . Inconveniens tamen id videretur nato paucos ante dies infanti , niſi idem ipſe eſſet antiquiſſimus ille dierum , ante ſæcula genitus , cui Pater idem dixerat Pſal. 2. *Filius meus es tu . Ego hodie genui te . Poſtula à me , & dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c.* quia alibi dixit in Pſ. 109. *Sede à dextris meis donec ponam &c-* addens paullò poſt: *ante Luciferum genui te* . Videtur itaque prius inventor operis contendiſſe , ut exprimeret Chriſti divinitatem in humanitate apparentem : Infantem propterea exhibuiſſe ſedentem , ut oſtenderet eundem eſſe , cui pater ſimul dixit : *genui te , & ſede à dextris meis* . Hinc fit , ut ſedes cui Chriſtus inſidet , ſolii potius ſpeciem præſeferat , quàm cunabuli : adeò ut ad myſterium potius in hoc reſpexerit Pictor , quàm ad hiſtoriam . Magi Reges num. 19. 17. 20. prope urbem Bethleem num. 21. viſuntur, ac ſedentem puerum adoraturi , eidemque munera oblaturi accedunt . Horum primus , qui ſenior depingi ſolet , pallio cæruleo per totum cooperitur , quo etiam ipſius caput circumvolvitur : reliqui autem duo ad pedes uſque braccati , gemmiſque pluribus renidentes , cum galeis criſtiſque ſequuntur , qui ferè omnium hîc expreſſorum militum habitus , ſi ornatum & pretium excipias .

Figuræ verò 22. & 23. fortaſſe ſunt duo Magorum ſocii , ac S. Joſeph à tergo ſtat Beatiſſimæ Virginis, ut colligitur ex brachio , quod prope caput ejuſdem Virginis viſitur, ut num. 24. Ignorandum non eſt Muſiva opera in utroque angulo , qui cum Eccleſiæ pariete laterali formatur , ob reſtaurationem ejuſdem mutilata fuiſſe . De hoc itidem myſterio metricè ſcripſit ſupra memoratus Prudentius : videlicet .

*Hîc pretioſa Magi ſub Virginis ubere Chriſto .*
*Dona ferunt Puero , myrrhæque , & thuris , & auri .*

*Mira-*

*Miratur Genitrix tot caſti ventris honores,*
*Seque Deum genuiſſe, hominem, Regemque ſupremum.*

Variæ ſunt Patrum ſententiæ de loco & tempore iſtius adorationis, quas exponit Gerardus in ſuo *Elucidario Romæ Sanctæ* tom. 2. lib. 6. cap. 7.

Tertia pars Innocentium ſtragem exponit, ubi tantùm figuræ dimidium conſpicitur, ob ſupradictam reſtaurationem, ac ſuper illius caput leguntur tantummodo tres literæ, videlicet DES, quæ ſunt partes integri nominis HERODES, ut colligitur tum è ſtrage Innocentium, quam ipſe juſſit, tum è figura huic ſimili, è conſpectu in altera parte, ſuper quam hi charactères leguntur HE. reliqui ob eandem rationem deſunt. Notanda eſt hæc Herodis figura, quæ in utraque parte habet in capite diadema, quod Magnatis aut Regis inſigne erat, ut demonſtravimus ſupra capite XIV. *De Coronis*. De hac Infantium in Bethlehem cæde ita Prudentius.

*Impius innumeris infantum cædibus hoſtis*
*Perfurit Herodes, dum Chriſtum quærit in illis.*
*Fumant lacteolo parvorum ſanguine cunæ,*
*Vulneribuſque madent calidis pia pectora matrum.*

Quarta pars urbem Hieruſalem denotat, ut appoſita inſcriptio docet. Quinta denique continet nonnullos agnos, non Muſivo opere, ſed pictura efformatos. Agnoſcendi ſunt per hoc ſymbolum Chriſti Fideles, ut in ſequentibus emblematibus uberiùs explicare conabimur. Hi tamen agni antiquitùs Muſivo opere expreſſi erant, qui poſtea temporis injuriâ expuncti, picturâ iterum reſtituti fuêre.

Abſolutâ ſectionis ſiniſtræ explicatione, quinque partes adverſæ, ſeu dexteræ ſectionis, exponendæ ſuperſunt. In harum ſuprema exhibetur Præſentatio pueri JESU in templo, quadraginta diebus expletis, ut in lege Moſis præcipiebatur, de qua S. Lucas Cap. 2. Per figuram I. intellige Deïparam Virginem, quæ unigenitum ſuum deferens, templum ingreditur, ut ſiſtat cum Domino. Veſtis ejus crocea eſt, gemmis verſicoloribus fulgida, præter monile, & hoc gemmeum, collo circundatum; uti etiam alibi in hoc arcu depicta eſt. num. 2. Simeon Sacerdos (quem virum juſtum & timoratum Euangelium Lucæ fuiſſe tradit. cap. 2. 24.) tam pallio, quàm tunicâ albentibus obvolutus occurrit expanſis ulnis ad excipiendum infantem; 3. S. Joſeph, haud diverſo quo Zacharia in prima parte hujus arcûs deſcripſimus, habitu nempè, albâ tunicâ, & pallio croceo ſponſam ſuam præcedit. Anna Prophetiſſa filia Phanuël, quæ ſupervenit, num. 4. notatur, cujus & veſtis & amictus, quo caput ambit, & inde per humeros ad uſque poplites fluit, manibuſque ſubtollitur ante pectus, colore ſubrubro ſplendeſcunt. Nu. 5. & 6. ſunt duo Angeli comites, ſive cuſtodes Beatiſſimę Virginis; num. 7, itidem alius Angelus cuſtos ſive comes S. Joſephi; n. 8. templum indicat; num. 9. par turturum, aut pullos columbarum juxta legis præceptum offerendos. Reliquę figuræ pro pictoris arbitrio adjectæ Levitas templo inſervientes, aut alios Hebræos referunt inibi aſtantes, tunicâ & pallio ſubalbis indutos.

In ſecunda autem parte exprimitur diſputatio Chriſti Domini adhuc pueri cum Doctoribus. Ejus veſtis hìc peculiaris non eſt; alba enim, ut etiam alibi. Notâ tamen ſpeciali dignum eſt diadema duobus crucibus inſignitum utriſque pueri JESU vertici imminentibus, quarum tamen unam complectitur diadema, altera ut vides num. 1. illud excedit. De hac autem diſputatione hìc Lucas Euangeliſta audiendus eſt cap. 2. n. 40. *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientiâ: & gratiâ Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Hieruſalem in die ſolenni Paſchæ. & cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſumatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos; & non invenientes regreſſi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus, & videntes admirati ſunt: & dixit Mater ejus ad illum: Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: & ait ad illos, quid eſt quod me quærebatis: neſciabatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Viſitur enim eo loci Jeſus n. 1. Virgo Mater num. 2. num. 3. Sanctus Joſeph; num. 4. & 5. duo Angeli Pueri JESU cuſtodes; nu. 6. itidem alius Angelus; 7. Doctores, quorum veſtes verſicolores, alter enim albentem, alter cęruleam, quidam croceam, vel ſubrubram, alius etiam viridem habet; verùm præcipuè notandus eſt primus, cujus pallium monogrammate inſignitum, & ultimus, in cujus dextero humero ſignum ✠ viſitur; in tunicæ vero fimbriis, aliud ſignum à cæteris longè diverſum, nempe à forma, & colore, cum viridis arboris ramus appareat: denique nu. 8. Hieruſalem urbem conſpicias, & hæc de ſecundæ ſectionis parte ſecunda.

In tertia autem cernitur hiſtoria Herodiadis, quam ſacer ſcriptor Marcus in Euangel. cap. 6. 21. ſic exponit: *Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus & Tribunis, & primis Galilęæ; cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltâſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus; Rex ait puellæ: pete à me quod vis & dabo tibi: & juravit illi: quia quicquid petieris dabo tibi, licèt dimidium Regni mei. Quæ cùm exiiſſet, dixit matri ſuæ: quid petam? at illa dixit: caput Joannis Baptiſtæ. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petivit dicens: volo, ut protinùs des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejes in diſco, & decollavit eum in carcere, & attullit caput ejus in niſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.* Num. 1. eſt Herodes diademate inſignis; 2. filia Herodiadis; 3. mater; 4. alia ſaltatricula, ut veſtes indicant, non quidem talares, ſed ſuccinctæ; 5. ſpiculator; 6. diſcus, in quo caput Joannis Bapriſtæ velo

COO-

coopertum eſt; 7. & 8. milites ſeu cuſtodes Herodis. De his ſic meminit Prudentius.

*Præmia ſaltatrix poſcit funebria virgo.*
*Joannis caput, abſciſſum quod lance reportet.*
*Inceſtæ in gremium matris fert regia donum*
*Pſaltria, reſperſis manibus de ſanguine juſto.*

Quarta item pars oppoſitæ cognatione picturæ reſpondet; ſicut enim in illa urbs Hieruſalem, ita in hac civitas Bethleem expreſſa eſt, ut impoſitus titulus docet. De harum urbium hieroglyphico ſatìs dictum eſt in Eccleſia S. Sabinæ: Hìc tantummodo nonnulla ejuſdem Prudentii carmina etiam referre placet, ſcilicet.

*Sancta Bethlem caput eſt Orbis: quæ protulit Jeſum,*
*Orbis Principum, caput ipſam principiorum.*
*Urbs hominem Chriſtum genuit: qui Chriſtus agebat.*
*Ante Deus, quàm Sol fieret, quàm Lucifer eſſet.*

In quinta demum & ultima par-
, prout in oppoſita, plures adſunt
gnorum figuræ, de quibus ſermo-
em alibi inſtituemus.

Hæc de imaginibus in triumphali
.rcu à Beatiſſimo Pontifice Xyſto III.
luſivo opere expreſſis: modò ad alias
anſeundum eſt, quę ſuper coronidem
nbarum interiorum Porticuum, ſive
mediana navi, tam ad dexteram,
ıàm ad ſiniſtram recurrentium, cer-
.ntur. Quòd hæ quoque ſacræ ima-
ıes auctorem eundem habuerint,
em ſuperiores, præter epiſtolæ Ha-
ani I. ad Carolum Magnum ſupra allatæ teſtimonium, videlicet, quod in *metallis aureis* (ideſt Muſivis operibus) *quamquam in diverſis hiſtoriis ſacris decorando imaginibus &c.* patet etiam ex ipſorum Muſivorum operum ſtructura, ac ſpecie tum delineationis, tum lapillorum; nam quoad ſtructuram, glutine albo compacta ſunt, quod magnum certumque antiquitatis indicium eſt, ut demonſtravimus ſupra in capite XI. *Ex quanam materia opera Muſiva componantur, & quomodo ipſæ materiæ præparentur*: ſunt etiam formæ lapillorum, operis nempe medii; ulteriùs nulla extat memoria alium Pontificem præter eundem Xyſtum, neque ullum omnino quempiam hæc opera conſtruxiſſe: ſed de auctore ſatìs; propiùs jam ad explicanda accedamus.

Si tempus invidum, ea quæ ſummi, ſanctiſſimique Romani Pontifices in primis Eccleſiæ ſæculis ad erudiendam Dei plebem, ſcripturis, picturis, Muſivis operibus, aliiſque Eccleſiaſticis monimentis poſteritati demandârunt, non devoràſſet, innumera antiquæ Pietatis & Religionis teſtimonia ſupereſſent quæ nos poſteroſque noſtros ad Deum colendum, & vehementiùs Deum amandum impellerent. Teſtes ſunt hujus inclytæ Liberianæ Baſilicæ Muſivorum operum reliquię, quæ ſuper coronidem porticûs interioris, ad utrumque latus adhuc viſuntur; licèt alicubi corroſæ ſint, ideoque picturis à bo. me. Dominico Cardinali Pinello, ejuſdem Baſilicæ reſtauratore, ſuppletæ. Hæ, cùm ob illârum vetuſtatem ac altitudinem viſui vix perceptibiles ſint, & cùm earundem exemplaria in celebri Barberina Bibliotheca reperirentur, ut mihi

commodarentur curavi, cui meæ petitioni prompto ac hilari animo indulſit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Barberinus Cameræ Apoſtolicæ Clericus, ad præſens præfatæ Bibliothecæ dominus, cui ob id non exiguas rependo grates.

Prima igitur tabula, quæ choro proximior eſt ad ſiniſtram introëuntium, ſeu in meridiem, Melchiſedech denotat, qui præ manibus habet caniſtrum repletum panibus, & vas vino; occurritque Abrahæ redeunti à quinque Regum profligatione, ſpoliis hoſtium & laudibus onuſto, eique benedictionem impertitur Gen. cap. 14. 19. Deus inde è nubibus prodiens conſpicitur, ac Melchiſedech omnia hæc ſuggerens. Hanc picturam exhibeo in Tab. L. ſub fig. 1. Lectorem autem admonitum volo, tabulas æri inciſas fuiſſe, antequam illarum deſcriptionem inchoarem, & earundem ordinem, prout jacet, à Pictore minimè ſervatum. Quare ſatiùs exiſtimavi in earum deſcriptione eum ordinem ſequi, quẽ in pariete habere cernuntur, quàm illum à Pictore tributum. Ne graveris itaq; Lector ſi aliquando Picturas in deſcriptione narratas in ſupra relatis tabulis te inquirere oporteat. Præterea quædam Muſiva opera, quæ ab injuria temporum læſa: picturâ ſuppleta fuêre, ut dignoſcantur, ſtellulis picturam notavimus.

Nec dubitatio aliqua inferri poteſt, Melchiſedech panes offerre contra id quod habetur in ſacris Bibliis vulgatæ editionis, nempe *panem*, quia in Græca verſione 70. Interpretum, Rex protulit *panes & vinum*: in Arabica verò *cibum & vinum*.

Secunda tabula quam ponimus nu. LI. Abraham refert, quum tres Angelos excepit hoſpitio, & tres videns unum adoravit, in quo Trinitatis auguſtiſſimæ latet myſterium. Adi Geneſeos cap. 18. ubi hæc: *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei: Cumque elevâſſet oculos, apparuerint ei tres viri ſtantes prope eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram. Et dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis: idcircò enim declinâſtis ad ſervum veſtrum: qui dixerunt; fac ut locutus es. Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes: ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui feſtinavit et coxit illum &c.* Ex quibus verbis patet jam totius hiſtoriæ explicatio; habes porrò tres viros ſtantes in altiori typi parte notatos literis A. B. C. ante quos Abraham deſignatus ait. D. adoraturus proſternitur, qui eti m in parte inferiori præcipit Saræ uxori notatæ lit. E. ut tres panes ſubcinericios apponat, ut ex litera F; qui etiam poſtea in menſa viſuntur triangulares, ut G. quâ figurâ Pictor etiam Sanctiſſimam Triadem adumbravit. Stat à ſiniſtris Abrahæ menſa, ad quam tres Angeli occumbunt, qui ut inſigniores, diademate diſtinguuntur. Hanc hiſtoriam eximiis illuſtrant ponderatio-

pag. 212.




pag. 212.

tionibus Patres, tanquam auguſtiſſimum Trinitatis arcanum edocentem, inter alios S. Auguſt. *ſerm.* 171. circa medium, ubi ſic: *Nonne unus erat hoſpes in tribus, qui venit ad patrem Abraham? hoſpes, & amicus pranſor, & manſor, & omnia illi in Trinitate ſunt exhibita humanitatis obſequia, quia Trinitatis gloria refulget. Trimum attulit vitulum pater, tres menſuras ſimilaginis conſperſit futura mater, paritura filium, pro quo pater mactaret agnum; & ipſum corpus Chriſti in Trinitate jam fecerat Sacramentum.*

Tertia, quæ hinc inde figuras exhibet iter oppoſitum abripientes, hiſtoriam Loth & Abraham repræſentat: ut in dicta tab. L. fig. 2. de his cap. 13. Geneſ. ubi exorto inter utriuſque paſtores jurgio diviſi ſunt, unus ad dexteram tendens, alter ad ſiniſtram, verba ſcripturæ ſic habent: *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos; fratres enim ſumus: ecce univerſa terra coram te eſt: recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam*; & paullò poſt: *Elegitque ſibi Loth regionem circa Jordanum, & receſſit ab Oriente, diviſique ſunt alterutrum à fratre ſuo.*

Poſt hanc aliæ tres tabulæ ſequebantur, quæ demolitæ fuerunt occaſione conſtructionis magni arcûs ante cappellam Paulinam.

Quarta in dicta Tab. LI. fig. 2. expreſſa, habet Jacob benedictionem ab Iſaac patre loco ſui fratris Eſau ſub dolo, ſed innocuo, matris, extorquentem. Quæ ut apertiùs agnoſcas, en verba Geneſeos cap. 27. *Senuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Eſau filium ſuum majorem, & dixit ei: fili mi? qui reſpondit: adſum: Cui pater: vides, inquit, quòd ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ſicut velle me nôſti, & affer ut comedam: & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, ut juſſionem patris impleret, dixit filio ſuo Jacob: audivi patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei: affer mihi de venatione tua, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi acquieſce conſiliis meis, et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur: quàs cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur. Cui ille reſpondit. nôſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lęvis, ſi attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo nè putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: in me ſit, ait, maledictioiſta fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos ſicut velle noverat patrem; & veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum: pelliculaſque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit; deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: pater mi: at ille reſpondit: audio. Quis es tu fili mi? dixitque Jacob: ego ſum primogenitus tuus Eſau, feci, ut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea,*

*ut*

*ut benedicat mihi anima tua. Rurſumque Iſaac ad filium ſuum &c. dixitque accede mihi, ut te tangam, & probem, utrùm tu ſis filius meus Eſau, an non: acceſſit ille ad Patrem, & palpato eo dixit Iſaac; vox quidem, vox Jacob eſt, ſed manus ſunt Eſau.* Inferiùs verò Eſau à venatu regreſſus, præceptæ ſibi benedictionis ignarus, patrem Iſaac adit, afferens ei cibos de venatione ſua, & hìc aſtum fratris intelligit. En verba Scripturæ cap. eodem: *Vix Iſaac ſermonem impleverat, & egreſſo Jacob foras, venit Eſau, coctoſque de venatione cibos intulit Patri, dicens: Surge Pater mi, comede de venatione filij tui, ut benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Iſaac: quis enim es tu? Qui reſpondit: Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau. Expavit Iſaac &c.* cum reliquis quæ ſequuntur.

A. Iſaac. B. Eſau. C. Rebecca. D. Jacob.

In quinta verò expreſſa ſub Tabula LII. fig. 1. quinque imagines vides, & ovium gregem; Jacob à Laban avunculo excipitur, cui pro obtinenda in uxorem Rachelem conſobrinam, ſeptenne ſervitium præſtitit, quod inde iterare, & implere coactus eſt; ut Geneſeos 29. ubi ſic: *Quam* (ideſt Rachelem) *cùm vidiſſet Jacob, & ſciret conſobrinam ſuam ovesque Laban avunculi ſui &c. oſculatus eſt eam, & elevatâ voce flevit, & indicavit ei, quòd frater eſſet patris ſui, & filius Rebeccæ, at illa feſtinans nunciavit patri ſuo, qui cùm audiſſet veniſſe Jacob filium ſororis ſuæ, cucurrit obviam ei, complexusque eum, & in oſcula ruens, duxit in domum ſuam.* In inferiori iconiſmo deſcribitur veſpertina introductio Liæ loco ſororis Rachelis, quam Laban promiſerat Jacob, ut videre eſt cap. eodem, num. 20. ubi. *Qui* (ideſt Laban) *vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias, & veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ Zelpham nomine, ad quam cùm ex more Jacob fuiſſet ingreſſus, facto mane, vidit Liam, et dixit ad ſocerum ſuum: Quid eſt quod facere voluiſti; nonne pro Rachel ſervivi tibi? Quare impoſuiſti mihi &c.*

A. Laban. B. Rachel. C. Jacob. D. Lian.

Sexta in eadem Tab. LII. fig. 2. continuat Hiſtoriam Rachelis & Jacobi, quæ eodem cap. 29. Geneſ. ſic traditur: *Jacob facto mane vidit Liam, et dixit ad ſocerum ſuum, quid eſt quod facere voluiſti? nonne pro Rachel ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi. Reſpondit Laban: non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias, imple hebdomadam hujus copulæ: et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſerviturus es mihi ſeptem annis aliis, acquievit placito, et hebdomadâ tranſactâ duxit Rachel uxorem, cui pater ſervam Balam tradiderat; tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſerviens apud eum ſeptem annis aliis.* In hac Tabula Laban videtur Jacobo indicare, quòd operam ſuam præſtet in grege, & prope Laban eſt Rachel.

A. Laban. B. Rachel. C. Jacob.

In ſeptima ſub Tabula LIII. fig. 1. Jacob finitâ hebdomadâ redit ad Laban, & inſtat pro uxore promiſſa Rachel. In infima autem tabulæ ejuſdem parte tam diù, tam anxiè exoptatæ Rachelis, & Jacob nuptiæ celebrantur.

A. Laban. B. Rachel. C. Jacob. D. Balam.

Octa-

Fig. 1. TAB. LII.




Fig. 2.

pag. 215.

Fig. 1.
TAB. LV.
A B
F
D
C E
D
E
G
H

Fig. 2.
C B
A

pag. 213

Octavus iconiſmus in eadem Tab. LIII. fig. 2 ſpectat ad hiſtoriam, de qua Geneſ. cap. 30. 31. ubi ab invicem ſegregati fuêre greges Laban & Jacob, ſacer textus ſic: *Cyra* (inquit Jacob) *omnes greges tuos, & ſepara cunctas oves varias, & ſparſo vellere: Et quodcunque furvum, & maculoſum, variumque fuerit tam in ovibus, quàm in capris, erit merces mea reſpondebitque mihi cras juſtitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te, & omnia quæ non fuerint varia, & maculoſa & furva tam in ovibus, quàm in capris, furti me arguent. Dixitque Laban, gratum habeo quod petis, & ſeparavit in die illa capras, et oves, et hyrcos, et arietes varios, atque maculoſos &c.*

Nona ſub Tabul. LIV. fig. 1. expreſſa, docet hiſtoriam, de quâ Geneſ. 30. ubi dicit Jacob appoſuiſſe virgas decorticatas in aquis, ut in conceptu bibentes oves ex undarum verſicolorum intuitu vehementique imaginatione fœtus ſuos coloribus variegatos eniterentur, quod & imagines ipſæ, & grex cum virgis in canali expoſitis ſatìs iudicant. Inibi etiam cernitur Deus dicens ad Jacob: *Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum* Gen. cap. 31. In inferiori autem parte Dei præcepto Jacob obſequentiſſimus; vocat uxores ſuas Rachel & Liam in agrum, ubi greges paſcebat, ac Domini mandatum eis patefacit.

In decimæ pictura, & eadem Tab. LIV. fig. 2, ſuperiori parte, Jacob ad Eſau viros mittit in terram Seir, qui ſe fratri reconciliarent, & munera offerrent, & ut ſacræ Scripturæ verbis utar Geneſ. cap. 32. *Miſit & Nuncios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Seir Regionis Edom, præcepitque eis dicens: ſic loquimini Domino meo Eſau: Hæc dicit fratrer tuus Jacob: apud Laban peregrinatus ſum, & fui uſque in præſentem diem; habeo boves & aſinos, & oves, & ſervos, et ancillas, mittoque nunc legationem ad Dominum meum, ut inveniam gratiam in conſpectu tuo &c.* In inferiori verò Eſau fratri occurrit, eumque lacymabundus amplectitur, quòd factum Scriptura ſacra ſic tradit c. 33. *Elevans autem Jacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros &c. currens itaque Eſau obvjam fratri ſuo: amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum ejus, et oſculans flevit &c.*

A. Eſau. B. Jacob. C. Virorum turma.

In vndecima ſub Tabul. LV. fig. 1. Emor pater Sichem, & ipſe Sichem, qui Dinam filiam Jacob ex Lia rapuerat ac violaverat, adeunt Jacob, & ejus filios, Dinamque in conjugem poſtulant, offerruntque ipſi mulieres ſuas, ut initâ ſanguinis vinculo ſocietate, ſimul habitent, & in populum unicum coaleſcant. Sic verba Geneſeos cap. 34. *Egreſſo autem Emor patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob, ecce filii ejus veniebant de agro, auditoque quòd acciderat, irati ſunt valdè; eo quòd fœdam rem operatus eſſe in Iſraël, et violatâ filiâ Jacob rem illicitam perpetrâſſet loquutus eſt: itaque Emor ad eos: Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ, date eam illi uxorem, et jungamus viciſſim connubia; filias veſtras tradite nobis, et filias noſtras accipite, et habitate nobiſcum. Terra in poteſtate veſtra eſt, exercere*

*nego-*

*negotiamini, et possidete eam; sed et Sichem ad patrem, et fratres ejus ait: Inveniam gratiam coram vobis, et quæcunque statueritis dabo, augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc uxorem.*

A. Emor. B. Sichem. C. Jacob. D. E. F. filii Jacob.

Inferior autem pars, habet Simeon, & Leui fratres Dinæ, qui ut fororis injuriam faciliùs, & impunè ulciscerentur, Emor & Sichem suasêre circumcisionem, & ii cæteris ejus oppidi civibus. Cùm autem die tertio dolor sæviret, & gravissimus esset, sumptis gladiis, Emor & Sichem conveniunt, ut eos occidant, quod inde exequuti fuêre, interfectis cum illis cæteris masculis, cujus cædis argumentum, & indicium præfert cadaver inibi stratum, quod tamen picturâ expressum est. En Genes. cap. eodem vers. 25. *Et ecce: Die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, Emor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam; quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob, & depopulati sunt urbem &c.*

D. Emor. E. Sichem. G. Simeon. H Levi.

Duodecima, in dicta Tab. LV. fig. 2. in prima area, superiorum historiam continuat, quum Jacob à cæde, & ab urbis depopulatione reversos filios objurgat, conqueriturque de hiis, quæ patraverant, unde in se odium finitimorum, & arma excitâssent, sic habetur in eodem cap. *Quibus properatis audacter, Jacob dixit ad Simeon, & Leui: turbâstis me, & odiosum feciſtis me Chananæis, et Phærezeis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea &c.*

A. Jacob. B. Simeon. C. Levi.

Denique in infima Tabulæ hujus area, Deo novum iter jubente, Jacob familiam convocat, dicitque, quò eundem, quidve faciendum sit? etiam hoc legitur, in Genes. cap. 35. *Jacob vero convocatâ omni domo suâ, ait: abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Domino, qui exaudivit me in tempore tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei &c.*

Perlustratis jam è dextero principio aræ cornu iconismis, superest ut sinistrum lustremus, figurasque in eo sitas interpretemur. In hac ergo sinistra navis medianæ parte, quæ Xystinæ Capellæ proxima attollitur, ac Aquilonem respicit, prima Musivi operis Tabula supra coronidem deest, annorum fugâ dilapsa; ideoque area picturis oppleta est. In hac fortè Mosis historia referebatur; quum puer fiscellæ scirpeæ creditus, in carecto Ripæ fluminis expositus fuit: quod mecum quisque colligere potest ex aliis Tabulis, quæ sequuntur, nempe Exod. cap. 2.

Ex his, quæ extant, Picturis, quæ est sub Tabul. LVI. fig. 2. Mosis historiam prosequitur hîc enim filia Pharaonis A. inventi pueri matrem B. alloquitur, eidemque mercedem pollicetur, si eum enutriat. Huic tres puellæ comites, quarum vna C. puerum in sinu involutum gerit, alia D. fiscel-

Fig. 1.
TAB. LVI.
A
B
Fig. 2.
B
C
D
C
B
B

Fig. 1.
TAB. LVII.
A
B
Fig. 2.

fiſcellam è vimine, in qua illum repererunt: ſed ut meliùs, ac certiùs hæc conſpiciantur, Exodi verba referam in dicto cap. 2. ubi ſic: *Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi: & accepit uxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus. Cumque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeã, & linivit eam bitumine ac pice: poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis, ſtante procul ſorore ejus: et conſiderante eventum rei. Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem alvei, quæ cum vidiſſet fiſcellam in Papyrione, miſit unam è famulabus ſuis, & allatam aperiens, cernenſque in ea parvulum vagientem, miſerta ejus ait: De infantibus Hebræorum eſt hic. Cui ſoror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit: Vade: perrexit puella, & vocavit matrem ſuam, ad quam locuta filia Pharaonis; Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutrivit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.*

Alter, qui immediatè ſubiicitur Iconiſmus, Moſis geſta continuat, & ea præcipuè, quæ dictum Exod. cap. 2. exequitur de viui Ægyptii cæde, quem Moſes obrutum ſabulo interemit. En ſacra verba: *In diebus illis poſtquam creverat Moſes, egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis; cumque circumſpexiſſet hunc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Aegyptium abſcondit ſabulo, & egreſſus de altero conſpexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat injuriam; Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit: quis conſtituit te Principem & Judicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Aegyptium? timuit Moſes, & ait: Quomodo palàm factum eſt verbum iſtud? audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moſem. Qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in Terra Madian, & ſedit juxta puteum.* Signum A. denotat Moſen. B. Hebræum increpantem illum de homicidio. C. Pharaonem cum turba Moſis ſermonem audientẽ.

Secunda in eadem Tab. LVI. fig. 1. in ſuperiori fronte connubium ipſius Moſis cum Sephora expreſſum habet, ut Exodi eod. cap. 2. *Juravit ergo Moſes, quod habitaret cum eo* (ideſt Sacerdote Madian, Sephoræ parente) *accepitque Sephoram filiã ejus uxorem.* In poſteriori verò ipſum indicat, oves ſoceri Jethro paſcentem, ut Exodi c. 3. ubi ſic: *Moſes autem pacebat oves Jethro ſoceri ſui ſacerdoti Madian.*
A. Moſes. B. Sephora.

Tertia in Tab. LVII. fig. 1. Domino præcipiente, Moſes in Ægyptum è Mediana revertitur cum uxore, & filiis, virgam præferens, in qua ſigna facturus erat, cui per deſertum iter habenti, frater Aaron occurrit, ut ei Deus præceperat; auditiſque à fratre, quæ Deus juberet, Seniores Iſraëlitarum congregat, eademque eos edocet, non verbis ſolùm, ſed ſignis, quod parte inferiori videtur exprimi; & hæc habentur in Exodi

cap. 4. *Dixit ergo Dominus ad Moſen in Madian : Vade , & revertere in Aegyptum ; mortui ſunt enim omnes , qui quærebant animam tuam . Tulit ergo Moſes uxorem ſuam , & filios ſuos , & impoſuit eos ſuper aſinum , reverſuſque eſt in Aegyptum , portans virgam Dei in manu ſua &c.* & infra : *Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occurſum Moſi in deſertum , qui perrexit obviam in montem Dei , & oſculatus eſt eum . Narravitque Moſes Aaron omnia verba Domini , quibus miſerat eum , & ſigna , quæ mandaverat , veneruntque ſimul , & congregaverunt cunctos ſeniores filiorum Iſraël ; loquutuſque eſt Aaron omnia verba , quæ dixerat Dominus ad Moſen , & fecit ſigna coram populo , & credidit populus , audieruntque , quòd viſitaſſet Dominus filios Iſraël , & quòd reſpexiſſet afflictionem illorum , & proni adoraverunt .* A. Moſes. B. Aaron.

Quarta , quæ eſt in Tabul. LVIII. fig. 1. quæ inde ſuccedit tabula , hiſtoriam vituli aurei explicat ex cap. 32. Exod. ibi : *Videns autem populus , quòd morã faceret deſcendendi de monte Moſes , congregatus adverſus Aaron dixit : Surge , fac nobis Deos , qui nos præcedant , Moſi enim huic viro , qui nos eduxit de terra Aegypti , ignoramus , quid acciderit : dixitque ad eos Aaron , tollite inaures aureas de uxorum filiorumque , & filiarum veſtrarum auribus , & afferte ad me , fecitque populus quæ juſſerat , deferens inaures ad Aaron . Quas cum ille accepiſſet , formavit opere fuſorio , & fecit ex eis vitulum conflatilem : dixeruntque : Hi ſunt Dii tui Iſraël , qui te eduxerunt de terra Aegypti ; quod cum vidiſſet Aaron , edificavit altare coram eo , & præconis voce clamavit dicens : Cras ſolennitas Domini eſt , ſurgenteſque mane , obtulerunt holocauſta &c.*

In quinta & d. Tab. LVIII. fig. 2. altè conſpicuus Moſes ad populum verba facit , & ea , quæ à Deo acceperat præcepta , legemque promulgat : è quibus pauca hæc reponam quæ habentur cap. 35. Exod. ibi : *Igitur congregatâ omni turbâ filiorum Iſraël , dixit ad eos : Hæc ſunt , quæ juſſit Dominus fieri . Sex diebus facietis opus ; ſeptimus dies erit vobis ſanctus , Sabbatum , & requies Domini : qui fecerit opus in eo , occidetur ; non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diẽ Sabbati . Et ait Moſes ad omnem cateruam filiorum Iſraël ; Iſte ſermo , quem præcepit Dominus , dicens : Separate apud vos primitias Domino . Omnis voluntarius , & prono animo offeret ea Domino , aurum , argentum & æs &c.*

In ſexta , quæ eſt Tab. LIX. ſub fig. 1. vides Iſraëlitas rubri maris profunda ſicco veſtigio tranſeuntes ; hinc inde Virgæ Moſaïcæ imperio recedentibus undis , ac ſtantibus , quæ deinde iterum reſolutæ , inſequentes Ægyptios , cum equis & curribus rueruntque ; ut Exod. cap. 14. teſtatur his verbis : *Dixitque Dominus ad Moſen &c. Tu autem eleva virgam tuam , & extende manum tuam ſuper mare , & divide illud , ut gradiantur filii Iſraël in medio mari per ſiccum . Ego autem indurabo cor Aegyptiorum , ut perſequantur vos , & glorificabor in Pharaone &c. cumque extendiſſet Moſes manum ſuper mare , abſtulit illud Dominus , ſtante vento vehementi , & urente totâ nocte , & vertit in ſiccum , diviſaque eſt aqua , & ingreſſi ſunt filii Iſraël per medium ſicci maris . Perſequen-*


Fig. 1.
TAB. LVIII.

Fig. 2.
Fig. 3.



Fig. 1.

TAB. LIX.

Fig. 2.




Fig. 1.
TAB. LIX.
Fig. 2.

*quenteſque Aegyptii ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus &c. cumque extendiſſet Moſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus, reverſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & Equites cuncti exercitûs Pharaonis, nec unus quidem ſuperfuit ex eis &c.* De hoc per mare tranſitu hæc carmina cecinit Aurelius Prudentius:

*Tutus agit Vir juſtus iter, vel per mare magnum*
*Ecce Dei famulis ſciſſim freta rubra dehiſcunt.*
*Cum paccatores rabidos eadem freta mergant.*
*Obruitur Pharao: patuit via libera Moſi.*

In ſeptima ſub Tab. LVIII. ſupra relata fig. 3. Congregatio filiorum Iſraël queritur, muſſitatque adverſus Moſem, quare ejus tum queſtus, tum fames à Deo ſedatur pluviis ad veſperam coturnicibus per caſtra in circuitu, ſic. text. Exod. cap. 16. *Loquutus eſt autem Dominus ad Moſem, dicens: audivi murmurationes filiorum Iſraël; loquere ad eos, veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus; ſcietiſque, quòd ego ſum Dominus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra. Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum &c.*

Hanc hiſtoriam ſic metricè deſcribit præcitatus Prudentius.

*Panibus Angelicis albent tentoria Patrum,*
*Certa fides facti, tenet Vrceus aurens exin*
*Servatum manna. Ingratis venit altera nubes*
*Atque avidos carnis ſaturat congeſta coturnix.*

In octava autem ſub Tab. LX. fig. 1. Superiùs Moſes è petra ictu virgæ undas elicit, ut ſitientes, & aridas populi fauces recreet, & maledictis, quibus impetebatur occurrat: totum hoc habes in cap. 17. Exodi ibi: *Et ait Dominus ad Moſen; antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſraël, & virgam quâ percuſſiſti fluvium, tolle in manu tua, & vade. En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Horeb: pecutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moſes ita coram ſenioribus Iſraël, & vocavit nomen loci illius*, tentatio.

Inferiùs autem cùm Amalec Iſraëlitas invaderet, Moſes præcipit Joſuë, ut hoſti militibus lectis occurrat, & pugnet adverſus eum, qui dicto parens, copias in Amalechitas educit; Moſes interim comitantibus Aaron, & Hur montem oraturus aſcendit, audi Exod. cap. 17. *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim: dixitque Moſes ad Joſuë: Elige viros, & egreſſus, pugna contra Amalec cras. Ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea &c.*

Nona, ut in Tab. LIX. fig. 2. pugnam eandem repræſentat, & Moſen ſupra montem orantem, cujus Cælo ſupinas, ac feſſas manus hinc inde Aaron & Hur fulciebant, de quo eodem cap. *Fecit Joſuë ut locutus erat Moſes, & pugnavit contra Amalec: Moſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis, cumque levaret Moſes manus, vincebat Iſraël.*

Decimæ prior area in Tabul. LXI. fig. 1. Coræ, ſociorumque ejus adverſum Moſen & Aaron ſeditionem deſignat, qui poſtquam eos objurgavêre, quòd ſupra populum elevarentur, eundem in illos incitaverunt, quod fusè Num.cap.16.n. 1. ubi: *Ecce autem Coræ filius Iſaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan, atque Abiron filii Eliab. Non quoque filius Pheleth de filiis Ruben, ſurrexerunt contra Moſen, aliique filiorum Iſraël ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ, & qui tempore Concilii per nomina vocabantur. Cumque ſtetiſſent adverſum Moſen & Aaron, dixerunt: ſufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur elevamini ſuper populum Domini?* pluribuſque interjectis, ſequitur facer text. nu. 18. *Quod cum feciſſent* (Coræ ſcilicet, & reliqui ejus aſſeclæ, quos Moſes & Aaron juſſerat ſeorſim ab Aaron incenſum adolere) *ſtantibus Moſe & Aaron, coacervâſſent adverſum eos omnem multitudinem ad Oſtium Tabernaculi, apparuit cunctis gloriam Dei &c.*

In ſecunda autem area populus Moſi infenſus, iratuſque propter exitium Coræ, Dathan, & Abiron, quos terra dehiſcens vivos exhauſerat, & ducentum quinquaginta Procerum, quos ignis ultor abſumpſerat, impetum facit in eos, qui ad tabernaculum Dei confugiunt; illudque nubes cooperit, ut a furijs improborum reddat incolumes. Audi nu. 41. eodem cap. *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moſen & Aaron dicens: vos interfeciſtis populum Domini, cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret* (vel ut vertunt Septuaginta, *cum irrueret ſynagoga ſuper Moſen, & Aaron*) *Moſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes &c.* licèt ultimis hiſce verbis verſio Septuaginta aliquantulùm diſſonare videatur: cui cæterę ferè concinunt; nam hæc priùs nube obvolutum tabernaculum tradit, quàm Moſes, & Aaron ingreſſi eſſent: en verba: *Et cum impetu iverunt ad tabernaculum teſtimonii; illud verò obtexit nubes, & apparuit Gloria Dei, & intravit Moſes, & Aaron in faciem tabernaculi Teſtimonii*: vel ut translatio ex Hebr. 5. Pagnini: *Et operuit illud nubes, & conſpecta eſt gloria Dei, et venit Moſes et Aaron coram tabernaculo Eccleſiæ.* Unde, ut verum fatear, nubes hæc maxima Tabulæ tenebras offundit, præſertim cùm eam tres viri circumdet, populumque fugientes appareant, & in Sacra ſcriptura nonniſi duo, Moſes & Aaron enumerentur. Sed fortè in hac aliquantulùm ab hiſtoria pictor divertit, & quodlibet audendo ſemper ſibi datâ poteſtate uſus eſt, Moſi, & Aaron ſummo Dei Sacerdoti Levitam adjungens, ut ferè ubique in hoc opere duos Moſi comites dedit, Aaron ſcilicet, ac tertium neſcio quem, licèt aliquando fuiſſe Hur expreſsè legamus; quòd vide in Tab. LIX fig. 2. & Tab. LX. fig. 1. in inferiori parte: in quibus Moſes duobus viris medius eſt. Præterea quò magè angebar, & an pedibus (vt aiunt) in eam ſententiam irem, necne, dubium diutiùs tenuit, illè virorum globus fuit, non utcunque irruentium, ſed lapidibus impetentium fugientes; quod tamen minimè ſacro cujuſque verſioni Textui con-

Fig. 1.
TAB. LXI.
Fig. 2.

concors eſt. Quare cùm hæc vera lapidatio videatur, ſacram Bibliam conſulens operoſiùs, nullam apidationem haurire potis fui, quæ hiſce Figuris aptior eſſet, niſi eam quâ Joſuë cap. 7. Achan cum omni domo ſua concidit, quòd contra Dei præceptum in Urbis Hiericho depopulatione, quædam ſubripuiſſet, quo circa lapidibus obrui ſuoque igne conſumi Deus imperavit. Sed neque hæc cum iſta Tabula concordat; nam poſt Moſis obitum ſequuta eſt, hæc verò cum adhuc viveret; ejus enim exceſſus in ſequenti undecima Tabulâ videmus. Imò Achan poſt Hiericho expugnationẽ, quæ Tabulâ decimaquarta exprimitur, interemptus occubuit, ac proinde in decimaquinta repræſentari debuerat, & ſic ordo præpoſterus: quia ſi hanc Deus lapidationem imperaverat, cur lapidatum nubes prodigioſa protegeret? cur extima ſuperficies illius lapidum impetus frangerent, & ab ea reſilirent? Adde quòd extra caſtra, procul à tabernaculis, tentoriiſque lapidibus ictus excidit; quomodo ergo ei fœderis ad tabernaculum confugium patuiſſet? dum hïc iis coram tabernaculo impetitur, & in ipſum rectò confugiunt. Quapropter priori de Moſe & Aaron adhærens, ideo lapides populo datos dicerem, ut ejus impetus quoquomodo exprimeretur, qui nunquam inermis eſt, nudis enim (ut alius cecinit) *furor arma miniſtrat*, & prima, potioraque iratæ plebi, ut plurimùm terra ſufficit, & in promptu jacent.

In undecima, ut Tabul. LX. fig. 2. Moſes Levitis volumen tradit, in quo Deuteronomium deſcripſerat, iuſſitque in Arca fœderis Domini cuſtodiri; ut ex Deuter. cap. 31. hauſimus: en verba: *Poſtquam ergo ſcripſit verba Legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens: tollite Librum iſtum, et ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri, ut ſit ibi contra te in teſtimonium; Ego enim ſcio contentionem tuam, et cervicem tuam duriſſimam &c.* & paullò poſt: *Congregate ad me omnes majores natu per Tribus veſtras, atque Doctores, et loquar audientibus eis ſermones iſtos &c.* Quibus cum Dei beneficia recenſuiſſet, cumque ingratitudinem exprorâſſet, hortatur ut Dei ſua præcepta cuſtodiant, ac ſeruent his verbis, quæ in ſequenti cap. ejuſdem libri leguntur: *Ponite corda veſtra in omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis veſtris cuſtodire, et implere univerſa, quæ ſcripta ſunt in volumine Legis hujus, quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed ut ſinguli in eis viverent, quæ facientes longo perſeveretis tempore in terra, ad quam Jordane tranſmiſſo ingredimini poſſidendam.* Quibus completis, Deo jubente montem Abarim, ideſt *tranſituum*, explicat ipſe textus, aſcendit, & ſupra verticem Phaſga, qui pars Abaris eſt, omnem terram ultra Jordanem promiſſam Iſraëlitis intuitus contemplatuſque, ibidem ultimum vitæ ſuæ diem claudit, & à Deo ſepelitur: quæ accipe ex ultimo Deuteron. *Aſcendit ergo Moſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo in verticem Phaſga contra Hiericho, oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad uſque Dan, et univerſum Nephtali, terramque Ephraim, et Manaſſe, et omnem terram Juda uſquè ad mare noviſſimum,*

*mum, et Auſtralem partem, et latitudinem campi Hiericho Civitatis palmarum uſque Segor. Dixitque Dominus ad eum: Hæc eſt terra, pro qua juravi Abraham, Iſaac, et Jacob, dicens: ſemini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, et non tranſibis ad illam, mortuuſque eſt ibi Moſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino: & ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem.* Univerſa hæc in altiori hujus Tabulæ parte adamuſſim videas: in infima vèro Joſuë habemus à Deo Moſis loco ſuffectum, Ducemque populi conſtitutum, ut indicat haſta, quam gerit. Hic itaque monitu Domini electis duodecim viris è duodecim tribus Iſraël, præcepit, ut irent ante Arcam Domini ad medium Jordanis, & inde ſinguli ſingulos lapides juxta numerum filiorum Iſraël aſportarent in humeris ſuis, ſic Joſuë cap. 4. *Vocavitque Joſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſraël, ſingulos de ſingulis Tribubus, & ait ad eos: Ite ante Arcam Domini Dei veſtri ad Jordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris juxta numerum filiorum Iſraël, ut ſit ſignum inter vos.*

In duodecimæ Picturæ ſuperiori area, ut Tabul. LXII. fig. 1. prædicta continuatur Hiſtoria; cerniturque duodecim virorum reditus lapides duodecim ſuccollentium è medio Jordane petitos: necnon Arcam fœderis, quam Joſuë comitatur; ut legitur in lib. Joſuë cap. 4. *Fecerunt ergo filii Iſraël ſicut præcepit eis Joſuë, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperârat, juxta numerum filiorum Iſraël uſque in locum in quo caſtramentati ſunt, ibique poſuerunt eos*: ſic poëticè cecinit de iſtis lapidibus Prudentius ſupra memoratus:

*In fontem refluo Jordanis gurgite fertur*
*Dum calcanda Dei populis vada ſicca relinquit.*
*Teſtes bis ſeni lapides, quos flumine in ipſo*
*Conſtituêre Patres, in formam diſcipulorum.*

Inferior autem area, cùm ſequentibus Tabulis deſcribenda ſit, Urbis Hiericho maximè admirabilis expugnatio, altiùs hiſtoriâ repetit, orditurque à duobus exploratoribus, qui Joſuë jubente Hiericho Civitatem ſubintrant, & à meretrice excipiuntur. Adi cap. 2. ejuſdem lib. ubi hæc: *Miſit igitur Joſuë filius Nun de Setim duos viros exploratores in abſcondito, & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, Urbemq; Hiericho; qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Raab, & quieverunt apud eam.*

In decimatertia, ut eadem Tabula LXI. fig. 2. & inferiori parte Raab meretrix; quæ exploratores prædictos hoſpitio exceperat, clanculum è feneſtra per funem dimittit: accipe Joſuë teſtimonium cap. 2. *Demiſit ergo eos per funem de feneſtra; domus enim ejus hærebat muro; dixitque ad eos: Ad montana conſcendite ne fortè occurrant vobis revertentes* (milites hîc intelligit, qui feminæ ejuſdem dolo ad inquirendos extra Urbem exploratores contenderant) *ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis per viam veſtram.* Hi porrò reduces omnia quæ acciderant Joſuë enunciant,

ut

Fig. 1.
TAB. LXIII.

Fig. 2.

Fig. 1.

TAB. LXII.

Fig. 2.

ut ex eodem cap. *Quibus* (ideſt militibus in eos immiſſis) *Urbem ingreſſis, reverſi ſunt, & deſcenderunt exploratores de monte ex tranſmiſſo Jordane, venerunt ad Joſuë filium Nun, narraveruntque ei omnia, quæ acciderant ſibi &c.* & hæc in ima Tabulæ parte viſuntur: in altiori verò continuatur hiſtoria, quàm ſacer Textus Antiquæ vulgatę verſionis in eod. lib. c. 5. ita narrat: *Cùm autem eſſet Joſuë in agro Urbis Hiericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium perrexitque ad eum. Et ait: Noſter es, an Adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam; ſed ſum Princeps exercitûs Domini* (prout talis è diademate capiti ejus impoſito arguitur, hoc enim inſigne Principum eſt, ut ſupra Cap. 14 De coronis oſtendimus) *& nunc venio. Cecidit Joſuë pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? Solue inquit calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt: fecitque Joſuë, ut ſibi fuerat imperatum.*

In decima quarta Tab. LXIII. fig. 1. videtur ejuſdem urbis excidium, clangentibus tubis, populo Iſraëlis vociferante, & arca Domini ſepties mœnia circumducta, collapſa. Hæc Scripturæ verba in Joſuë cap. 6. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis, vox, ſonituſque increpuit, muri illicò corruerunt, & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contrà ſe erat, cœperuntque civitatem.*

In decimaquinta, ut in Tab. LXII. fig. 2. obſidium urbis Hiericho, eſt, quod nullus egredi, aut ingredi audebat, oppugnantibus, inſtantibuſque Iſraëlitis; quæ Tabula mirum quantum conſonet ſacris paginis, è quibus hæc Joſuë cap. *Hiericho autem clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſraël, & nullos egredi audebat, aut ingredi.* Subtus verò Joſuë Deus alloquitur, edocetque, quid opus ad urbis expugnationem; ut in eodem cap. *Dixitque Dominus ad Joſuë, Ecce dedi in manu tua Hiericho, & Regem ejus, omneſque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem, ſic facietis ſex diebus: ſeptimo autem die Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo, & præcedant arcam fœderis, ſeptieſque circuibitis civitatem &c.*

Decima ſexta ſub Tab. LXIV. fig. 1. Joſuë exhibet cum copiis ſuis pugnantem contra Amorrhæos, in quos Dominus grandinem lapideam immittit. Vide Joſuë cap. 10. ubi hæc: *Irruit itaque Joſue ſuper eos repentè tota nocte aſcendens de Galgallis, & conturbavit eos Dominus à facie Iſraël, contrivitque plagâ magnâ in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethhoron & percuſſit uſque Azeca & Maceda, cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Beth horon, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de Cælo uſque ad Azeca, et mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſraël.*

In decima ſeptima, ut Tab. LXIII. fig. 2. cernere eſt, ut Joſuë contra Amorrhæos pugnantis imperio Sol ſtat, ac eo uſque differt Occaſum, donec integram palmam ex hoſte referrent Iſraëlitæ: hoc docet idem cap. 10. Joſuë: ubi ſic: *Tunc loquutus eſt Joſuë Domino in die quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram*

*ram eis : Sol contra Gabaon ne movearis : et Luna contra Vallem Aialon : ſteteruntque Sol et Luna , donec ulciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis .*

In decima octava , ut dicta Tabul. LXIV. fig. 2 Reges, qui ne victoribus manus darent , delituerant in ſpelunca, Joſuë imperante extrahuntur,& ad eum vincti ducuntur . Ibidem nu. 22. & 23. hæc habentur : *Præcepitque Joſuë dicens ; aperite os ſpeluncæ , et producite ad me quinque Reges , qui in ea latitant feceruntque miniſtri , ut ſibi fuerat imperatum , et adduxerunt ad eum Reges de ſpelunca &c.*

Tabulæ decima nona & vigeſima deſunt , ſed earum areæ , ac lacunæ Picturis ſuppletæ ſunt .

Et hæc ſunt figuræ , quæ ad noſtra uſque ſæcula perennavêre .

## CAPUT XXIII.

*De Eccleſia SS. Nazarii & Celſi , vulgò Gallæ Placidiæ appellata , in Civitate Ravennatenſi ; ac operibus Muſivis ab eadem Galla Placidia anno 440. conſtructis .*

GALLA Placidia, qua in illuſtranda , cùm Auguſtæ Proſapiæ nobilitas , tum pereximiæ animi dotes , præſertim verò Religio , certârunt, præter quamplurima , egregiaque pietatis ſuæ monimenta , non modò Romæ , ſed etiam Arimini , & alibi conſtituta , quà reſtauratis Baſilicis , aut ornatis , quà à fundamentis erectis ; Ravennæ quoque quatuor conſpicua templa excitavit , unum quidem S. Joanni Baptiſtæ , ac aliud Joanni Euangeliſtæ , tertium verò S. Cruci , quartum denique ( de quo in præſenti plura dicemus ) SS. Nazario & Celſo Martyribus . Hujus templi ſtructuram circa nonum luſtrum quinti ſæculi accidiſſe colligimus ex Rubeo in ſua Hiſtoria Ravennatum .

Baſilica hæc , ut Hieronymus Fabri , quem ſequimur , auctor eſt in ſuis ſacris memoriis antiquæ Ravennæ , nobilibus ab Hiſtoricis celebratur ; cùm ab Alexandro Alberto : *ditiſſima ædes , maximæ profectò artis & induſtriæ , maximique ſumptûs opus* , dicatur . Prope alia duo templa unum S. Vitalis , alterum S. Crucis tolluntur , molis quidem haud ingentis , ſed materiâ , atque opificio nulli ſecunda ; cum non modò tribuna , ſed fornix in ipſo muri pulcherrimo Muſivo opere varias cùm hominum , tum animalium figuras ad viuum referant .

Eam in Crucis formam prædicta Galla Placidia Imperatrix ædificavit an. ſal. 440. & pro Mauſolêo delegit, ut ibi non ſuimet ſolùm , ſed & aliorum è ſua gente Cæſarum cineres reconderentur . Propterea Regiam januam ingredientibus , per quam hodie Caſſinenſium Monachorum hortus aditur , geminæ hinc inde urnæ conſpiciuntur ex Iſtrio quidem lapide, ſed operis inelegantis , in quibus duos Valentiniani & Honoriæ , filiorum Gallę Placidiæ,morum Magiſtros , ſepultos fuiſſe , fama eſt . Utraque earum adeo muro inhæret , ut inde vix octo uncias promineat . Ea quæ ad dexteram ingredientium eſt , uti etiam alia è conſpectu , quatuor , aut quinque unciis à pavimento elevatur , habetque in longitudine ſex pedes , & unciam unicam cum dimidio ; in altitudine

TAB. LXIV.

Fig. 1.

Fig. 2.



dine verò duos, & uncias ſeptem; & Crucis ſignum in fronte præſefert. Altera autem, quæ à ſiniſtris eſt, nullum omnino ſignum inſculptum habet; longa tamen eſt pedes ſex, & uncias ſeptem, alta tres pedes: ambarum tamen operculum in acutum angulum deſinit: Paullò ſupra has Urnas, duo Auguſtorum monumenta tolluntur, ex Græco marmore, ſed opificii, atque ſtructuræ magnificentiâ multò nobiliora. Illud à dexteris Honorii Imperatoris, qui Ravennæ deceſſit, exuvias aſſervat, Alterum verò à ſiniſtris, Valentiniani III. ſive Conſtantii Auguſti, ut ſcribit Faber: Ferretus tamen aſſerit in eodem ſepulchro duorum cadaverum oſſa reperiri, eademque amborum Imperatorum Valentiniani, & Conſtantii eſſe arbitratur. Nec obſtare ait, Valentinianum Romæ obiiſſe, ibidemque ſepultum: nam haud inveriſimile eſt, poſtmodùm jues cadaver illûc aſportatum, & in majorum ſuorum ſepulchro reconditum. Hic ſarcophagus in longitudine ſex pedum eſt, ac unciarum ſeptem, in altitudine pedum quinque, in latitudine trium. In fronte tres agni inſculpti ſunt, duo in lateribus, unus in medio. Porrò hic ſtat veluti ſupra rupem, ex qua quatuor flumina erumpunt: in eorum ſpeciem, ac ſymbolum, quæ à Paradiſo terreſtri Genes. cap. 1. defluxiſſe narratur, vocanturque Phiſon, Gehon, Tigris, & Euphrates. Agnus ſtans ſupra rupem caput habet diadematum cum litera P. & Hieroglyphicum eſt, quo priſci Chriſti Fideles Chriſtum Dominum noſtrum exprimere voluere; ſicut per agnos aſtantes Apoſtolos, ut infra fuſiùs dicturi ſumus. Ab agnorum lateribus duæ Palmæ fructibus graves aſſurgunt, quæ (ut opinor) nihil aliud denotant niſi victoriam, & iuſtitiam. Ad ſiniſtrum tumuli latus altare proſpectans omni Hieroglyphico caret. Dexterum verò ingreſſum reſpiciens, habet duas Palmas, quarum in medio poſitum eſt vas anſatum, unde fons quidam videtur efluere, in quo duæ columbæ tanquam bibentes expreſſæ ſunt. Hierogliphicum ſic explicarem: Fons Chriſtum Dominum innuit, ut docet S. Auguſtinus in Pſalm. *Quis eſt fons vitæ, niſi Chriſtus*. Columbas verò Chriſti Fideles, qui Chriſtum ſitire debent; columbarumque gemitus, charitatem, candorem, ſimplicitatem, ac manſuetudinem imitari. Operculum monumenti in arcæ formam faſtigiatur, habetque à lateribus hæc Hierogliphica A. ☧ Ω. è quibus A. & Ω. communitèr pro principio, & fine accipiuntur ☧. verò pro Chriſto. Unde juxta earundem literarum ordinem, ſic legi poſſent: *Principium Chriſtus eſt, & finis*.

Quartus ſarchophagus, qui regiam januam ingredienti dexterior objicitur, Honorii Imperatoris (ut dictum eſt,) & Gratæ Honoriæ cineres continent, cum in eo duo cadavera conſpiciantur, teſte citato Ferretto. Hujus in facie tres januæ cælatæ ſunt. Harum quæ media eſt anguli acuti tympanum habet; lateralium verò tympana portionem circuli præſeferunt. Omnes in medio Cruce inſigniuntur, ſed quæ medio eſt in ipſius brachiis duas columbas habet, & inferiùs ad pedem ſtat agnus veluti ſupra rupem, ex qua quatuor flumina dilabuntur: quæ Hierogliphica ſatis ſuperque in ſuperiori ſepulchro explicuimus. Præterea hujus

à tergo eædem figuræ cernuntur, rudi tamen ſcalpro elaboratæ, & imperfectæ. Hinc inde à lateribus vas eſt, cujus labro duæ columbæ inſident, quæ ſupra explicatæ ſunt. Sepulchri operculum rotundum eſt, & ſquammatìm cælatum; aliqua ſui parte ab utroque laterum prominet, & ea, quæ altare reſpicit iidem characteres A. ☧ ω cum arabicis figuris inſculpti ſunt: in altera verò oppoſita Palmæ arbor cum fructibus, ac duo agni, Marmoreæ hujus arcæ altitudo eſt pedum quinque, & unciarum quinque; longitudo ſex pedum; latitudo verò trium, & unciarum novem.

Omnium tamen, quæ in hac Eccleſia conſpiciuntur, nobiliſſimum monumentum eſt, quod ad ejus caput, videlicet poſt aram maximam elevatur. Hoc non amplitudine ſolùm, ſed etiam majori marmoris nitore cætera antecellit: in cælatura verò ſimplex eſt, cum ſolummodò tam in anteriori, quam poſteriori facie, duæ cernantur illiteratæ volutæ, anaglyphico opere ſculptæ. Intùs Gallæ Placidiæ cadaver excipit; quod quidem, non uti mos eſt, ſtratum, atque ſupinum in eo tumulo conditum fuit, ſed in pulcherrima ſede cipreſſina, tanquam ſederet. In hoc autem ſtatu, ut quamplurium teſtimonio cognitum eſt, ultra mille annorum ſpatium permanſit, & adhuc etiam permaneret, ni ſors diverſa tuliſſet: Anno enim Domini 1573. die 3. Maii; cum quidam pueri per foramen, ſeu rimam ſepulchrum immiſſis facilis introſpicerent, tantum illicò incendium cipreſſinas tabulas, quæ tumulum intra circumambiebant, invaſit, ut omnem quam vis ſollicitam, expeditamque Monachorum opem præverterit, & nihil præter arida tantæ Imperatricis oſſa reliquerit, quæ quàm proceræ ſtaturæ ipſa fuerit, argumento ſunt.

De titulo autem hujus Eccleſiæ non parva diſceptatio eſt. Rubeus enim, in ſua hiſtoria Ravennatum, à quo Faber plurima mutuatus eſt lib. 2. ad an. 384, pag. 89, Divis Nazario, & Celſo dicatam tradit his verbis: *Divis etiam Nazario, & Celſo elegantiſſimam extruxit ædiculam, in qua ſepeliri voluit, ab Crucis haud procul: Parietes præclaro marmore undique incruſtati; pavimentum, ipſaque ædiculæ teſtudo vermiculato opere pulcherrimè exornata.* Diſcrepant tamen Leander Albertus, & Blondus, eam Sanctis Gervaſio, & Protaſio Martyribus ſacratam fuiſſe affirmantes: nunc verò omnis tituli quæſtio ſopita eſt, cum Eccleſia iſta vulgò Gallæ Placidię denominetur.

Hujus ædificii Tholus pulcherrimo, atque ſcitiſſimo Muſivo opere ornatur. Cœlum enim ſtellatum repræſentat, ut videre eſt in tab. LXV. in cujus medio Crux deaurata coruſcat, longitudinis ſecundum aſpectum trium pedum, latitudinis verò unius circitèr. Caput ipſius Crucis Honorii ſepulchrum reſpicit; pes vero illud Valentiniani. In quatuor tholi angulis, quatuor Evangeliſtæ ſub animalium figura expreſſi ſunt, & in ſingulis quatuor arcubus, qui tholum eundem ſuſtentant, nonnullæ figuræ hominum. In arcu enim ſignato lit. A. qui Gallæ Placidiæ ſepulchro ſuperſtat, duo viri cernuntur, tunica, ac pallio veſtiti, in cujus fimbriis I. monogramma inſertum eſt. Inter hos par-

TAB. LXV.




pag. 226.

t
c
l
l
l
c
l
r
a
e
f
h
q
d
&

c
m
p
el
li
re
si
ar
ce
pl
P
de
su
se
qu
qu
es
m
ni
D
da
se
ce
pr
tra
on

Fig. 1.

Fig. 2.

ligenti
uri ju-
ima in
m pu-
corum
dus in
i alte-
t Con-
, cum
fuere:
*Illud*
*um ab*
*henſus*
*m ad-*
*e mul-*
ſigni-
ita ſa-
us ve-
t, qui
diendi
o, ac
viſun-
uſivæ
. Duo
manu
is pal-
trum-
nullis
dio eſt
en ex-
literis
tabu-
foliis,
natur,
orum

homi-
arbo-
poſita
niani,
o quo-
orem,
is Mo-
cho-

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig.1.

TAB.LXVI.

Fig.2.

parva ad lucem excipiendam feneſtra aperitur: uniuſcujuſque enim ſub pedibus concha aqua plena depicta eſt, fontem referens, ad quem advolant duæ columbæ, quod Hieroglyphicum ſupra in tertii ſarcophagi deſcriptione jam expoſuimus. In dextro quoque arcu, qui lit. B. repræſentatur, ſunt duo viri cum fonte, & columbis, ut etiã in reliquis duobus arcubus lit. C. D deſignatis. Notandum hîc, quòd duo viri in areolâ lit. B. notatâ expreſſi, in oppoſita areola ad pedem Crucis collocandi erant, ac illi qui in oppoſita areola C. in iſtorum loco ponendi, ut nobis ſignificavit D. Franciſcus Negri, qui has, aliaſve figuras muſivorum operum Ravennatenſium, illorumque deſcriptiones à nobis abſentibus factas cum originalibus pro ſua humanitate contulit. Poſt has figuras ſequuntur aliæ eodem Muſivo opere perelegantèr elaboratę, extantque in parietis ſummitate, retrò Gallæ Placidiæ ſarcophagũ, quę in tab. LXVI. fig. 2. demonſtrantur.

In medio hujus muſivi operis viſitur Chriſtus Dominus veluti incedẽs, Crucem humero dextro bajulans, ac ſiniſtra librum apertum tenens: pallii fimbriæ, ac ſi vento inflatæ ſint, elevantur, habentque monogramma I. ante pedes Chriſti craticula expreſſa eſt, ſub qua ignis; ſupra verò parva feneſtra, ac prope eam, craticulamque, codicum ſcrinium apertum, in quo librorum tituli leguntur, videlicet: *Lucas*, *Matthæus*, *Joannes*. Quid autem per hæc duo Hieroglyphica, nempe craticulam, & ſcrinium denotetur, ſi divinari mihi fas ſit, exprimi per ea putaverim nuperrimum Theodoſii, & Valentiniani decretum, quo impii, ſacrilegique Neſtorii codices in Epheſina ſynodo damnati, cum diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi jubebatur; ut habetur in lege ultima in Cod. Theodoſiano; quem morem publicè comburendi libros hæreticorum oſtendit eruditiſſimus Gothofredus in notis ad ſupradictam legem; ubi alterum huic ſimile decretum refert Conſtantini Magni, promulgatum, cum Arius, ejuſque opera damnata fuere: en Conſtantini decreti verba: *Illud etiam mandamus, ut ſi quis librum ab Ario compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſerit, morte mulctetur* Proximo autem ſcrinio ſignificatur, quàm magna, ac ſollicita ſacroſanctis Evangeliorum còdicibus veneratio, atque cura habenda ſit, qui in ſcriniis, ſeu arcis ſunt cuſtodiendi

In arcu ingredientibus dextero, ac ſupra ſepulchrum Valentiniani viſuntur etiam in muro nonnullæ muſivæ figuræ, ut in Tab. LXVI. nu. 1. Duo ſunt viri ſtantes, volumenque manu tenentes; eorum alter in fimbriis pallii habet monogramma I; inter utrumque caput eſt laurea corona nonnullis lemniſcis inſerta; & in ejus medio eſt monogramma Jeſu Chriſti nomen exprimens cum A. & ω. de quibus literis ſupra jam dictum eſt. Reliquus tabulæ campus arborum truncis, & foliis, ac duobus cervis, aut apris, ornatur, aliquâ tamen parte injuriâ temporum corroſus calce obductus eſt.

Alterum huic ſimile cùm hominum, tùm animalium, atque arborum figuris in muro è regione oppoſita jacet ſupra ſepulchrum Valentiniani, ut in Tab. LXVII. nu. 1. In muro quoque, qui eſt ſupra januam majorem, per quam, ut diximus, hortus Mo-

nachorum aditur, est aliud musivum, sed in aliqua sui parte dilapsum, ut in eadem Tab. LXVII. num. 2. In qua Christus Dominus saxo insidere, sinistra Cruci inniti, dextra verò ovi blandiri videtur. Circa eum stant aliæ quinque oves, quasi ad ejus vocem vertentes capita, illumque intuentes. Quid autem per istud symbolum denotetur, clarissimè patet ex Joanne cap. X. ubi Jesus ait: *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.* Et paullò post: *Ego sum Pastor bonus: & cognosco meas* (videlicet oves) *& cognoscunt me meæ.* Et inferiùs: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Et ex communi Patrum suffragio, qui sæpe pro Christi Fidelibus oves accipiunt.

## CAPUT XXIV.

*De majori Arcu, Musivo opere in Basilica S. Pauli viâ Ostiensi à Sancto Leone I. Anno 441. ædificato.*

OStiensis via, quæ ad supremum vitæ, ac religionis certamen Doctorem Gentium perduxerat, emeritos Apostoli triumphos, sacrarum ædium testimoniis concelebrat. Cætera tamen templa D. Paulo nuncupata longè antecellit, cùm amplitudine molis, tùm adorati sarcophagi pretio, regium illud, quod ab Imperatoria Magni Constantini liberalitate, teste Bibliothecario in vita Sylvestri, basilicè excitatum, ornatumque tantum addidit piissimi Principis nomini, quantum Christiani populi supplicationibus, & orantium opportunitati. De hoc Prudentius inter antiquos Poëtas, necnon inter Catholicos jure receptus, cecinit in ea parte Περιστεφάνων quam Apostolorum Passioni addixit.

*Parte alia Titulum Pauli Via servat Ostiensis,*
*Qua stringit amnis cespitem sinistrum.*
*Regia pompa loci est; Princeps bonus*
*has sacravit arces.*
*Clausitque magnis ambitum talentis*
*Bracteolas trabibus sublenit ut omnis aurulenta.*
*Lux esset intus ceu jubar sub ortu.*
*Subdidit & Parias suluis laquearibus columnas*
*Distinguit illic quas quaternus ordo.*
*Tum camuros hyalo insigni variè*
*cucurrit Arcus.*
*Sic prata Vernis floribus renident, &c.*

Constantini Magni religio, uti sceptrum, in alios, alioque Cæsares transmissa est. Quare maximo splendidæ pietatis exemplo permoti Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, pluresque ex Augusto germine Principes, cultum formamque nobilissimi hujus templi sanctiori quadam æmulatione, promoverunt. Hos deinde sequutus Honorius, Sallustii Præfecti Urbis operâ, molem ab Atavis inchoatam absoluit.

Ita demum in eam amplitudinem, ac majestatem redacta est Basilica, quam hodie usque retinet: quotidianis piorum erogationibus, priscæ elegantiæ sæpius restituta.

Cæterùm cum Augustis Principibus, Augustarum fœminarum animus certavisse videatur, in hujusce templi ornatibus comparandis; Galla Placidia Imperatoris Theodosii senioris filia,

filia, uxor Conſtantis Cæſaris, ac mater Valentiniani III. Imperatoris, non exiguam præſtitit operam, ut ſacrorum parietum cultus niteſceret: ſiquidem (ſuaſſu S. Leonis Papæ hujus nominis I. Arcum triumphalem) Muſivo picturæ genere excoluit, pro ut illius reliquiæ adhuc ſuperſtites apertè teſtantur. Illas hìc à me annexas conſule. Arcus ejuſdem Iconem Hadrianus Papa deſcribit in Epiſt. 3. ad Carolum Magnum, ubi in reſponſione ad interrogata in Actione V. *In Baſilica*, (inquit) *B. Pauli, S. Leo*, qui electus fuit anno 440.) *Arcum ibidem majorem faciens, & in Muſivo depingens Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſeu viginti quatuor Seniores nomine ſuo verſibus decoravit, & à tunc uſque hactenus fideliter à nobis veneratur.*

Leguntur adhuc reliquiæ duorum verſuum, quos edax temporum fames nondùm penitùs laceravit. Hi, prout in icone annexa, ſic habent.

*Placidiæ pia mens operis decus homn...*
*Gaudet Pontificis ſtudio ſplendore Leonis.*

Integros vero eoſdem retulit Grutherus in ſuis inſcriptionibus in Appendice pag. 1170. num. 6. quinimò & alios, qui ſequuntur, præpoſuit.

*Theodoſius cœpit, perfecit Honorius aulam*
*Doctoris Mundi ſacratam corpore Pauli.*
*Placidiæ pia mens operis decus omne paterni.*
*Gaudet Pontificis ſtudio ſplendore Leonis.*

Aliis verbis ſupplevit Baronius mutilum carmen, præteritis omnino prioribus verſibus, quippè qui nec hodie viſuntur. Tomo itaque VI. ad annum 449. num. 167. ita priorem lacunam implet.

*Placidiæ pia mens operis decus hoc faciebat,*
*Gaudet Pontificis ſtudio ſplendore Leonis.*

Pace tanti viri dixerim, præſtare Grutheri ſententiam, cum in Muſivo opere palmaribus literis legatur HOMN. non verò HOC poſt verbum *DECVS*, ut aſſertum Baronii depoſceret. Quòd ſi aſpirationem H abundare dixeris, ſi juxta Grutheri mentem legamus, facilè invenies, eo ſæculo hujuſmodi acceſſionem contra omnes orthographiæ leges; prout videre eſt in quamplurimis inſcriptionibus, ab eodem Gruthero relatis. Utinam illâ ætate nihil iniquius bonis artibus eveniſſet, quàm unius literæ abuſus? At expende, quàm labefactatæ tunc fuerint ſcientiæ, arteſque uniuerſæ, cum integri ſæculi ſopor altus (ſi ſopor dicendus eſt undequaque graviſſimus, horriduſque bellorum ſtrepitus) veternum conclamatiſſimum ingeniis hominum induxiſſet. Non aſtruit tamen Grutherus hac unicâ coniectura, ſententiæ ſuæ firmamentum: aſſerit, ſe quatuor eoſdem verſus deſcripſiſſe ex quodam libro membranaceo Bibliothecæ Palatinæ, qui centum annis ante conſcriptus videbatur, exhibebatque Epigraphes plurimas, è templis almæ Urbis, præſertim verò è DD. Petri, & Pauli, tranſcriptas.

Ut verum temen fatear, mihi non ſatis, liquet, quonam in loco duo priores Grutheri verſus conſiſterent, cum nullum appareat in univerſo arcu veſtigium literarum, præterquam

in

in intimo arcus limbo, cui proculdubio appoſitos non fuiſſe docent ornamenta, quæ ibi habentur, & tituli ſupra Apoſtolorum imagines adhuc conſpicui, quorum area ſatis impletur ab aliis verſibus, quos legis in Icone.

Niſi tamen (qui ſuſpicandi locus unicè ſupereſt, vel in ſummo parietis faſtigio fuerunt adſcripti (ut ſæpe ſolet) Angelorum illorum manibus, qui porrectis brachiis, curvatoque pauliſper corpore quidpiam ſimile detinuiſſe videntur: ut ut ſit, vel operi vermiculato inſerti fuerint, vel marmori inſculpti, hodie nullibi nec ipſorum quidem veſtigia cernuntur.

Diutiùs fortaſſe, quàm par fuit, hæſimus in hiſtoria literarum: facto igitur gradu, Figurarum explicationem aggredimur, præmiſsâ de more brevi earundem deſcriptione.

Summo in arcu Chriſti Servatoris effigies eminet, prout Tab. LXVIII. indicat, rotundo, auratoque diademate ornata, quod circum caput inflectitur: erumpunt è poſtica diadematis parte quamplures radii, quibus ſubjacet circulus coloris albiduli: hunc verò excipiunt quatuor orbes ſensìm creſcentes, illiſque coloribus exornantur, quos in Apoc. cap. 4. D. Joannes exhibuit. *Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis Jaſpidis, & Sardinis; & Iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Ad hanc utique reſpexiſſe videtur Pictoris intentio, & illius ad normam, Iridem ſuam compoſuiſſe, quam interiori quidem ex parte veneto primum, deinde thalaſſino colore inſignivit, extima verò e regione janthinis primum, tum violaceis ſtellis compegit. Chriſti veſtes ſunt tunica, & pallium, utrumque colore rubro coruſcum.

Manus ſiniſtra (nam dextera ferè tota excidit, cujus veſtigium videtur indicare librum tenuiſſe) bacillum ſuſtinet humero impoſitum, ac ultra caput è regione occipitis excurrens, cui abitror Crucem fuiſſe innexam ſupremo in faſtigio, licèt inibi Muſivi operis portio deſideretur. Conjecturam confirmat ſimilis Chriſti Donini effigies in arcu S. Laurentii in Agro Verano, ubi baculus paritèr cruce inſignitus apponitur. Liberum cuique fuerit judicare, an ad avitum morem iſta ſint referenda, quo Imperatoribus, Regibuſque Sceptrum, & Inſignia dignitatis appingimus; an verò ad illa Pſalmi 22. verba. *Virga tua, & Baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Diadema ſymbolum Regni eſt, atque imperii, ut Iſaiæ cap. 62. *Diadema regni in manu Dei.* Radii verò undequàque erumpentes Divinitatis indicium: inſita enim luci majeſtas cœleſte quidpiam apud animos antiquorum referebat. Hinc lampades (ut notat Iuſtus Lipſius in excurſibus ad Tacitum lib. 1. Annal.) inter Principatus inſignia olim Imperatoribus præferebantur, eo quidem tempore, quo ſacrilega hominum aſſentatio Auguſtos, humanitatem, ut plurimùm, honoribus priùs quàm obitu exuentes divinitate donabat.

Hæc de præcipuâ operis figurâ: Exponenda; modò eſt ſeries illarum, quæ circa arcum utrinque ſitæ ſunt. Facile ex iſtis ideam operis erit arguere deſumptam fuiſſe ex 4. cap. Apocalypſeos: conſpicuum enim eſt, quatuor ſupra viginti ſeniores, quos eo in loco recenſet D. Ioannes, hîc adumbrari,

ri, licèt injuria temporum tres ex illis abſumpſerit. Viſuntur hodie a dextera Salvatoris, ſive ad Aquilonem decem nudatis capitibus; undecim verò a ſiniſtra, ſive ad Auſtrum, capitibus velatis; ſinguli albo pallio, & tunicâ induti. Veſtium verò ſinus ſuper utramque manum projecti, & digitos decentèr velant. Coronas inſuper limiles offerentibus, ac linteola ſub coronis, & prono (more adorantium) capite tenent, ita ut dixeris, eos Apocalypſis verba repetere: *Dignus es Dominus Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Sæpe mihi de Senioribus iſtis inſtituendus erit ſermo, cùm in quampluribus illorum operum, quæ deſcripturi ſumus reperiantur: ſemel itaque de illis egiſſe præſtiterit, ne in ſingulis templis recoctam eandem crambem apponere videamur. Religioſa æque, ac elegantia Patrum ingenia, quò aptius cum majeſtate templorum ornatum componerent, ea præ cæteris elegerunt emblemata, quę & ſacris continerentur literis, & auguſtiori ſpecie oculos, animumque inſpectantium detinerent; utrumque ad gravitatem, & ad dignitatem pertinebat. Elegerunt itaque præ cæteris, myſterium illud, quod prophetico D. Joannis ſtylo in Apocalypſi cap. 4. deſignatur; rati tum demùm divinæ ſedis imaginem concinnè ſe exhibituros, cum illam è cœleſti prototypo ad imitandum ſuſciperent. Sicut itaque prima poſt Cœlum apertum viſio ea eſt, de qua ibi Apoſtolus agit; ita introeuntibus ad tabernaculum Dei cum hominibus aptè voluerunt, nihil prius occurrere, quàm eandem throni cœleſtis effigiem. Digniſſimo templi igitur loco eam ubique ferè collocatam inſpicimus, itaut per maximam portam ingredientes, ad eundem accedere nos pio quodam, & intimo honore ſentiamus, cujus altiſſimam Majeſtatem Cœli non capiunt, quemve univerſi Beatorum Ordines in ampliora laudum tributa profuſi, & innoxiè, feliciterque trementes adorant.

Cur verò præ cæteris Prophetarum, & Apoſtolorum enarrationibus, ſeu figuris Deum exhibentibus, hanc Beato Joanni ſpectatam elegerint, non difficile judicatu erit: ſiquidem Joannes ea quæ ad theologiam ſpectant, uberiùs præ cæteris inſpexiſſe, & fuſiùs explicaſſe videtur, ut patet ex uno ejus hiſtoriæ Evangelicæ initio, in quo plura concludit unicâ periodo, exprimiturque diſtinctiùs, quàm integris alibi capitibus recenſeantur. Quærendum etiam foret, quidnam per Seniores illos deſignetur, quos ibi evangelicus vates, hic verò imitator artifex exhibet. In ea ſententia eſt Andreas Epiſcopus Cæſareæ Capadociæ, qui floruit ſæculo IV., ut exiſtimet, duodecim Judæorum Patriarchas, & totidem Eccleſiæ proceres Apoſtolos per hunc numerum adumbrari: quod ad rem noſtram aptè admodum interpretatus videtur, cum pro Patriarchis intelligendi ſint illi, qui obvoluta habent capita; pro Apoſtolis verò qui nudata; nam apud Judæos mos erat, ut non orarent: niſi prius velato capite, ut oſtendit Joannes Lightfootus in *Horis Hebraïcis*, & in Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 11. n. 4. qui ſicut in eruditione, utinam in Religione floruiſſet! Is enim in eodem loco aſſignat

gnat cauſas, cur Judæi velato capite orarent; ſcilicet ut hoc ritu demonſtrarent, ſe reverentes, & pudefactos coram Deo, atque indignos, qui apertâ facie in eum reſpicerent. Cur autem Apoſtoli revelato capite ſint expreſſi, id deſumitur ex eadem Epiſt. ad Corinth. loco citato, ubi dicitur, quòd, *omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum.* Quæ verba Remigius Epiſcopus, ſive alius ſit auctor: in explanatione ejuſdem loci, ſic interpretatur: *Omnis vir orans in Eccleſia, aut prophetans, ideſt docens vel prophetans, explanans, velato capite deturpat, ideſt dehoneſtat Caput ſuum; vel orans, ideſt orationem Dominicam dicens; prophetans, ſymbolum Apoſtolorum recitans, ubi prophetatur adventus in Chriſti judicium.* Chriſtus verò Dominus, qui in medio ſtorum Se niorum depingitur, idem hîc præſtare videtur, quod alibi ab Apoſtolo Petro recenſetur *factus eſt in caput Anguli &c. & qui facit utraque unum*, nempe utramque Eccleſiam; & eorum, qui ſub lege erant, & eorum, qui ſub gratia degunt ſuo interjectu unicam facit, & ſingularem. Aliquid etiam addemus de his Senioribus in templo Aquiſgranenſi, de quo in noſtra ſecunda parte, ubi Patrum auctoritates afferentur. Cæterùm quid candidæ veſtes, quid aureæ coronæ ſignificent, nulli arduum fuerit definire, aut ſaltem conjicere; utrumque ſcilicet Inſigne ad Beatorum merita, & felicitatem ſpectare; vel etiam ad eorum virtutes, qui ad divinam Sedem adorantes accedunt, quos & præclarâ innocentiæ veſte indui æquũ eſt, ne illud audiant. *Amice quomodo hùc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* & plenas manus, bonorum nempe operum fructu refertas habere, ut illud caveant: *non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui.* Præcinente etiam in eandem ferè ſententiam Regio Pſalte, dum ait: *Quis aſcendet in Montem Domini, aut quis ſtabit in loco Sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde &c.* Aurum verò in Sacris literis ſymbolum ſæpe eſt munditiei, quandoque lætitiæ, necnon dignitatis, ut conſtat ex Hieremiæ cap. 4. quæ omnia illis aptari poſſunt, qui Deum adoratum appropinquant; mundo enim corde eſſe, & ei exultare in lætitia, & tremore jubentur. Imminens Senioribus animalia, quæ Joannes Apocaly. 4. deſcribit: duo tamen ex illis ævo abſumpta interciderunt; reliqua duo, Leo, & Aquila alis inſtructa rotundo diademate ornata ſunt.

Geminæ etiam ſuperſunt Imagines deſcribendæ potius, quàm explicandæ, cum apertiſſimè conſtet, per eas Sanctos Petrum, & Paulum ambos Apoſtolos referri. In ea arcus parte, quæ reſpicienti læva eſt, D. Pauli; in altera verò, quæ dexterâ occurrit B. Petri effigies videas invicem ſe reſpicientes; utraſque cum diademate & ſandaliis, cum tunica, & pallio albentibus, mutilas tamen: priori nanque ambæ manus cum haud parva corporis, & Muſivi totius portiones vetuſtate interciderint: alteri verò, quæ Petrum ræfert, dextera ſolùm, altiùs enim protendebatur, quàm ſiniſtra, quæ pectori admota, claves, notiſſimum ſuæ, Succeſſorumque ſuorum poteſtatis Inſigne, adhuc ſtringit. Præter manus Apoſtolorum, verba etiam plura deſiderantur in jis Carminibus, quæ vertici utriuſque ſupraſcripta

fue-

AB.LXVIII.




pag. 23

TAB. LXVIII.

ACIDIAEPIAMENSOPERISDECVS HONII
GAVDETPONTIFICISSTVDIOSPLENDERE

fuere. Quare ſupra Paulum hæc ſemeſa leguntur.

*Perſequitur dum Vaſa Dei ſit . .*
*. . . & delectum gentibus. .*

Supra Petrum hæc adhuc remanent.

*. . . Dei Petra culmen honoris*
*. . . or & omne decus.*

Literarum ſeries, & dictionum quantitas ſatis oſtendit, duplex dyſtichon ibi fuiſſe, hexametro utrumque & pentamètro conſtans. Nullo in commentario illa reperio. Si Poëſim illius ævi liceat imitari, ſuppleri fortaſſe ita poſſent ea, quæ interciderunt.

*Perſequitur dum Vaſa Dei ſit Paulus honoris*
*Vas, ſe & delectum gentibus eſſe probat.*
*Voce Dei fis Petre Dei Petra, culmen honoris,*
*Aulæ Cæleſtis ſplendor, & omne decus.*

At quia noſtra præcipua intentio, eſt, de Muſivis operibus tractare, prætermittere nolumus quædam carmina eodem Muſivo opere deſcripta, quæ leguntur in parte exteriori porticus Atrii, ſive clauſtri, mutilata tamen, ut hîc referuntur.

*Agmina ſacra regit locus hic, quam ſplendor honorat.*
*Hic ſtudet, atque legit Monachorum cœtus, & orat.*
*Clauſtrales claudens, clauſtrum de claudo vocatur,*
*Quo Chriſto gaudens, fratrum pia turma ſeratur.*
*Hoc opus exteriùs præcunctis pollet in Urbe.*
*Hic . . . . chalis regula turmæ.*
*Clauſtri per girum decus auro ſ.... coratum.*
*Materiam mirum præcellit materiatum*
*. . . . ocopus arte ſua quem Romæ carta beavit.*
*Natus de Capua Petrus olim primitia . . it*
*Ardea quem genuit quibus Abbas vixit in annis*
*Cætera diſpoſuit benè provida dextra Iohannis.*

## CAPUT XXV.

*De Eccleſia S. Joannis in Fonte in Civitate Ravennatenſi à Neone ejuſdem Civitatis Epiſcopo anno 451. muſivo opere ornata.*

ACceptiſſimus priſcis Chriſtifidelibus mos fuit ſacros Baptiſmatis fontes prope, & extra Eccleſias ædificare, ut bene animadvertit Joannes Stephanus Durantes de Ritibus Catholicæ Eccleſiæ lib. 1. cap. 19. nu. 4. Nos igitur hujuſmodi ſacrorum fontium exempla quædam afferimus in nonnullis celebrioribus noſtræ Italiæ Urbibus extantium; Romæ videlicet, Piſis, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ, ac Ravennæ, & in aliis fortaſſe, quod nos adhuc latet. Inter antiquiora autem Fontium Baptiſmalium ædificia jure connumerandum videtur iſtud Ravennatenſe, quod ante lateralem Eccleſiæ Metropolitanę portam ſitum eſt: De illius antiquitate ſat conſtat, cum à Neone Ravennatenſi Præſule anno Domini 451. reædificatum muſivoque opere ornatum fuerit, ut ex infraſcriptis carminibus, quæ eodem muſivo opere expreſſa in præfato fonte legebantur, quævè Hieronymus

Fabri refert in Sacris Memoriis Ravennæ antiquæ, ubi hanc Eccleſiam deſcribit; & hæc ſunt.

*Cede vetus nomen, novitati cede vetuſtas,*
*Pulchrius ecce nitet renovati gloria fontis.*
*Magnanimus hunc namque Neon, ſummuſque Sacerdos.*
*Excoluit, pulchro componens omnia cultu.*

Licet verò præmemoratus Fabri, ac Seraphinus Paſolini, qui in aliquibus penè ad verbum Hieronymi ſectator eſt, de hujuſmodi ædificii ſtructura quædam tradiderint; nihilominus, cum hæc pro materia perpauca ſint, luculentiorem hujuſce Ædificii deſcriptionem expiſcari coacti ſumus. Confugimus itaque ad Reverendiſſimum Dominum Franciſcum Cavallo in Ravennatenſi Eccleſia Archidiaconum, qui ad nos illam quàm humaniſſimè, cum ædificii Ichnographia tranſmiſit, quæ Tab. LXIX. exhibetur. Vides ibi ædificium octangulare, duabus octanguli faciebus exceptis, è quibus duo ſemicirculi prominent; aſſerunturque à nonnullis antiquitùs alios duos his omninò ſimiles ſemicirculos, ſive loculamenta in faciebus oppoſitis extitiſſe. Olim enim Baptiſteria octogonali forma conſtructa fuiſſe animaduerti. Lit. A. denotat Oratorium, ſive Cappellam, ubi in præſenti Sacra Miſſarum ſolennia celebrantur. Lit. B. alteram Cappellam ſive loculamentum, in quo antiquitus erat janua Occidentem æſtivum reſpiciens, nunc verò ibi è lapide Græco Vas eſt variis anaglyphis ornamentis elaboratum, utpotè Angelis, encarpis, & avibus: Vaſis labrum ferè octo pedes in gyrum protenditur; in baſi verò quatuor, & in altitudine duo. In hoc autem vaſe ſacri Baptiſmatis Ritus ad præſens peragitur, cum olim, quando baptiſmus per immerſionem dabatur, in medio Ædificii perageretur, ut indicat Lit. I. ubi octangulare aquarum receptaculum erat, C. marmoreum pulpitum, in quod per duos gradus in eodem marmore exciſos aſcendebatur: hoc ex pulpito Epiſcopus (ni tamen fallor) parvulos baptizandos in aquam immergebat. Lit. E. januam ingreſſus. F. alteram januam, ſed anguſtiorem, per quam Parochi domus aditur. Sub Lit. G. ſunt octo parvæ columnæ Græci marmoris, altitudinis quatuor, ac in gyro duorum circiter pedum Ravennatenſium; earum verò capitulum unius pedis altitudinem non excedit: modò aliquantulum pavimento obrutæ ſunt; an ita à principio locatæ fuerint haud ſcio; fortè tamen in pavimenti reparatione, eo ſublevato, columnæ eatenus coopertæ fuere. His octo arcus imminent, quorum ſummitas plana eſt. Super hanc aliæ columnæ Hiſtrii marmoris attolluntur, quæ in altitudine tertiam inferiorum partem excedunt. Hiſce columnis alii octo arcus incumbunt, qui tholum, ſeu teſtudinem fulciunt, & alio ſubſtructo arcu ſtringuntur. Hujus autem interioris arcus latera duabus columnis impoſita ſunt; unde quælibet (ut ita dicam) paraſtata tres alias columnas habet, quarum major in medio ſita eſt, ad latera verò duæ inferiores, altitudines quinque pedum cum baſi unciarum ſex, & Capitulo unciarum quinque. Omnes hæ columnæ ex præfato Hiſtrio marmo-

re

# TAB. LXIX.

Fig. 1.




*Scala decem pedum Romanorum*

Fig. 2.



EVANG. SEC. MATHEVM
I
EVANG. SEC. MARCVM
II
EVANG. SEC. LVCAM
III
EVANG SEC IOANNEM
IV
V
VI
VII
VIII
IORDANN
PETRVS
PAVLVS
ANDREAS
IACOBVS
IOANNES
PHILIPPVS
BARTHOLOMEVS
THOMAS
IACOBVS
THADDEVS
SIMON
MATHEVS
THOMAS


EVANG. SEC. MA
EVANG. SEC. M

re ſunt numero viginti quatuor.

Hujuſcemodi arcus ſubſtructionem poſterioris temporis eſſe puto pro firmiori tholi ſuſtentatione excogitatam, quo ſuperiores arcus navium gravabantur.

Tholus hìc pereleganti Muſivo opere ornatur: in ejus enim medio Tabula orbicularis nonnullas Imagines exhibet, ut in Tabul. LXX. quarum media Imago eſt Sancti Joannis Baptiſtæ pallio violacei coloris amicti, ac ad ripam fluminis ſtantis, tenentiſque ſiniſtrâ oblongam Crucem, dexterâ concham, ſeu quidpiam aliud, unde in caput Chriſti Domini in flumine ad umbilicum uſque immerſi aqua profunditur. Supra Chriſti Domini caput diademate inſigne, ſub ſpecie columbæ viſitur Spiritus Sanctus. Notandus autem hîc eſt ritus ipſius Baptiſmatis per aſperſionem, & per immerſionem expreſſus, de quo in noſtra Secunda Parte veterum monimentorum plura dicenda ſunt, occaſione quorundam Baptiſmalium Fontium ſtructuræ, ac marmoreæ tabulæ anaglyphicè elaboratæ, in qua ſic adminiſtrandi Baptiſmatis ritus repræſentatur. Ejuſdem marmoreæ Tabulæ exemplar Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Andræas de Aquino, olim Epiſcopus Tricaricenſis ſummâ ſuâ humanitate Nobis communicavit, aſſerens, illam hodie aſſervari in Palatio Excellentiſs. Principis de Caramanico ſui fratris germani. Notandum hîc etiam eſt, Tabulæ hujuſmodi Opificem non ſolùm flumen viridi panno cincto, verùm & ipſius fluminis nomen expreſſiſſe, cum illud literis indicaverit, nempè: IORDANN. Idem præterea falſas, ac vanas Ethnicorum opiniones ſequutus, Jordanem ipſum appinxit ſub ſpecie hominis aliquantulum è flvuio prominentis, linteolumque, ſeu mappulam, veluti ad detergendam, qua Chriſtus aſperſus fuerat, aquam, dextrâ tenentis; ſiniſtra verò arundinem, quam, ut inſigne quoddam, ac peculiarem notam dominii, gentium ſuperſtitio fluminum, cæterarumque aquarum numinibus, vel manu geſtandum dabant, vel capiti circumponebant. Hinc illud Virgil. Æneid.8.v.31.

*Hæc Deus ipſe loci flvuio Tyberinus amæno*
*Populeas inter ſenio ſe attollere frondes*
*Viſus: eum tenuit glauco velabat amictu*
*Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo.*

Qua etiam coronâ arundineâ caput inclyti amnis Danubii in columna Trajana inſculpti, redimitum inſpicitur.

Circum has centrales figuras duodecim Apoſtoli depicti ſunt, ſuuque eorum unicuique nomen appoſitum. S. Petri veſtis aurei, Pallium vero albi coloris eſt; è contra S.Pauli veſtis alba, Pallium aureum, & hoc alternato colorum ordine, aliorum Apoſtolorum cernuntur veſtes. Eorundem verò elevatâ ambabus manibus anteriori pallii parte,ſuper illam unuſquiſque ſuam defert coronam, quæ inter ſe colore differt. Speciali tamen notâ dignæ videntur, illa S. Petri rubei, S. Pauli verò aurei coloris, quæque in medio gemmis cerulei coloris decorantur, & alludunt ad illud Apocalyp. cap.4. ubi deſcribuntur viginti qua-

tuor Seniores, qui procedentes mittebant coronas ſuas ante Thronum. Eſt enim communis Patrum conſenſus, per illos viginti quatuor Seniores duodecim Prophetas, ac duodecim Apoſtolos denotari. Subeſt Apoſtolis alius circulus, variis & ipſe figuris ornatus, quarum ſingulas deſcribemus, præſcripto à Pictore ordine ſervato. Numerus primus denotat pulpitum, ſive ſuggeſtum aurei coloris, quatuor columnis ſuffultum, in cujus medio ſtat liber apertus, in quo hæ literæ impreſſæ ſunt: EVANG. SEC. MATTHEVM, ideſt; *Evangelium ſecundùm Matthæum*. Num. II. aliud ſuggeſtum, ut in ſuperiori, cum libro, in quo legitur: EVANG. SEC. LVCAM. Idem in III. num. repræſentatur, cum hiſce verbis in libro: EVANG. SEC. MARCVM. In IV. quoquè ſuggeſtum eſt cum libro, in quo hæc: EVANG. SEC. IOANNEM. Ab utraque iſtorum ſuggeſtorum parte, duæ cernuntur Sedes Epiſcopales, faldiſtoria appellata, albi coloris, quarum pedes, ſive ſuſtentacula aurea cernuntur: alii quatuor numeri, nempè V. VI. VII. & VIII. ſibi ex adverſo reſpondent, nec aliud referunt, niſi Martyrum, Confeſſorum, ac Pontificum, ſeu Epiſcoporum ſepulchra; de quibus ſupra Cap. XIX. de ſepulchrorum formis, tàm apud Ethnicos, quàm apud antiquos Chriſtianos, ubi in Tab. XLIII. num. 2. eadem hæc figura grandiori formâ exprimitur, luculentiùſque explicatur. A latere hujuſmodi ſepulchrorum hinc inde alia duo parva ſepulchra ſunt, partimque ex eorum medio palma, partìm verò lilium aſſurgit, quæ hac quidem in Tabula ob figurarum parvitatem diſcerni vix poſſunt, grandiori tamen formâ, etiam exhibentur in eadem Tab. XLIII. num. 1. & 3. ubi diximus, palmam ſepulchrum Martyris, lilium verò ſepulchrum Confeſſoris, vel Virginis indicare.

Abſolutâ hac explicatione ad reliqua Muſiva opera devenimus, in interſtitiis primorum octo Arcuum depicta, quæ tholo ſubiacent, ſive teſtudini, & Arabicis numeris adnotantur, ut in Tab. LXXI. & LXXII. ſub. nu. 1. Viri cujuſdam imago eſt, qui togâ, ac pallio albi coloris ſuperinduitur, in cujus fimbriis eſt monogramma I. tenetque involutum volumen: quem tamen novi nè, vel veteris Teſtamenti virum repræſentet, ignoro. Figura hæc encarpiis, ſive arabicis ornatibus circumquaque nobilitatur, ut in ſchemmate videri poteſt.

Numerus 2. aliam figuram habet à prima, præterquam in geſtu, vel loco voluminis, libri nihil abſimilem. Idem de reliquis. Tertia tamen, & octava, temporis injuriâ corroſæ ſunt, ut ex ipſis emblemmatibus patet.

Deſcriptis hucuſque, tum hujus edificii ſtructurâ, tum Muſivis operibus, ſupereſt modò, ut aliquot verſus inibi extantes, ac quoddam monogramma explicemus, ut in dicta Tabul. LXIX. fig. 2. In arcu igitur, qui altari imminet, notato num. 1. hæc leguntur ex Pſalmo 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

E conſpectu hujus Arcus alter attollitur notatus num. 3. ubi nunc Baptiſmus, adminiſtratur, in quo hæc: *Ubi depoſuit Jeſus veſtimenta ſua, & miſit aquam in peluim, cœpit lavare*

*pedes*

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

S·IACOBVS ALPHEI·S·SIMON ZELOTES·S·IACOBVS·S·IVDAS IACOBI·S·PHILIPPVS·S·PAVLVS·SALVS TOTIVS GENERIS HVMANI·S·PETRVS·S·ANDREAS·S·IOHANNES·S·THOMAS·S·MATTHEVS·S·BARTOLOMEVS

*pedes discipulorum suorum.* Hæc autem licet cum iis coincidant, quæ Io: cap. 23.continentur; nihilominus quo ad literam, neque antiquæ, neque vulgatæ Sacrorum Bibliorum editioni respondent. In medio horum versuum est monogramma, quod habes in eadem Tabula eodem num. 3. & de quo infra.

Præterea in arcu, qui januæ imminet signato num. 4. hæc notantur: *In locum Pascuæ ibi me conlocavit super aquam refectionis educavit me.* Quæ sumpta sunt ex Psalmo 22. num. 1. quamvis duabus in vocibus discrepent, cum ibi *locum* pro *loco*, *conlocavit* pro *collocavit*: inscriptum sit. Medium inter hos versus est monogramma, simile alteri.

Demum in eo Arcu, qui est è conspectu, nuper memorati unicum cernitur monogramma, ut num. 2. quid autem sonent hæc monogrammata, incertum est. At si hac in re mihi Oedipi vices implendæ sunt, dicerem, in eo Monogrammate, quod in arcu spectatur sub. num. 2. omnes literas hanc vocem BEATVS exprimere. In aliis verò sub num. 3. & 4. quantumvis primâ fronte tres tantùm literę videantur, nempe M. V. S. si tamen aliqua ingenii vis, & acumen adhibeatur, ex illis tribus nonnullæ aliæ formari possunt, videlicet A.X. I. N. Præterea si M. A. I. geminentur habebimus insimul decem literas, quæ vocem hanc constituunt: MAXIMIANVS, qui, ut Ughellius testatur, trigesimus Ravennatensis Episcopus fuit.

Licèt autem nonnullis hoc monogramma MAXIMIANO tribui neutiquam posse videatur, cum illum in hoc Ædificio restaurando, ornandoque animum applicasse minimè constet: si tamen hac in historia virisimilibus, & conjecturis stare oporteat (ut oportet quidem, cum adeò densâ annorum caligine sit obvoluta: nam ab ævo Maximiani, qui floruit circa medium sæculi sexti, undecim, & ultra sæcula præteriere) id satis apertè coniicitur, ex ejus præcipuo quodam genio, atque animi propensione ad sacras Ædes excitandas, aut ornandas. Fabri enim in suis *Sacris Memoriis*, ac ejusdem Antistitis Vita, ipsum ornasse refert Basilicam S. Andreæ splendidis iis columnis è marmore Græco, quæ adhuc extant: absolvisse magnificum Ædificium Tricolli, sive Canonicam, a Chrysologo ejus prædecessore inceptam: ædificasse Ecclesiam S. Stephani, ac illam S. Joannis decollati, quæ nunc solo prostrata est: alias præterea plurimis, pretiosisque donariis locupletasse. Propterea maximè verisimile est, hoc quoque Aedificium ab ipso aliquâ sui parte restauratum fuisse, aut ornatum: fortè verò restaurationem, eam scilicet Arcuum substructionem incœpit, quam nos supra narravimus, & morte præventus haud absolvit; unde Agnellus ejus in Sede Archiepiscopali successor eandem ad debitum finem perduxit. Ne autem hujus restaurationis memoria periret, ejusdem Maximiani nomen hoc Monogrammate expressit, suumq; Agnelli reliquit, eo quòd laudem cum aliena jactura quærere, & ea, quæ alii seminaverant, metere minus æquum existimavit. Neque aliquibus in Ecclesiastica historia minus peritis Epithetum illud *Beatitudinis* Maximiano attributum obstare potest, cum ea tempestate inter Episcopos familiaris, ac

hono-

honorarius titulus esset, ut ex S. Augustini Epistol. XI. LXXVI. CXXXIX. & passim apud alios antiquos Scriptores.

## CAPUT XXVI.

*De Oratoriis SS. Joannis Baptistæ, & Evangelistæ in Lateranensi Baptisterio: ac Musivis operibus in iisdem Oratoriis contentis, Hilaro Papa jubente, Anno 462. elaboratis.*

COelius Mons eo potissimùm titulo venerabilis, quòd universalis Ecclesiæ principem cathedram fulciat, dignitatis suæ testimonia etiam in minoribus sacellis profert amplissima. Quatuor mihi describenda modò sunt, quæ Oratoria dicimus ab Hilaro sanctissimo Pontifice ibi constructa, quorum meminit Bibliothecarius in ejusdem Pontificis vita. Adjacent ista, imò, ut veriùs dicam, insunt veluti appendices quædam Baptisterio Lateranensi, Divi Joannis nomine ab annexa Basilica nuncupato. Exeuntibus ex illa Basilicæ janua, quæ post summum chorum locata est, area se se offert parietibus circumsepta, in cujus fronte, quæ in Caurum tendit occurrit, a leva eminet porticus, a dextra verò Oratorium, sive Ecclesia S. Venantii, olim etiam Basilica Domini Theodori, prout insecunda Parte docebimus, dictum. Cęterùm porticus aditum præbet in Ædem octogonam, Sacræ regenerationis Lavacro asservando addictam (Baptisterium compendiosè appellamus) Ædem hanc totidem pro angulis polygonæ fulciunt columnæ, a parietibus adeo sejunctæ, ut latum ambulachrum circumquaque efficiant. In eo latere, quod Eurum prospectat, Ædicula visitur D. Joanni Evangelistæ dicata, cui è diametro in adverso parietum latere opponitur alia S. Joannis Baptistæ, & adventus Dominici Præcursoris sacra. Quæ duo sunt è quatuor Oratoriis, de quibus est sermo. Tertii locum designavimus, cum prope porticum Baptisterii S. Venantii Ædiculam memoraremus, quæ eadem omnino est, ac Oratorium S. Stephani, quod capite peculiari prosequi suo loco debemus. Quartum verò, de quo nihil exhibere, ni desiderium, potis sum, sanctæ Cruci olim sacratum erat; sed in Ecclesiæ Lateranensis restauratione per Xistum V. sel. record. dirutum est.

De hoc eodem Oratorio Severanus in *Sacris Memoriis septem Ecclesiarum Urbis*, à se Italico idiomate in lucem editis: & deinde bo.mem. Eminentissimus Cæsar Cardinalis Rasponus in sua *Basilica, & Patriarchio Lateranensi* lib. 3. cap. 9. scripsere.

Exordiar modo ab eo, quod D. Joanni Evangelistæ nuncupatum, ac ad dexteram occurrit jis, qui per porticum in Ædem Baptisterii se recipiunt. in zophoro, quod imminet portæ hujus sacelli, hæc leguntur.

LIBERATORI SUO BEATO
JOHANNI EVANGELISTÆ
HILARVS EPISCOPUS FAMULUS XPI.

Quòd D. Joannem liberatorem suum Hilarus vocaverit, ad illud procul dubio discrimen referri debet, quod Ephesi subiit, & ejus Apostoli patrocinio tandem evasit. Cum enim jussu S. Leonis Papæ Hilarus tunc temporis Diaconus se ad Ephesinum Concilium con-

contuliſſet ( poſteà reprobatum ) reſtitit ipſe Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo in eodem Concilio Præſidenti, ſubſcribere renuens damnationi S. Flaviani. Cujus tam generoſæ conſtantiæ præmium, invidiam ſibi Dioſcori maximam comparavit; unde clàm Romam fugiens, D. Joanni Epheſinæ Civitatis Patrono pro ſua liberatione Votum vovit. In alio epyſtilij zophoro præteritis annis additum fuit: DILIGITE ALTERUTRUM neſcio quo authore, ſcio tamen, ipſum Evangeliſtæ præceptum eſſe: ego autem tantùm Sacræ vetuſtatis monumentum antiquæ ſuæ puritati relinquere maluiſſem.

Hujus Oratorii valvas argento fuſas fuiſſe ab eodem conſtructore Hilaro narrat Bibliothecarius, quæ cum inde fortaſſis in Urbis multiplici populatione direptæ, & aliò aſportatæ fuiſſent; plura poſt ſæcula, tempore ſcilicet Cæleſtini III. Cencius Cardinalis Camerarius ex nobiliſſima Sabellorum familia, poſtea Pontifex creatus, & Honorius III. dictus, in earum locum æreas conflari curavit, prout Inſcriptio docet in angulo ſuperiori ad dexteram introeuntium inſculpta, quam huc fideliter retuli.

ANNO V. PONTIF. DNI CELESTINI III. PP. CENCIO CARDIN. S. LUCIÆ EIDEM DNI PP. CAMERARIO JUBENTE OPUS ILLUD FACTUM EST.

In ſiniſtra verò parte valvarum ærea quædam viri imberbis Imago prominet, vix palmum alta; ſedet enim talari tunicâ, caſulâque ſuperinduta: caput ejus quodam integumento circumambitur, duos circulos, ſivè coronas referente, prout in appoſito ſchemate Tab. LXXIII. videre eſt; dextera globum, ſiniſtra verò librum ſuſtinet.

TAB. LXXIII.

pag. 239

Aliquantulum libet in iſtiuſmodi viri non injucunda deſcriptione moram trahere; nam plura ex illius inſpectione ad rem eccleſiaſticam pertinentia deduci poſſunt. Primò enim figura Caſulæ, ſivè Planetæ, quæ antiquitùs rotunda erat, & undique clauſa, eo modo, quem nunc apud Græcos obtinet, cujus formam exhibet. Macrus in ſuo Hierolixico, in verbo *Caſula*. Integumentum illud capiti circumfuſum *Fanonem* barbarè vocitamus. *Fanon* verò ( omiſſis aliis explicationibus ) velum eſt variegatum, quo Papa poſt Albam ornatur, quando ſolemniter celebrat, & circa collum, ac ſupra caput ad formam cuculli reflectitur, donec planetâ induatur. De hoc ornatu, ſivè Fanone, Innoeentius lib. 1. *De Myſterio Miſſæ* cap. 13. ita ſcribit: *Romanus Pontifex*

*poſt*

*poſt Alham, & cingulum aſſumit Orale* (quod idem eſt ac Fanon.) *quod circa caput involvit, & replicat ſuper humeros, legalis Pontificis ordinem ſequens, qui poſt lineam ſtrictam, & Zonam induebatur Ephod.*

Præter Fanonem, tegumen aliud rotundum in capite animadvertimus. Diu quæſivi an camaurum, vel camelaucium dici poſſet: authoritatibus tamen allatis ab eruditis Viris Macro, & Du Cange in ſuis Lexicis, quæ diligenter perpendi, birretum poſſe denominari autumo, quod tegumen capitis Pontificum erat: Legitur enim in Vita S. Henrici Epiſcopi Upſallenſis nu. 5. *Quod tollens de capite S. Pontificis birretum, quod geſtare conſueverat impoſuit capiti ſuo*: Extant etiam ſequētia verba in bulla Bonifacii VIII. *Illudque* (id eſt beneficium Eccleſiaſticum) *eidem Thomæ contulimus, necnon de ipſo per noſtrum birretum præſentialiter inveſtivimus*. Alia apud eundem Du Cange in hac voce videri poſſunt. Supereſt, ut aliquid etiam de globo attingam, quem dexterâ tenet: ſi liceat à ſimili arguere judicaverim, longè diverſo conſilio Imperatorum, ac Pontificum Romanorum Iconibus (qualem hanc eſſe contendo) Globum appingi poſſe: ſicut enim in illis Globus appoſitus indicabat terrarum Orbem eo tempore notum, ſub ditione Principis conſtitutum, ita facilè arbitror, deſignare poſſe eandem in univerſas Terras poteſtatem Rom. Pontifici tanquam Chriſti Vicario collatam. Sæpè laudatus Du Cange in fine ſui Magni Gloſſarii eruditam diſſertationem inſerit de inferioris ævi *numiſmatibus*, in qua num. 18. & 19. luculentam intexit Auctorum collectionem, qui de crucigeratis Globis aliquid enarrarunt. Inde fortaſſis extrahi potuiſſent nonnulla ad rem noſtram illuſtrandam, niſi a ſcopo nimiùm abduci timerem, ſi hæc proſequerer, de quibus Viri præſtantiſſimi integras diſſertationes inſtituunt. Ex hucuſque perpenſis non temerè dicturum me arbitror, ſi contendam, Iconem hanc æream referre Cœleſtinum. III. cujus fortaſsè juſſu Cencius Camerarius valvas conſtruxit.

Sed nimis, quàm par fuerat, hęſimus in limine, adeo ut expeditiùs ędem totam inſpecturi ſimus, quàm valvas. In fornice enim licèt Muſivum opus aſſervetur pluribus ſęculis vetuſtius, quàm valvę; cum tamen nulla humana figura in eo reperiatur, nihil eſt, quod longa animadverſione detinere nos poſſit. Fornix itaque hujus Oratorii antiquo vermiculato opere elaboratus, variis ſegmentis conſtat, prout viſitur in Tab. LXXIV. in quibus diverſi generis aves, floreſque interpoſiti, non inconcinnâ diſpoſitione locantur. In meditullio ſitus eſt Agnus diademate ornatus, & laureâ Coronâ circundatus. Supervacuum eſſet hujus Hieroglyphici ſenſum inquirere: quis enim neſciat, per Agnum iſtum, quemadmodum olim per typicum legis, illum deſignari, *qui tollit peccata mundi*: qui vel leviter in Sacra hiſtoria verſatus, ignoret, Chriſtianos antiquos hujuſmodi emblematibus potiora fidei Sacramenta ab Infidelibus irriſoribus vindicaſſe? Cum enim tum Cathecumenis, tum Neophitis, Chriſtus cruci affixus proponeretur, periculum erat, nec occupatione minus decorâ (ſupplicium enim Crux ingerebat pravis hominibus



TAB. LXXIV.



pag 240.

TAB. LXXV.

pag 241

MARCVS

IOHANNES

bus deſtinatum ; uſque ad tempora Conſtantini ( ut docet Lipſius in ſuo tractatu *de Cruce* ) in eorum animos aliquid horroris irreperet , niſi tantæ Chriſti humilitatis , & quæ captum ſuperat exemplar , molliùs in fide novis proponeretur , & jis , quibus illud Apoſtoli prima ad Corinth. Cap. 1. 23. nuper dici potuiſſet . *Nos quidem prædicamus Chriſtum Crucifixum ; Judæis quidem ſcandalum ; Gentibus autem ſtultitiam .*

Simul itaque exponebatur Dominicæ Paſſionis veritas, Imagine Chriſti Domini in cruce pendentis , propoſitâ ſimul ejuſdem innocentiâ; idque conquiſitis ad hoc aptiſſimis, cùm teſtimoniis , tùm Symbolis Sacræ Paginæ graphicè exhibebatur. Quod verò hanc præ cæteris Agni Figuram in hoc Sacello , ſicuti etiam in adverſo os Joannis Baptiſtæ Oratorio depingi voluerit Hilarus Pontifex admodum ſcitè , ac prudenter feciſſe videtur ; cum uterque Joannes Baptiſta ſcilicet, & Evangeliſta ſub Agni Allegoria Chriſtum Dominum nominaverit . Ille quidem cap. 1. 29. de Chriſto ad ſe accedente ait : *Ecce Agnus Dei , ecce qui tollit peccata Mundi* . Iſte vero Apocalypſis cap. 5. & alibi paſſim Agni nomine Chriſtum indigitat ; quod evidentiùs patet , quàm ut probatione indigeat , vel expoſitione . Peculiarem & haberi canonem ſcio de Agno ſic picto , cum diademate circa cervicem inflexo , qui canon legitur in Concilio Quini Sexto , ſive Trullano , & in ordine eſt ſecundus ſupra octogeſimum . Sed qualis auctoritas tribuenda ſit huic canoni , velim quæras ab Auctoribus doctiſſimis eam indagantibus , nempe à Baronio Binio , & aliis etiam , præſertim verò à Chriſtiano Lupo in Scholiis ad hunc eundem canonem .

Aliquid etiam attingendum eſſet de laurea corona Agno circumducta , & floribus multis , ac fructibus diſtincta ; quam tamen ad ornatum potius arbitror pertinere , quàm ad myſterium , niſi quiſpiam interpretari mallet laurum tanquam Triumphatorem mortis , & inferni , fuiſſe dedicatam ; flores verò , ac fructus tanquam Eccleſiæ amantis donaria Sponſo ſuo oblata , & hujuſmodi plurima , ad Oratorem potius , quam Interpretem Sacræ vetuſtatis pertinentia .

Altari ſuperſtat ænea Statua humano corpori par , D. Joannem Evangeliſtam referens, de qua non conſtat, an inter veterum , an verò inter recentiorum Artificum paulò nobis ætate præeuntium ponenda ſit .

### *De Oratorio S. Joannis Baptiſtæ .*

EX adverſa Baptiſterii parte ( ut ſupra diximus ) Oratorium aditur S. Joannis Baptiſtæ , ſtructurâ , & magnitudine parum diſcrepans a ſuperiori : nam Hilarum eundem Auctorem habuit. Hujus etiam Sacelli fuſili ex ære fores obſtruunt , in quibus legitur .

In Honorem B. Jo. Baptistæ Hilarus Episcopus Dei Famulus offert .

Supra Oratorii januam in zophoro inter Epiſtylium , & coronam unico ordine literarum Pontificis nomen legitur . ✠. Hilarus Episcopus ✠ Sanctæ Plebidei.

Supra verò interiorem ejuſdem portæ coronam in porphyreticâ zonâ inciſa hæc habentur .

Domine Dilexi Decorem Domus tuæ

quæ recenter ſunt appoſita. Fornix hujus Oratorii Muſivo opere decoratus eſt avibus, floribuſque, quibus pingitur aptè diſtantibus, & in areas probè digeſtas concinnè diſtributis, ut præſefert Tab. LXXV. Medium occupat Agnus cum diademate circùm caput, & corona è lauro, floridaque circa corpus inflexâ, prout in ſuperiori vidimus. Duæ ad Oratorii latera ſitæ ſunt exiguæ feneſtræ, quarum in angulis duo hinc inde viri adſtant, numero Evangeliſtarum, quos referunt, reſpondentes, diademate inſignes, & apertum præ manibus librum habentes. Horum autem ſupra caput ſingulis ſuum nomen inſcriptum eſt, & ſupra nomen Animal medium extat, quod è myſticis illis quatuor unicuique Evangeliſtarum proprium tribuitur: De quibus porrò Animalibus, cæteriſque Hieroglyphicis in Eccleſia S. Sabinæ ſatis egimus.

Hujus autem tam poſterioris Muſivi, quàm & prioris, Hilarus Auctor fuit; nam utrumque Sacellum conſtruxit; idemque ex allatis Inſcriptionibus abſque dubio argui poſſe exiſtimo, & ipſorum operum muſivorum vetuſtas miranda nos docet.

## CAPUT XXVII.

*De profanata Eccleſia S. Andreæ in Barbara, ſeu Cata-Barbara Patritia Ac muſivo opere nuper in ea extante a Simplicio Papa Anno 643. decorata.*

EDaci temporis morſu ſemeſas hucuſque prædas vindicavi, cum Eccleſias deſcribere, plures utique graves caſus, viceſque perpeſſas, attamen ſtantes. Nunc verò ex ipſis, cineribus, fatalique ſepulchro reliquias quaſdam eruere, & luci reddere aggredior, ſi tamen reliquias dixeris ea Muſiva opera, quæ ſua cum Eccleſia funditùs corruere. At licèt id negligentiâ eorum contigerit, ad quos maximè pertinebat curare ne laberentur, mihi certè eandem incuriæ notam inuri non patiar, quàm jure ſubirem, niſi beneficio literarum poſteris reſtituerem, quod ultima temporis indulgentia noſtris oculis intueri conceſſit. Præmiſſis itaque nonnullis ad Eccleſiam ſpectantibus, ut moris noſtri eſt, & peculiaris dilapſæ Baſilicæ memoria poſtulat, ad muſivi operis deſcriptionem gradum faciam.

Occurrit itaque in vetuſtis Codicibus mentio Baſilicæ Sicinianæ, ſitæ ad Macellum Liviæ, cui tractu temporis inditum fortè fuit nomen S. Andreæ in Barbara, ſive Cata-Barbara Patritia. Prima, quam legerim apud Auctores memoria hujuſce Eccleſiæ, reperitur apud Bibliothecarium in Vita Simplicii, qui ab hoc Pontifice dedicatam fuiſſe narrat Baſilicam B. Andreæ Apoſtoli juxtà Baſilicam S. Mariæ. Satis apertè conſtare cuicumque poteſt, hanc eandem fuiſſe, quam nos hoc Muſivo opere inſignitam aſſerimus, ſi Verſus legantur ipſi muſivo ſubſcripti, prout, opere incolumi, à Platina lecti fuere, quorum teſtimonio in ejuſdem Pontificis Vita ſic ait: *Simplicius Vir Sanctiſſimus has Baſilicas interim dedicat Baſilicam Stephani Protomartyris in Cœlio monte, Baſilicam Audreæ Apoſtoli non longè à templo S. Mariæ Martyris. In qua adhuc veſtigia quædam antiquitatis apparent, quæ*

hoc tibi me aualide decreuit pr
uestatoropus detulit illis
AEDIA XPE SIMPLICIVSQVAE PAPA SACRISCA ELESIBVS APTANS ET QVOD APOSTOLICI DEESSENT LIMINA NOBIS VITIVR HACHERES TI
VAS EFFECIT VERE MVNERIS ESSET VI MARTYRIS AND PEAE NOMINE COMPOSVIT SVCCEDENSQVE DOMO MYSTICA IVRE ALOCAT TERRENO SENSV
pag. 43

TAB. LXXVI.

haec tibi me aualide HERES TITVLIS ECCLESIAIVSTIS PLEBS DEVOTAVENI PERQVEHAEC commercia uisce
cui testator opus de tu OMO MYSTICA IVRA LOCAT TERRENO SENSV REGNA superna peti pag. 243.

*quæ perſæpe flendo etiam inſpexi, ob incuriam eorum, quibus ipſa templa jam ruinam minantia commiſſa ſunt. Hoc autem in templo hæc Carmina legiſſe me memini muſivo opere deſcripta.*

*Hæc tibi mens validè decrevit prædia Chriſte,*
*Cui teſtator opes detulit ille ſuas.*
*Simpliciuſque Papa Sacris Cæleſtibus aptas*
*Effecit verè muneris eſſe tui.*
*Et quod Apoſtolici deeſſent limina nobis,*
*Martyris Andreæ nomine compoſuit.*
*Utitur hæc hæres Titulis Eccleſiæ juſtis.*
*Succedenſque domo myſtica jura locat.*
*Plebs devota veni, perque hæc commercia diſce*
*Terreno cenſu Regna ſuperna peti.*

Mihi quoque præteritis annis contigit Verſus eoſdem, qua parte adhuc ſupererant, recognoſcere priuſquam Abſis, & Muſivum opus proſternerentur: quare quæ ego ex his Carminibus legi grandiori, quæ verò ſupplevi ex Platina, minori charactere exprimenda curavi, ut in Schemmate hìc in Tab. LXXVI. appoſito.

Hujus itaq; Baſilicæ dedicatio Simplicio Pontifici proculdubio aſſignanda eſt: verùm Conſtructio longè diverſum habuiſſe videtur Auctorem. Etenim ex aliquibus conjecturis profanam fuiſſe arguo hanc Baſilicam; temporaque ſuperiora Simplicio referre: hinc fit, ut credam illam a Pontifice ab omni Ethnicorum labe expiatam, in uſus Chriſtianorum converſam. Cum enim conſtructio lateritia ſit, & feneſtrarum amplitudo magnifica, ſuadet ætatis ſuæ primordia incidiſſe in tempora ſuperiora; nam ex jis, quæ diximus Cap. VIII. & IX. conſtat, utrumque hoc indicium ad prima ſæcula pertinere fortaſſis, nec abſonum erit, Baſilicam hanc inter eas connumerare, quæ à magno Imperatore Conſtantino redditæ ſunt Chriſtianis, antea templorum uſu ſpoliatis per impiiſſimas leges Diocletiani divino cultui, & ſacris ædibus uſque ad excidium infenſi; ut narrat Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 2. & lib. 12. itidem cap. 2. & lib. 2. de Vita Conſtantini cap. 21. necnon Lactantius Firmianus nuper editus à Cl. V. Stephano Baluzio lib. 2. Miſcellan. num. 48. Profanum Baſilicæ uſum ante quàm Sacris Veri Numinis manciparetur, indicare videntur plures animalium imagines, aliæque figuræ nihil ſacri referentes, quas Cap. ſuperiori VII. attulimus, ubi de Eccleſiæ iſtius ornatu ſermonem inſtitui. Quin etiam ferarum multiplicitas aliquibus anſam dedit opinandi, templum hoc olim Dianæ ſacrum fuiſſe, antequàm expiandum Chriſtianis concederetur. Nec verò me fugit, apud Chriſtianos toleratum quandoque morem animalia in Eccleſiis effingendi, ut apertè conſtat ex Epiſtola S. Nili ad Olympiodorum, quæ id Actione 4. Conc. 2. Nicæni ſecundùm Anaſtaſii verſionem ſic habetur: *Scribis mihi* (inquit S. Nilus) *ſi putas, decorum, ſi tibi extructuro templum maximum ad honorem tam Sanctorum Martyrum, quàm Chriſti, quem ipſi per certamina, & dolores, ac ſudores teſtificati ſunt, vel imagines etiam ponere in ſacrario, & variis animalium beſtiis parietes implere, à dexteris, & à ſiniſtris ita ut videantur*

*in terra quidem extenſa linea, & lepores, & capræ, & cætera animalia fugere: Porrò illi capere feſtinantes cum catellis alacriter inſequi: In mari verò laxari retia, & omne genus piſcium capi, & ad aridam Piſcatoris manibus ferri: Inſuper & gypſo fingi omnes ſpecies, & oſtendi ad deſiderium oculorum in Domo Dei: Sed & in communi Domo mille Cruces infingi, & picturas volucrum, ac jumentorum, & repentium, ad diverſorum germinum fieri. Ego ad ea, quæ ſcripta ſunt, dixerim, quia nimirum infantium eſt, & parvulos decet his, quæ prædicta ſunt, ſeducere fidelium oculum: firmi verò, & virilis ſenſus proprium, eſt in Sacrario quidem ad Oriẽtem divini templi unam, & ſolam Crucem formare.*

Scio, inquam, ex aperto hoc S. Nili teſtimonio probari receptam fuiſſe etiam apud Chriſtianos conſuetudinem ornandi Eccleſias non modò Sacris, ſed etiam variis animalium figuris. In noſtra tamen Baſilica cum præter animalium effigies, nonnullæ etiam cernerentur, tempora conſtructionis apertè indicantes, non infirmatur conjectura aſſerentium ædificii profanos uſus ex Muſivorum animadverſione. Longè minus officit noſtræ aſſertioni ſubtilior quædam interpretatio, quam verbis Bibliothecarii nonnulli tribuũt, qui cum ſcripſerit *Baſilicam &c. Simplicius dedicat*, ita explicant, ut *dedicandi* verbum conſtructionem ſignificare contendant: Mihi verò non ita ſonare videtur legitima vocis illius vis, præſertim cum evinci poſſit ex pluribus locis ejuſdem Scriptoris non modò verbum *dedicavit*, ſed etiam *fecit* ab eo promiſcuè tùm conſtructoribus tribui, tùm reſtauratoribus, necnon jis, per quos Baſilicis incrementum, aut ornatus acceſſit. Hæc ipſa (ut alias diximus) optimè animadvertit Abbas de Angelis in ſua Liberiana Baſilica, Unde benigniùs quandoque, quàm dura patiatur Grammaticorum ſeveritas, verba Scriptorum interpretari fas, immò magis decorum eſt.

Baſilicam hanc eandem fuiſſe, quæ ab Ammiano Marcellino deſcribitur nomine Sicinianæ, me audiviſſe recordor a laudatæ me. Cl. Viro Joanne Lucio rerum antiquarum eruditiſſimo: verùm licèt omnino nullas ad id probandum rationes adduceret, aſſerentis unicum teſtimonium tanti habui, ut Auctores plurimos duxerim evolvendos, magna ſpe fultus id aliquando repertum iri: quærentem tamen hucuſque fefellit ſpes ita præcox; nec aliquid ſatis certum inventum eſt, præter nonnulla, quæ mecum quà lectitando, quà meditando attentius revolvens, tenuem obſcuriſſimæ rei lucem afferre poſſe arbitratus ſum, ideoque literis conſignanda.

Ejuſdem itaque Ammiani ethnici ſcriptoris auctoritatem profero, qui lib. 27. Hiſt. cap. 3. *Damaſus* (inquit) *& Urſinus ſupra hominum modum ad rapiendam Epiſcopatus ſedem, ardentes ſciſſis ſtudiis aſperrimè conflictabantur, ad uſque mortis vulnerumque progreſſis: Quæ nec corrigere ſufficiens Juventius, nec mollire coactus, vi magna ſeceſſit in ſuburbanum, & in concertatione ſuperaverat Damaſus, parte, quæ ei favebat inſtante, conſtatque in Baſilica Siccinini, ubi ritûs Chriſtiani eſt conventiculum, uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum efferatamque tandem diu plebem, ægrè poſtea delinitam.*

In

In hac Narratione ut Baſilicæ Siccinini nomen profertur, ita ſitus non deſignatur. Conati ſunt Scriptores aliqui illum diligentius indicare. Omnes in eo conſentiunt, quod propè Forum Exquilinum Baſilica extiterit, cujus Fori memoria nuperrimè reperta eſt in lapide Tiburtino, Vinea PP. SS. Coſmæ, & Damiani Via Labicanâ ſupra Cœmeterium B. Caſtuli, ibi fortaſſe translato, quam nos propriis oculis legimus.

C. CACIVS. C.L. HERAC.
ARGENTARIUS. DE. FORO
ESQVILINO. SIBI. ET. LIBE.
ET. LIBERTABVS.

Romanorum Ædificiorum Scrutator Nardinus, ſequutus (ut arbitror) Pancirolum, peculiarem eidem Baſilicæ locum aſſignat; ibi fuiſſe exiſtimans, ubi nunc ſita eſt Eccleſia Sancti Viti, nullis tamen rationibus id evincit: quin etiam bona, Viri tam gravis, venia dixerim, eum haud benè ejuſdem Eccleſiæ ſitum antiquum tenuiſſe. Diſtabat enim vetus Eccleſia Sancti Viti aliquantulùm ab ea: quæ nunc viſitur, fundata à Sixto IV. ut erui ex Codice M. S., in quem regeruntur Viſitationes Eccleſiarum Urbis pag. 1249. mihi communicato ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Raphaele Fabretto, tempore quo hæc imprimuntur glorioſiſſimi Pontificis Alexandri PP. VIII. libellorum ſupplicum à ſecretis. Qualis autem antiquæ Eccleſiæ Sancti Viti conſtructio fuerit, tàm Pancirolus, quàm Nardinus ſcire non potuerunt, cum illam minimè viderint, utpote etiam Codicem M. S. quia ſæculo præſenti ſcripſere, & ipſius Eccleſiæ Viſitatio habita fuit die 6. Iulii 1574. Quare ab eorundem Auctorum ſententia recedens, ſtatuere poſſe videor, Baſilicam Sicinianam Eccleſiam eſſe S. Andreæ, de qua loquimur; tùm propter Baſilicæ formam, quam retinet, tùm propter antiquitatem, tùm etiam obvicinia Liberianæ.

Si ſingulas, quæ in hujus Eccleſiæ narratione quæſtiones inſurgunt, examinare vellemus, nimis recederemus à brevitatis ſcopo: ſufficiat igitur tantùm hìc indicaſſe Scriptorum diſcrepantiam in præfatæ Baſilicæ denominatione: eam etenim aliqui Siccinini alii Siſimini, nonnulli verò Siccinii vocant, prout etiam quidam Vrſinum nominant, alii Urſicinum.

Ut ut ſit, iſta de nomine quæſtio ocioſioribus Criticis relinquatur, & ad graviora nos accedamus. Libet aliquid hìc attingere de hiſtoria paulo ante ab Ammiano Marcellino recenſita; hoc eſt de cæde in ſchiſmate Vrſicini perpetrata. Nam ſi Ammiani teſtimonium attendas, cædes illa contigit in Baſilica Sicciniana: ſin autem aliorum placita proferantur, conſtabit hoc ſacrilegio pollutam fuiſſe Baſilicam Liberianam. Poſteriùs aſſertum videre eſt in præfatione Libelli Fauſtini & Marcellini Presbyteri ad Imperatorem Valentinianũ; in hoc enim legitur centum & ſexaginta Viros ea cæde ſublatos obſidione occubuiſſe in Baſilica Liberiana. Quis itaque Judex hanc inter Auctores coævos Damaſo litem tutò definire audebit. Erit itaque dignoſcendum, uter ex illis majorem apud prudentes fidem obtineat, ut alter à teſtimonio ferendo removeatur.

De Ammiano plura congeſſerunt To-

Tobias Magiri in Eponymologio critico, ac Hofmannus in ſuo Lexico, diverſorum Auctorum ſuffragio nominant Ammianum Scriptorem veritatis ſtudioſum, prudentem, gratum, ac ſerium, necnon dignum, qui ab omnibus ametur, & floruiſſe ſub Gratiano, & Valentiniano.

Contrarium de Marcellino Presbytero ſentit Baron.in to.4.ad Ann. 367. vocat enim hominem iſtum, Schiſmaticum, mendacem, infenſum, inimicum S. Damaſi, Catholicorum calumniatorem, necnon Luciferianæ hæreſis Sectatorem. Baronii ſententia ex lectione præfationis ipſiuſmet libelli confirmatur; ſi enim legatur attentè, conſtabit non eſſe ab iiſdem Fauſtino, & Marcellino conſcriptam, ſed ab alio ejuſdem factionis Luciferianæ, ac mendaciorum plenam. Communi ergo ſuffragio præferenda eſt Ammiani ſententia, cum in ipſum conſentiant Ruffinus; Socrates, Sozomenus, Nicephorus, & alii poſteriores Scriptores.

Hæc levi calamo proſequuti ſumus in gratiam eorum, qui cum locorum notitia conjungere hiſtorias amant. Incitat modo nos ad cętera perſtringēda, diverſa ejuſdem Eccleſiæ nomenclatura, quam ab initio expoſuimus in ipſo capitis titulo. Bibliothecarius itaque in Vita Gregorii II. Baſilicam iſtam appellat *Monaſterium S. Andreæ in Barbara*:& in Vita Leonis III. *Cata-Barbara Patritia*: eandem in *Barbaris* vocat Ciaconius in præfati Simplicii Vita, eò quia in ejus muris variæ ferarum imagines à Diana venatrice, & ab Hippocentauris confectarum viſebantur, opere partìm teſſelato, partìm vermiculato, ut ſupra expoſuimus in Cap. VII.

Martinellus verò in ſua Roma Sacra appellat in *Exquiliis*, & in *Auriſario*, Grimaldi auctoritatem ſequutus. Cauſam autem, cur in *Barbara* vocitetur, exponit Severanus in ſuo tract.de ſeptem Urbis Eccleſiis, ubi ſic dictā aſſerit à nobili quadam ejuſdem nominis Matrona, quæ tempore Gelaſiii I. Corpus S. Severini Neapolim transferri curavit, ut apud Baronium ad ann.496.

Quid autem vox *Cata-Barbara*, *Patritia* oſtendat, varium eſt: cum κατά græca vox ſit diverſas habens ſignificationes, quas hìc referre ſupervacaneum eſſet, ſed ſolummodò illam indicabo, quæ quæſtionem noſtram ferire poteſt; nempè denotare *apud*. Cata Matthæum pro ſecundùm &c. Ex quo inferri poteſt olim prope Baſilicam Siccinianam fuiſſe domum Barbaræ cujuſdam Matronæ Patritii ſangvinis ſplendore, conſpicuæ; unde *Barbara Patritia* fuerit appellata. Atque hinc *Siccinianam Baſilicam* priſco relicto nomine, novum *S. Andreæ in Barbara*, vel *Cata-Barbara Patritia*, ideſt juxta Domum Barbaræ, ſive *Barbaræ Patritiæ* adeptam fuiſſe. Has nominum mutationes noſtris etiam temporibus experimur. Sic Plateam Sfortiam in Barberinam, & Plateam Senarum in S.Andreæ de Valle mutatas audimus. E quibus etiam perſpicuum eſt, vias, aut plateas fuiſſe ab Illuſtrioribus Domibus propter eas, aut in eis extantibus quovis tempore denominatas.

Sicuti nominis lapſum ſæpiùs ræparavit antiqua hæc Baſilica; ita quoque per nos utinam tùm nomina, tùm orna-

ornatus duraturâ reſtitutione aſſeri poſſent: conabimur equidem Muſivũ opus ab oblivionis periculo liberare, cum de nomenclatura ſatis hucuſque dictum ſit. Ideo eò libentiùs aggredior, quo rationabiliùs à noſtra ætate repetere poteſt reſtitutionem in integrum venerandum hoc Antiquitatis veſtigium, quod ultimum noſtris diebus excidium ex incuria aliquorum perpeſſum eſt. Funditùs itaque hoc, quod deſcribimus, opus Muſivum interiit anno ſuperiori 1686. cujus tamen Diagramma diligentèr incidi juſſimus, antequam prototypus dilaberetur: figurarum diſpoſitio peti poteſt à Tabula LXXVI. in qua ſeptem viſuntur Virorum effigies. Medium obtinet Chriſtus Dominus monti inſiſtens, à quo quatuor flumina propagantur:

Dextera Chriſti Domini benedicentis more elevata eſt: ſiniſtra verò volumen utrinque complicatum inſerto indice detinet, & collectum in plicas pallium cubito ſuſtentat. Pallii fimbria notatur monogrammate H. Chriſti Caput diademate ornatum eſt ab inſertæ Crucis imagine concinnè decuſſato. Notandum verò Figuræ partem lineâ circumvallatam, ubi adeſt lit. A. additum eſſe ex Pictoris judicio, cum Muſivum opus temporis diuturnitate inibi deletum fuerit. Volumen illud, omiſſis aliis interprætationibus à Durando *In Ration.* lib. 1. cap. 3. & ab Arringho *In Roma Subterranea* tom. 2. lib. 6. cap. 16. & excogitatis, nihil aliud ſignificat (ut opinor) quà novæ legis editionem Chriſto Domino referenda: ſicut enim Deus legis antiquæ Tabulas Moyſi traditurus, illum accerſivit in ſummum apicem, Montis Sinai, ut ab ipſa loci altitudine ſublimitas Præceptorum dignoſceretur; ita æternus Dei filius *majora Præcepta* oblaturus *Populo quem charitate jam liberari conveniat*. Et D. Auguſtinus ait lib. 1. *De ſerm. Domini in monte*: Par erat ut è montis Cathedra cœleſtis Doctrinæ ſuæ aperiret exordium. Præſtat ipſius Auguſtini verba referre: *Si quæritur* (inquit ibidem S. Doctor) *quid ſignificet mons, benè intelligitur ſignificare majora præcepta Juſtitiæ, quia minora erant, quæ Judeis data ſunt*. Volumina ſimilia, quæ in Apoſtolorum Chriſto aſſiſtentium manibus viſuntur, acceptam ab eodem docendi facultatem indicant; quam non incongruè manibus retinent, cum ab eodem Chriſto didicerint *facere, & docere*. Literæ H. ſignificationem &c. in Diſſertatione de monogrammatevestium ſupra in Cap. X. explicavimus.

Quatuor autem flumina, quæ è monte decurrunt, quatuor illa denotant, quæ è terreſtri Paradiſo erumpunt. De quibus Moſes Barcepha Syrus cap. 2. *In Geneſim in Commentariis de Paradiſo* par. 1. cap. 28. ſic ait: *Poſtquam is fluvius rigaſſet Paradiſum, diductus, diviſuſque eſſet in quatuor fluvios, quos Moſes* (*quia ipſius ſæculo noti erant*) *ſuis & nominibus, & locis deſcribit inquiẽs*: *Nomen unius Phiſon; is eſt qui circuit univerſam Terram Havilæ. Nomen igitur unius horum quatuor fluviorum eſt Phiſon; ſive, ut Græcus vocat, Diyabis, qui fluvius poſtquam avulſus ab illo majore, & primario Paradiſum pelluente; in terramque demerſus eſt, ſub ipſis etiam Oceani vadis fluit, donec ebulliens prorumpat in Occidentem; unde verſus Septentrionem*

*nem regyrans delabitur, per universam Regionem Indorum, (quam vocat Moses Terram Havilæ) ac tandem desinit in Mare Indicum. Sunt autem qui putent Phison appellatū esse à verbo Phas; propterea quod cesset à fluctu aspectabili, quippè qui sub multis pelagis majorem cursus sui partem peragat, & ibi est aurum, & aurum ejus terræ præstans est; ibi Bedolach & lapides Berilly fuerunt in pleraque hujus fluminis arena, atque in ipsa ripa aurum probum, admirandasque margaritas ubertim reperiri. Hebræum enim Bedolach gemmas vocat, Beryllos verò lapides pretiosos. Alii Bedolach candidas vniones significare existimant, Beryllos verò sardos, Topazios, & cæteras id genus gemmas. Et nomen fluvii secundi Gihon; is est qui circuit omnem Terram Chus. Secundus fluvius nomen habet Gihon, Græcus Nilum appellat, alii Sichor vocant: & hic quoque fluvius ut separatus est ab illo majore sub Oceanum descendit, donec scaturigine evomitur in plaga Australi, atque peragrās perluit terram Cusiorum (Ethiopas vocamus) & Aegyptiorum, tandemq; desinit in Mare Adriaticum, quod est apud AEgyptum. Cæterùm nomen Chionis obtinuit à fluendo cum inundatione: hæc enim ripâ suâ supergrediens, irrigat Terras sibi circumiacentes. Et nomen fluvii tertii Diklat, qui it adversus Assur. Quartus denique fluvius est Perath. Diklat appellatus est tertius fluvius, quod impetuosus, ac rapidus sursum deorsum feratur, quasi homo violentus, ac fervidus, qui ad prærumpendas angustias aliquas, nunc se subrigit, nunc demittit. Quartus denique fluvius dicitur Perath, quia fœcundissimus est. Et hi quoque duo fluvii simul atque derivati sunt ab illo principaliori flumine, absorpti sub Oceanum, tandem prosiliunt in medio terrarum Orbe fontibus non procul inter se dissipatis, ac prolapsi desinunt in Mare Australe ipsius Boreæ. Porrò Assur vocat regionem Astur, & Ninevitarium, ac Bethgarme, aliaque circumquaque his adiacentia loca.*

*Accipiuntur & quatuor hæc flumina pro quatuor Euangelistis.* Sic Christianus Grammaticus *In Exposit. in Matthæum* cap. 1. *Per Gehon* (inquit) *qui dicitur terrenus, significatur Matthæus, qui terrena acta de Christo narravit. Per Tygrim, qui velocitas interpretatur, Marcus, qui cursim acta Domini exposuic. Per Euphratem, qui fertilitas interpretatur, Lucas, qui uberiùs, & latiùs Domini gesta decurrit. Per Phison, qui insufflatio potest dici, Joannes, qui excellentiùs afflatus Spiritu Sancto de Domini dignitate attigit. Sicut ista quatuor flumina irrigant omnem Mundum, sic quatuor Evangelistæ irrigant omnem Ecclesiam.*

Sed prosequamur jam reliquarum figurarum expositionem. Stat Salvatori deterior senex pallio coopertus, quem D. Paulum suspicor: exerit hìc è pallio dexteram, siniſtrâ volumen sustinet, pari, quo Christus, modo. Habetque in fimbria pallii monogramma L. Hujus picturę inferior pars à Pictore suppleta est.

Secundæ, & tertiæ figuræ (& ipsæ à dextera Salvatoris) nil nisi Caput extabat, reliqua verò à Pictore reposita sunt.

Senior alter siniſtram tenet, stans ipse quoque pallio coopertus, qui fortè Principem Apostolorum denotat:

emi-

eminet è pallio cervici obvoluto dextra, ſiniſtraque, uti aliæ Imagines, volumen obſtringit.

In utraque palli fimbria legitur Litera L. recta & inverſa; ea fortaſſe de cauſa, quia interior pars fimbriæ exteriùs reflexa eſt. Teguntur ſandaliis pedes, quorum ſiniſter picturâ expreſſus eſt. Secunda Imago dexteram elevat more ſermocinantis; habetque in ora pallii L. monogramma. Tertia demum, & ultima, quæ imberbem juvenem refert, dextram & ipſa manum attollit, atque indicem ori admovet; ſiniſtrà pallio tectà dexterum cubitum ſuſtentat. In utraque togæ fimbria viſitur litera L. recta & inverſa, pedeſque, quorum ſiniſter, veluti ad inceſſum paulò elevatior, ſandaliis, ut aliæ omnes, ornantur.

In ſupra expreſſis figuris cum quædam notari poſſint, ac debeant, ipſarum à capite exordium ducam. Non omnes igitur ſunt eodem modo capillatæ, ac barbatæ, ſed ad morem Regionis, ut credo. Hanc coniecturam ſuggerit nobis eruditiſſimus Caſaubonus in notis ad Julium Capitolinum, ubi loquens de Vero Imperatore, qui ad Amicæ vulgaris arbitrium in Syria barbam poſuerat, illuſtrat hunc locum, demonſtrans Antiochenſes, & Syros averſatos eſſe, & ſubſannaſſe eos, qui barbam alerent: è quibus hæc ego: Cum Sanctus Petrus Antiochiæ, ubi ſeptennium explevit, Cathedræ Apoſtolicæ præſideret, ne Antiochenſibus riſui eſſet, & inviſus, barbam eorum genio compoſuit, poſuitque; licèt ultimò Romæ, ubi mos diſpar vigebat, iterum reſumpſerit.

Principis Apoſtolorum exemplo ejus Succeſſores Romani Pontifices raſam barbam geſtavere uſque ad Julii II. tempora, qui omnium primus contra majorum conſuetudinem prolixam aluit, ut majorem intuentibus reverentiam incuteret: idque reliqui poſt eum Pontifices Maximi probaſſe uſu videntur, teſtante Ciaconio in ipſius Vita. Sed pace tanti Viri, tàm Leo, quàm Clemens Julii Succeſſores reſectam omnino habuere: Clemens verò, Borbonis exercitus Romam depopulantis impiam rabiem declinaturus, per ſeptem menſes in Arce Sancti Angeli, ſeu Mole Hadriana delituit, quo tēporis tractu nullatenus in mento novaculam paſſus fuit: dierum deinde ſuorum, caſuſque luctuoſioris mœrori tam proprius barbæ prolixioris horror ſibi viſus eſt, ut ad extremum vitæ triſtem conſuetudinem ſervaverit.

Teſtantur hoc ipſum Icones utriuſque Pontificis in argenteis nummis expreſſæ, quorum nonnullos me penes aſſervo; & notat etiam Oldoinus in Addit. ad ipſum Ciaconium.

Animadvertendum inſuper eſt in Emblemate, quod exhibeo, figuras omnes Sandalia deferre; quod certè non ad placitum Muſivarii factum credas, nec ad temporum mores, vel Regionis, ſed juxta Domini juſſum, qui Marc. 6. præcepit Apoſtolis, *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandaliis &c.*

Obſervatione dignos etiam judico veſtium Colores, ubi Chriſti tunica, & pallium rubei, Apoſtolorum verò pallia albi, tunicæ verò cærulei coloris erant.

## CAPVT XXVIII.

*Eccleſia S. Agathæ in Subura, ejuſque muſivo Opere, olim in ea à Fl. Recimero circa ann. Domini 472. conſtructo.*

OPulentiſſimum ſacrarum memoriarum ſolum jure Romana Civitas denominari poteſt, cum non tantùm ob ethnicorum templorum, verùm etiam effulgente Evangelicâ Veritate ob ædium in Martyrum, aliorumque Sanctorum honorem dedicatarum numerum, & elegantiam inclytum ſuper alias evaſerit: Sed temporis diuturnitate, & tot Barbarorum incurſionibus, ruinis, ac reparationibus in Eccleſiis factis, vix eædem dignoſci poſſunt; itaut quandoque nonnullæ ex iiſdem in propriis ſedibus perquiſitæ non inveniantur. Eorum, quæ aſſerimus, exemplum præbere poteſt Sanctæ Agathæ Eccleſia in Subura nuncupata, de quo Floravantes Martinellus Romæ an. 1638. peculiarem tractatum edidit, aſſeritque eſſe in regione Suburæ; ac illam, quam Magnus Gregorius ab Arianis pollutam expiavit, deindeque tot miraculis inſignem. Contrariam tamen tuetur ſententiam Famianus Nardinus in tractatu *De antiqua Roma* Italicè ſcripto, ubi non ſolum non eſſe in Subura, ſed neque illam à Magno Gregorio dicatam. Quare ad hanc indagandam veritatem prolixiorē præter meum inſtitutum eſſe cogor in referendis utriuſque rationibus, ut iis ad trutinam reuocatis, noſtriſque additis, Veritas è tenebris (ſi poſſibile ſit) eluceſcat.

Martinellum igitur primo loco, tanquam qui prior ſcripſit, audiamus. Is enim ad ſcrutandam meliùs hanc veritatem à nominis etymologia initium ſumit, Varronis auctoritatem adducens, qui lib. 4. De ling. Lat. *Subura* (inquit) *quòd ſub muro terreo Carinarum in ea eſt Argeorum ſacellum ſextũ. Subura Junius ſcribit, ab eo quòd fuerit ſub antiqua* Urbe, *cui teſtimonium poteſt eſſe, quòd ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur?* Nihilominus ipſe Vario aliam ſequitur etymologiam, nempe Suburam à pago Succuſano potius dictam fuiſſe, quia ſuccurrebat Carinis. Feſtus verò ex Verrio eadem ferè habet, *Suburam à pago Succuſano dictam: hoc verò maximè probat eorum auctoritate, qui ajunt, ita appellatam, & Regionem* Urbis, *&* Tribum *à ſtativo præſidio, quòd ſolitum ſit ſuccurrere Eſquiliis infeſtantibus eam partem* Urbis *Gabinis. Indicioque eſſe quòd adhuc ea tribus per C. literam non B. ſcribatur.* Jis Martinellus addit, quod aliquid amplius ejuſdem Feſti fragmentum habeat ex Farneſiano Exemplari deſcriptum; *Suburanam* videlicet *Tribum*, antea *Succiſanam* dictam. Veteremque Horatii Interpretem à Jacobo Cruquio editum, habere: *Suburam dictam eſſe à ſuburendo, quòd in ea Regione Romæ aliquando ſubuſtionibus Paludeta ſiccata fuerint.* Hæc de Etymologia: Deinde idem Martinellus oſtendit, Suburam unico R. ſcribendam eſſe quod lapideis ſubſcriptionibus probat; at, cum hæc ſit Ortographica quæſtio, Lectorem brevitatis gratiâ ad eundem Martinellum remittam. Nunc propiùs accedamus nempe ad ſitum, quo indagando Antiquarii verbis invicem

vicem ſe laceſſunt; ſed à nemine huc uſque inventus eſt, & in futurum perquàm difficile invenietur.

Præcitatus igitur Varro INTRA URBIS POMERIVM, Suburam fuiſſe indicat, inquiens; *Reliqua Urbis loca olim diſcreta, in ſeptem & viginti partes Urbis ſunt diſpoſita: Equeis prima eſt ſcripta Regio Suburana.* Porrò EXTRA ILLUD conſtituere videtur cum ait. *Subura ſub muro terreo Carinarum*, & ſubiungit: *Subura Junius ſcribit ab eo quod fuerit ſub antiqua Urbe.* Urbs verò antiqua non Carinas, ſed Palatinum, & Capitolinum Colles comprehendebat; ſicque Subura inter Carinas, & antiquam Urbem, videlicet extra Pomerium conſtituta erat, quòd probat Thomas Dempſterus, cum Martiale; ita dicente.

*Tonſtrix Suburæ ſaucians ſedet primis,*
*Cruenta pendent qua flagella Tortorum,*

Quia ſervus publicus, ſeu Tortor in Urbe habitare non poterat. Contrarium tamen elicitur ex Jvuenale Satyr. 10. ubi cum Annibale loquens, ait.

*Actum*, inquit, *nihil eſt, niſi Poeno Milite portas*
*Frangimus, & media vexillum pono Subura.*

Quaſi dicere voluiſſet: Nihil adhuc fecimus, niſi Romam capiamus, & vexilla noſtra in Subura ſitâ in media Urbe ponamus. Idemque etiam indicaſſe videtur præcitatus Martialis lib. 12. epiſt. 3. quo mittit librum in Urbem ad Stellam Conſulem, & Poëtam in prima Subura habitantem, ubi ſic.

*Ad Populos mitti, qui nuper ab Urbe ſolebas,*
*Ibis tu Romam nunc peregrine liber.*
*Jure tuo veneranda novi pete limina Templi;*
*Reddita Pierio ſunt ubi Templa Choro.*
*Vel, ſi malueris, primâ gradiere Suburra:*
*Atria ſunt illic Conſulis alta mei.*
*Laurigeros habitat facundus ſtella Penates.*

Subjungit ſupra laudatus Martinellus, admodum difficile eſſe Suburę locum deſignare ob Auctorum in hac re varietatem, quos ipſe in unum collegit, ac in tui gratiam lecta, ſummatìm infero.

Junius apud Varronem ſub antiqua Urbe Suburam eſſe dixit, cujus teſtimonium eſſe poterat, quod ſubeſſet ei loco, qui Terreus murus denominabatur.

Joannes Annius. Suburam poſuit in vico Thuſco incipientem è Palatino Colle, & protenſam uſque ad murum fori Venalium circa Tyberim, & ad forum Piſcarium.

Blondus Monticulum exiſtimat, ubi ſitum eſt monaſterium Sancti Laurentii in Pane, & Perna, ac totam illam viam, quæ incipit a Sancta Lucia in Silice, & porrigitùr uſque ad Sanctum Hadrianum in foro Boario, Suburam comprehendere.

Marcellus Donatus ſequitur Blondum, locans in Subura Olympiadis, & Agrippæ Thermas juxta præfatam Eccleſiam Sancti Laurentii in Pane, & Perna, ubi Sanctus iſte aſſatus fuiſſe dicitur, & pro ſua confirmanda ſen-

tentia Prudentii Poëtæ Chriſtiani locum adducit Hymn. 11.

*Non contentus humum, Cælſæ intra mœnia Romæ,*
*Tingere Juſtorum cædibus aſſiduis.*
*Janiculum cùm iam madidum, fora, roſtra, Suburam.*
*Cerneret eluuie ſanguinis affluere.*

Pomponius lætus initium Suburæ eſſe vult, ubi Titi Amphitheatrum, illiuſque ſpatium uſque ad Eſquilias producit.

Andræas Fulujus vix à præcitatis diſcedit, dum ait: *Ea inchoabat à regione Tabernolæ iuxta Coloſſeum, ubi Suburæ caput, & principium Labicanæ verſus Auroram tendentis. Subura verò per radices Exquiliarum longo ambitu producebatur uſque ad ædem Sanctæ Luciæ in Orphea, ſive in Capite Suburæ.*

Bartholomæus Marlianus Suburæ caput non ad Amphitheatrum, ſed ad forum Romanum poſuit.

Aloyſius Contarenus Marlianum ſequitur, & Suburæ plateam collocat inter Quirinalis, & Viminalis Montium extremam partem, ubi Probæ puteus; qui puteus (ut refert Fulujus) erat ſub proximo Templo S. Agathæ in Valle Quirinali, & juxta S. Mariam in Campo, ubi à fronte inciſæ literæ juxta Hoſpitale Epirotarum, quod nunc eſt Eccleſia SS. Sergii, & Bacchi, quare Platea iſta (ni fallor) nunc eſt ante ædem B. M. V. ad Montes in ea parte, ubi nunc fons cernitur.

Raphael Volateranus, cæteriſque recentiores à Trajani foro uſque ad S. Martinum in Montibus, & S. Agatham protendunt.

Pyrrhus verò Ligorius, qui Italico idiomate ſcripſit, ſic latinè redditus, ait: *Subura non erat in Eſquiliis, ſed in Suburana Regione, in quo ſignantèr erat Cœliolus, ac Carinæ, & ut ipſe perpendere potuerat, facilè exiſtimabat Suburam in illa fuiſſe valle, quæ eſt inter Cœlium Montem, & Palatinum.* Hoc ſuum judicium deduxiſſe videtur Pyrrhus ex Lupanariis, quæ Q. Ruffus & P. Victor recenſent.

Panvinius Ligorium ſequitur, ac profitetur, ſe multa ab illo didiciſſe, & ejus veſtigiis inhærens ait: *Suburam voco viam illam, quæ Amphitheatrum, & Arcum Conſtantini ex uno capite habet, ex altero verò Septizonium Severi, & SS. Andreæ, & Gregorii in Clivo Scauri Baſilicam.* Septizonium erat ante dictam Eccleſiam Sancti Gregorii.

In tanta tot Auctorum, & ſententiarum varietate ſubjungit ſupramemoratus Martinellus: *Non eſt facile de rebus præſertim remotiſſimis liquidò pronunciare.* Poſtea Ligorii auctoritatem refellit, allegans Epigramma Martialis, qui à ſuis ædibus, quæ ad Pilam Tiburtinam ſitæ erant, ad Eſquilias per Suburanum clivum aſcendi dicebat. Tiburtina Pila erat ad Circum Floræ in Quirinali Monte, ubi nunc Platea Barberina, ſive Capuccinorum. Martialis carmina hæc ſunt ex lib. 5. Epig. 23.

*Mane domi niſi te merui, voluique videre:*
*Sint mihi, Paule, tuæ longius Exquiliæ.*
*Sed Tyburtinæ ſum proximus Accola Pilæ,*
*Qua videt antiquum ruſtica Flora Jovem.*

*Alta*

*Alta ſuburbani vincenda eſt ſemita Clivi.*

Non diſſimile habetur in alio Epigrammate, quo Muſam alloquitur, jubens, ut librum deferat ad Plinium in Exquiliis habitantem, ubi ſic l. 10. Epig. 20.

. . . . . *Brevis eſt labor peractæ.*
*Altum vincere tramitem Suburæ,*

Idem etiam videtur indicare Sextus Pompejus, qui Suburam inter Montes commemorat. *Septimonium*, inquit, *dies appellatur menſe Decembri, qui dicitur in faſtis Agonalia, quòd eo die, ſeptem montibus fiunt ſacrificia Palatio, Veliâ, Fagutali, Suburâ, Germalo, Cœlio, Opio, Ciſpio.*

Quàm levi autem fundamento nitatur Ligorii ſententia nemo non videt; frivolum eſt enim ejus argumentum deſumptum ex Lupanariis deſcriptis in regione ſecunda Cœlimontana, cum illa alibi etiam fuiſſe appareat. Tacitus loquens de ſtagno Agrippæ, ait: *Crepidinibus Stagni Lupanaria aſtabant, illuſtribus fœminis completa, & contra ſcorta viſebantur nudis corporibus* ex lib. 15. Annal. cap. 37.

Alterum lupanar extabat in Agonali Circo, ad quod ducta B. Agnes Virgo, & Martyr. Alia ſimilia loca habebantur in Circo maximo, ex quibus non una, ſed plures Suburæ deduci poſſent.

Nec firma Romanorum Regionum Auctoribus à Panvinio editis fides haberi poteſt, cum inter ſe contrarii ſint. Nam P. Victor ab Aldo impreſſus in regione ſecunda Cœlimontium, lupanaria ponit nullo alio adjecto. Panviniana verò editio addit: in *Subura*. Idem Victor juxta plures aliorum editiones *Suburam* in tertia Regione reponit, quam Panvinius in *Suburæ caput* commutavit. Denique ſex. Rufus ab ipſo Panvinio vulgatus in Regione quinta Exquilina ponit *Vicum Succuſanum* à quo Subura nomen traxit. Propterea præcitatus Martinellus ſic diſtinguendum exiſtimat.

Si agatur de antiqua Urbe, in cujus Pomerio Palatinus, & Capitolinus Colles includebantur, dicendum eſt *Suburam* fuiſſe *viam ſub antiqua Urbe extra Pomerium in ea Valle*, ubi nunc eſt Amphiteatrum Titi: Ex quo deinde probat, quod ibi meretrices proſtabant, cum Subura dicta fuerit ſub antiqua Urbe, ac ſub terreo muro Carinarum, & locus iſte à nonnullis *Summœnium* denominetur; Quare Martialis lib. 3. Epig. 81.

*Conviva Zoili quiſquis poteſt eſſe,*
*Summœnianas cœnet inter Uxores.*

Et lib. 12. Epig. 32.

*Nec plena turpi Matris olla reſina*
*Summœnianæ qua pilantur Uxores.*

Et lib. 11. Epig. 62.

*Lingua Maritus, mœchus ore Mancius,*
*Summœnianis Inquinator buccis.*

Quibus adde Epig. 35. lib. 1.

*At Meretrix abigit teſtem, veloque ſerâque,*
*Raraque Summœnii fornice rima patet.*

Ex his igitur argui poteſt, quòd lupanaria à Ligorio allegata ad hanc Subura referri queant.

Si verò loquamur de aucta Urbe, Suburæ limites videntur extenſi uſque ad forum Piſcarium, & finem Vici

Thu-

Thuſci, ubi Janus Quadriformis, & imum Argiletum (nunc ni fallor Pons quatuor Capitum) & illa via, quæ ducit ad Sanctam Mariam Ægyptiacam, dicta Porta Leone. Perpendendus igitur eſt Martial l. 2. Epig. 17.

*Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis,*
*Cruenta pendent qua flagella Tortorum:*
*Argique lætum multus obſidet Sutor.*

Tonſtricis locum fuiſſe demonſtrat ipſe Martinellus Suburæ principium, ubi ſolebant verberari fontes, & tortores flagella ſuſpendere, & erat prope Argiletum, quod pertingebat ad Theatrum Marcelli, nunc Plateam Montanariam.

Perpendendus eſt etiam Juvenalis, qui Sat. 5. verſ. 105. ſic ait:

*Aut glacie aſperſus maculis Tyberinus & ipſe*
*Vernula Riparum pinguis torrente Cloaca*
*Eſolitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.*

Ad quem locum notat laudatus Martinellus; *Si Subura Tyberim verſus non protendebatur, quomodo poſſent Piſces Suburæ Cryptam penetrare, ut tibi pingueſcerent.*

Rediens poſtea ad ſuam primam enarrationem demonſtrat, quòd aucta Urbe Subura etiam producta fuit, ut ad forum Nervæ pertingeret. Inde verò per planitiem inter Viminalem, Quirinalem, & Eſquilinum Colles ad S. Luciam in Silice porrigeretur. Quod ſi (ſubjungit) divinari in re obſcura, & antiqua tantiſper liceret, Servio Rege, ſequentibuſque proximè temporibus id contigiſſe crediderim. Collocatâ enim in Exquiliis Regia, ac Vico Patrizio Senariis Civibus âd ædificandam diſtributo per eam planitiem valde Urbem creviſſe non abs re judicari poteſt. Verum de tempore ad libitum quiſque ſentiat, Suburam quandoque tandem eò perveniſſe, ex vulgatiſſima loquendi ratione, quæ à majoribus accepta, ad noſtra uſque tempora propagata, certiſſimè comprobatur. Hac eadem ratione ex ipſo quod hodie in uſu eſt, nomine Capitolii, Circi, Palatii, horum omnium ſedem, ac locum, ita nos certè exiſtimamus, ut nemo audeat dubitare, cum ergo idem in Subura locum non habeat. Interdum verò à vulgo recepta ſunt falſa; Verum ad hoc, ut falſa dicantur, debent apertiſſimis argumentis coargui, quæ hìc nulla ſunt, ut idem oſtendit. Faciunt huc, quæ ſupra narravit de Clivo Suburano, qui a Pila Tiburtina tendenti ad Eſquilias poſt Suburam ſcandendus ſupereſt teſte Martiale. Hæc enim, & ſimilia, niſi hoc loco Subura locetur, explicari non poſſunt, cùm ex alia parte in hac ſententia facillimè poſſit *Clivus Suburanus* deſignari, ut nimirum ſit ille ipſe, quem ad S. Luciæ in Silice, Templum aſcendimus, & adhuc Suburæ nomen retinet. Huc uſque Martinellus, qui multa dixit, ſed Gordianum nodum non diſſolvit, ut infra ex Nardino demonſtrabitur. Pergit deinde indicans loca Auctorum, quæ Suburæ qualitates patefaciunt.

Primò, quòd hominum multitudine abundaret, refert Juvenalis Sat. 11. V. 50.

*Cadere namque foro jam non tibi deterios, quam*
*Eſquilias à ferventi migrare Subura.*

Se-

Secundò, quòd ibi venalium rerum copia adeſſet, Martialis lib.7. Epig.31.

*Quidquid Villicus Umber, aut Colonus,*
*Aut Thuſci, tibi, Tuſculive mittunt.*
*Aut rus marmore tertio notatum;*
*Id totâ mihi naſcitur Suburâ.*

Et lib. 10. Epig. 94.

*Hæc igitur media quæ ſunt mihi nata Suburâ*
*Mittimus Autumni Cærea Poma mei.*

Quare quòd clamoribus Præconũ, & aliorum res venales, ac promercales clamitantium perpetuò ſtreperet, clamoſam eam vocat. idem Martialis lib.12. Epig.18.

*Dum tu forſitan inquietus erras*
*Clamoſa Juvenalis in Subura.*

Non edulia tantùm verum etiam medicamina ad Mulierum ornatum ibidem vendebantur: quod ſic teſtatur Martialis lib.9. Epig.38.

*Cum ſis ipſa domi, mediâque ornere Suburâ.*

Tertiò, quòd eam coluerint etiam ſpectatiſſimi Viri Svetonius de Cæſare narrat, aſſerens eum *habitaſſe primò in Subura Modicis ædibus*; ac Martialis lib.12.Ep.3. de Stella Conſule.

*Vel ſi malueris primâ gradiere Suburâ:*
*Atria ſunt illic Conſulis alta mei.*

Concludit denique idem Martinellus, intervallum iſtud obſcurum eſſe non potuiſſe, in quo Romanorum Nobiliſſimi diverſabantur; mirùm ergo non erit, ſi Subura cum Sacra via, toti Urbi celeberrima pari propemodum jure contenderet. Ait enim Feſtus: *October equus appellatur, qui in Campo Martio Menſe Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum Victricum dexterior: de cujus Capite non levis contentio ſolebat eſſe inter Suburanenſes, & Sacravienſes, ut hi in Regiæ pariete, illi ad Turrim Mamiliam id figerent.*

Sed nihil ad Suburæ dignitatem perindè facere alicui videtur, quàm quòd prima Regio, ſeu Tribus ſcripta eſt, teſte Varrone, quæ ab ipſa Suburanæ nomen invenit. Hoc eſt quod Tullius *De lege Agraria*, ait: *A Suburana uſque ad Arnienſem nomina veſtra proponat*. Neque verò alio ordine dum Tribus Urbanas enumerat, utitur Plinius: Aliter Dionyſius, qui à Platina incipit: Conciliare tamen utroſque nititur Manutius inquiens: *Rem commodè poſſe temperari, ut Dionyſius Ordinem quo facta ſunt: Varro eum, quoad lationem ſuffragii vocabantur ſpectaverit*. Equidem hanc Varronis fuiſſe mentem affirmare non auſim: Cæterùm hoc ipſum, quod prima citaretur, non honorificum eſſe non poteſt.

Scire oportet, temporum decurſu ab Urbanis Tribubus ad Ruſticas deficiſſe primarios vicos, quòdque neceſsè fuit, illarum amplitudinem imminutam; ſed non iccircò Suburæ ſua dignitas periit, adeout dicere potuerit Juvenalis Satyr.3.

*Ego vel Prochytam præpono Suburæ.*

Quaſi nihil eſſet in Urbe præſtantiùs.

Hæc à præcitato Martinello dicta, fideliter exponenda duxi. Modò in judicium eſt vocandus Famianus Nardinus, qui in ſua *Roma antiqua* alitèr ac Martinellus ſentit.

At antequam ad Nardini narrationem deveniam, operæ prætium fuerit ſummatìm ejuſdem aſſertiones referre cum opus poſthumum ſit ab Auctore non

non reviſum, neque correctum, ideoque in aliquibus locis obſcurum.

Prima igitur Nardini aſſertio, ſive argumentum eſt opponere ſe Donati judicio, & nimiùm Suburam dilatare.

Secunda, Eccleſiam S. Agathæ, de qua ſermo, illam minimè eſſe, cujus meminit D. Gregorius, neque eſſe in Subura.

Tertia, Diaconiam S. Agathæ illam eſſe, de qua differimus, diverſam tamen à Monaſterio S. Agathæ in Subura.

Quarta, S. Gregorium Eccleſiam priùs in honorem S. Severini juxta domum Merulanam, poſtea occaſione novarum Reliquiarum in honorem S. Agathæ mutaſſe.

Quinta, huic ambiguitati anſam dediſſe muſivum opus in Tribuna Diaconiæ extans, in quo Fl. Ricimeri nomen extabat. Negat propterea Nardinus contra opinionem Baronii Ricimerum Arianum fuiſſe.

Sexta, tempore Herulorum quatuor ex Septem Urbis regionibus Catholicas extitiſſe, nempè 1. 3. 6. 7. reliquas verò tres, ubi erat Diaconia, integras Arianas.

Septima, Muſivum opus non fuiſſe in Eccleſia à S. Gregorio expurgata; quoniam, ſi illa fuiſſet, in decentiori loco hæretici nomen non reliquiſſet.

Octaua, ſe diffundit in Suburæ ſitu deſcribendo: Prolixiùs ipſum Nardinum loquentem nunc audiamus. qui lib. 3. cap. 6. accerrimè tuetur Suburam extitiſſe inter Eccleſiam SS. Petri, & Marcellini, & Amphiteatrum Titi, Coloſſeum applellatum. Ait enim ſe legiſſe in Rufo *Subura*, *& lupariæ*; ac in Victore Lupariæ in Subura. Ex hoc deducit validiſſimum argumẽtum dubitationis expers, nempe in Regione ſecunda, ubi ſunt lupariæ, ibidem extitiſſe Suburam. Ac juxta Varronis ſcripta major pars Suburanæ Tribus fuit Cœlius Mons, & vice versâ in Cœlii Regione juxta præfatorum Rufi, & Victoris dicta Suburæ via fuit, quæ ſi recens fuiſſe aſſeratur, perneceſsè indagandus eſt modus, non ſolùm Suburanam Tribum à S. Joanne in Laterano, & à S. Gregorio ad S. Luciam in Silice, verùm etiam Cęlimontanam regionem ad Eccleſiam S. Mariæ in Montibus, ac ultra extendendi, quòd impoſſibile eſſe per ſe patet; ipſe enim jam oſtendit, quòd Tribus Palatina, & Eſquilina adeò conjunctæ erant, ut earum Collium radices inter ſe connecterentur. Quare Suburanæ Tribui è Cęlio ad recentem Suburam ſe extendendi omnem adytum prohibeant. Secundò ex quatuordecim regionibus tertia Iſidis; & Serapidis dicta, & quarta Templi Pacis ad invicem conjunctæ, eam ab Amphiteatro remotam apertè declarant. Secunda Regio è Cęlio ad planitiem deſcendens illam Iſidis, & Serapidis finitimam habebat, quæ in Eſquiliarum parte à S. Matthæo in Merulana uſque ad S. Petrum in Vinculis includendo Amphiteatrum, ſe extendebat, quare ab iſto Cœlimontana ſejuncta erat. Hæc etiam quartæ Regioni templi Pacis, ut dictum eſt, vicina fuit; quæ progrediens per Palatium, & Amphiteatri fines lambens, Metam ſudantem eidem Amphitheatro proximam, ac Titi arcum amplectebatur. Per quam igitur viam, per quem adytum, per quem Pontem (Nardinus exclamat) Cęlimontana ad recentem tranſire Suburam potuerit?

Huic

Huic ſententiæ Alexander Donatus eruditè, ac peracutè accurrit, tuendo contrariam ; ac duabus præcipuè de cauſis movetur.

Prima ex Gregorio Magno deſumpta eſt in 3. Dialog. cap. 30. qui *Arianorum* (inquit) *Eccleſia in Regione Urbis hujus, quæ Subura dicitur, cùm clauſa uſque ante biennium remanſiſſet, placuit, ut in Fide Catholica introductis illic B. Sebaſtiani, & S. Agathæ Martyrum Reliquiis dedicari debuiſſet, quod factum eſt.* Ac in lib. 3. ep. 19. *Quia ergo* (inquit) *Eccleſia S. Agathæ ſita in Subura, quæ ſpelunca fuit aliquando pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam, Deo propitiante, reducta eſt &c.* quæ Eccleſia ſita eſt in illa Quirinalis parte, quæ Viminalem reſpicit, nunc ſub Viridario Excellentiſſimæ Aldobrandinorum familiæ.

Secunda autem ratio elicitur ex Martiale Epigr. 20. lib. 10. in quo de Plinii Nepotis domo ſic cecinit.

*Illic Orphea protinus videbis*
*Altum vincere tramitem Suburæ,*
*Udi vertice lubricum Theatri,*
*Miranteſque feras, Avemque Regis,*
*Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.*

Ex iis antiquam Suburam à Clivo S. Luciæ in Silice ad *Pantanos*, nunc vulgò dictos, ad Amphitheatrum Titi, ad Cæſaris forum, ad S. Agatham in Quirinali, & per conſequens ad magnam Viminalis partem extendit.

At hæc adductæ rationes minimè quæſtionem ſolvunt, taliſque dilatatio, vaſtitatem ſapit. Primò Urbanę Tribus quatuor fuere: Eſquilina, quæ ſecundùm Varronem, Eſquilias capiebat, Collina Quirinalem, ac Viminalem; Palatina Palatinum collem, & Suburana Cœlium Montem; Et poſſibile erit (exclamat idem Nardinus) quòd Subura Eſquilinæ partem occuparet, ubi nunc S. Lucia in Silice, magnam Collinæ portionem, ac in ſe etiam Viminalis, & Quirinalis partem capiens, montique Cœlio à ſe diſiunctiſſimo, atque remotiſſimo Suburanę Tribus nomen, imponeret? Præterea Cœlimontanæ Regionis iſta, Vicus ſemper extitit, ob idque minor una ex quatuordecim, quas diviſit Auguſtus, ſed eo modo ſola Subura totam integram quartam Regionem cœpiſſet, magnam partem quintæ, videlicet Eſquilinæ; partem ſextæ, quæ eſt alta ſemita, partem tertiæ, quæ eſt Iſidis, & Serapidis, ac ſolummodò Cœlimontana, in qua Victor, & Rufus eam ponunt, longè diſtaret. Perquiratur demum (ſubdit Nardinus) altera antiqua Regio tantæ amplitudinis, ſed tertiâ minor ea non invenietur. Quiſnam legit, & quiſnam conſtanter aſſerere poterit, Carinas, Ceriolenſem, Pacis Templum, Forum Nervæ, illud Cæſaris, ac mille alia ædificia, quæ in tam magno ſpatio, ac diverſis Regionibus ſita ſunt, in Subura extitiſſe? Præterea idem Nardinus, ſe cogitare minimè poſſe ait, quænam cauſa impulerit duos tam diligentes indagatores, ſimulque ſcriptores quatuordecim Regionum, ut Suburam in ſecunda Regione, ad quam non ſpectabat, deſcriberent abſque mentione ſaltem quartæ, in qua non extremitatem, ſed umbilicum habebat, & ferè totam eam detinebat. Obſervat tandem quòd, ſi Vmbilicus in ſecunda Regione locetur, & caput in tertia, quod fuit intra Amphitheatri limites, cætera

membra à capite diſtantia abſque monſtruoſitate habere minimè potuerunt.

Eccleſiam S. Agathæ ad Quirinalē, de qua S. Gregorius loquitur, nemo eſt qui aſſerat, ſubdit Nardinus, cum iſta in diverſo ſitu, etiam à recenti Subura poſita ſit; Erroneum eſt id ſuſpicari, numquid credere? Quadringentas, pluresve antiquas Eccleſias jam extitiſſe, quæ amplius non extant, vel nomen immutarunt, aſſeruit Martinellus in ſua Roma Sacra. Inter tot non abs re connumerari poteſt Sancta Agatha in Subura; ſed certitudo, & evidentia obiicientur ex Anaſtaſio in longa donariorum ſerie, quæ Leo III. Urbis Eccleſiis fecit; ſæpenumerò enim poſuit Diaconiam Sanctæ Agathæ abſque ulla denominatione, ſæpe Monaſterium, vel Baſilicam Sanctæ Agathæ ſuper Subur am; ac ſæpiùs alia Oratoria, vel Eccleſias Sanctæ Agathæ videlicet: *Et in Diaconia S. Agathæ fecit veſtem de Stauraci cum periclyſi de Plattin.* & infra; *& in Monaſterio Sanctæ Agathæ Martyris ſuper Suburam fecit veſtem rubeam alythiram*: inferiùs: *Immò & in Diaconia Sanctæ Agathæ fecit coronam ex argento*; Et paulò inferiùs; *& in Monaſterio Sanctæ Agathæ Martyris, quod ponitur ſuper Suburam ſimiliter fecit &c.* deinde *& in Oratorio Sanctæ Agathæ, quod ponitur in Monaſterio apud Africi Caniſtrum &c.* & penè immediatè: *ſimulque & in Oratorio Sanctæ Agathæ, quod ponitur in Monaſterio Templi fecit Caniſtrum ſimiliter*: & infra: *Immò & ſarta tecta Baſilicæ B. Agathæ Martyris ſitæ ſupra Suburam, quæ præ nimia vetuſtate jam emarcuerant*, inferiùs: *Porrò in Diaconia S. Agathæ Martyris fecit ipſe Sanctiſſimus Pontifex Veſtem &c.* Et tamen in Anaſtaſio Diaconiarum, Titulorum, Monaſteriorum, Oratoriorum, aliorumque ædificiorum nomina diſtincta obſervantur. Et quod Monaſteriū extitit, eodem tempore Diaconia eſſe non potuit, quoniam Monachi non poterant exercere munus, quod proprium ſeptem Diaconorum erat, & ſi in veteri Eccleſia Diaconiſſarum Monaſteria extiterunt: Hę ab Aurelianenſi Concil. II. an. 533. celebrato: videlicet 263. Annos ante Leonem III. à Latina Eccleſia interdicta fuere. Hinc abſque dubio pronunciandum eſt, Diaconiam S. Agathæ in Quirinali diverſiſſimam eſſe à Monaſterio S. Agathæ in Subura.

Ac ad demonſtrandum veriſimilitudinis argumentum idem S. Gregorius in præallegato lib. 3. Dialogorum cap. 30. narrat ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ Agathæ dedicationem, introductis in eam Reliquiis SS. Agathæ, & Sebaſtiani. Et ferè anno ante in Epiſt. 19. lib. 2. Indictione 11. ſcripta ad Petrum Subdiaconum Campaniæ, ſe velle dedicare Eccleſiam ab Arianis occupatam, ac in ea S. Severini Reliquias deponere ait, ideo eaſdem Romam mittere. *Quia igitur* (inquit) *Eccleſiam poſitam juxta domum Merulanam Regione tertiâ, quam ſuperſtitio Ariana diû detinuit, in honorem Sancti Severini cupimus conſecrare; experientia tua Reliquias B. Severini ſummoperè debita cum veneratione tranſmittat &c.* De cujus Eccleſiæ in Sancti Severini honorem factâ dedicatione non conſtat, ac ferè eodem tempore ipſum Pontificem duas conſecraſſe Arianorum Eccleſias non apparet, idque abſque audaciæ nota affirmari nequit.

quit. Imò hujus Eccleſiæ S. Agathæ conſecratio, tanquam ſingulare Sancti Gregorii opus narratur ab Anaſtaſio. A veritate igitur alienum non eſt, quòd eadem Eccleſia, quæ in Sancti Severini honorem conſecranda erat, ſupervenientibus aliorum ſanctorum venerabilioribus reliquiis, vel ex alia cauſa in S. Agathæ honorem dedicata fuerit. Quæ Eccleſia ſita erat juxta Domum Merulanam, ideſt propè Eccleſiam Sancti Matthæi, jam in Merulana appellatam; jure denominari potuit ſuper Suburam, ut meliùs infra ipſe Nardinus demonſtraturum ſe pollicetur.

Magnę huic ambiguitati (idem ſequitur) dediſſe anſam creditur vetus Muſivum opus, quod in ejuſdem Diaconiæ Sanctæ Agathæ Tribuna viſebatur, teſte Baronio in Annotationibus Martyrologii ad 5. diem Februarii FL. RICIMER. V. I. MAGISTER VTRIVSQ. MILITIÆ PATRICIVS ET EX CONS. ORD. PRO VOTO SVO ADORNAVIT.

Quòd Ricimerus Arianus fuerit, non conſtat; Sidonius in Panegyrico ad Anthemium Suevum dicit: at Suevia unà cum aliis Occidentalibus Provinciis Valentiniano, & Gratiano Catholicis Imperatoribus ſubdita erat, ideo tanquam Catholicæ illo tempore reputandæ ſunt. Exercituum Dux ſub nonnullis Imperatoribus Ricimerus fuit in Ætii locum Valentiniani III. tempore ſubrogatus: Anthemii Imperâtoris gener evaſit, & magnam Italiæ partem gubernavit; quare tanquam Catholicus probabiliùs reputandus, licèt barbaris moribus indutus: ex hoc enim non deducitur, quòd Eccleſia ab ipſo ornata Arianorum fuerit. Sed conceſſo quod talis fuerit, ſola non fuit, neque fuit Eccleſia S. Agathæ ſupra Suburam. Jam vidimus (idem ait) tempore Herulorum & tunc verè Arianiſmo Roma inquinata fuit) quatuor ſolũmodo in Regionibus ex ſeptem extitiſſe Catholicos, nempe in prima, tertia, ſexta, & ſeptima: reliquæ verò, præſertim quarta, ubi hæc erat Diaconia, ab Arianis occupabatur; & illa Eccleſia, quam Sanctus Gregorius ab Arrianorum labe expurgavit, hìc non fuit, ſed iuxta domum Merulanam. Dato etiam, quod Ricemerus Arianus fuerit, Sanctus Gregorius in illa expurganda Eccleſia, ad hoc, ut omnis antiqua memoria aboleretur, & quaſi Eccleſia renouaretur, Muſivis ornavit operibus, picturiſque. Ita ſe habet epiſtola Hadriani Papæ ad Carolum Magnum de Imaginibus. Ea tempeſtate Muſivis operibus ſacrarum ædium tribunas ornare mos erat, ſi igitur addit Nardinus) in S. Agathæ Diaconia noſtri Patres muſivum opus viderunt, inſcriptionemque S. Gregorio antiquiorem, ipſa non fuit S. Agathæ in Subura ab eodem renovata; nam procul à veritate eſt, tantum Pontificem in expurganda ab Ariana labe Eccleſia, in decentiori, honorabiliorique loco hæreticam relinquere voluiſſe memoriam, cum ipſe Pontifex deſtructor, & everſor profanorum Centilitatis monimentorũ aſſeri poſſit, ac per conſequens etiam hæreticæ pravitatis.

Orpheum à Martiali deſcriptum in recenti Subura ob ſolam nominis congruentiam Sanctæ Luciæ in Orpheo, ſanctique Laurentii in fonte, valde inſirma eſt conjectura. Præ-

ter S. Luciæ *in Orphea* legitur etiam in *Orthea*, neque à Donato negatur nomen Mœnianum, ſive Pergula ad inſtar Septizonii non procul diſtantis, ac etiam quod fuerit *in Orphea*, & id intelligendum ſit de aliqua Orphei ſtatua, quod abs re minimè eſt; talem enim ſtatuam fuiſſe perhibetur in Thermis Trajani, aut Titi, quæ hùc protendebantur. Innumeri tandem Romæ undique fontes erant, ut ab illo S. Laurentii in fonte nomen ſortiretur; alienum eſt à veritate: Veluti ex uno fonte Domus Stellæ Poetæ, poſitæ in Subura, Martialis narrat lib. 12. Epigram. 3.

*Vel ſi malueris prima gradiere Subura,*
*Atria ſunt illic Conſulis alta mei.*
*Laurigeros habitat facundus Stella Penates*
*Clarus Hyantheæ Stella ſititor aquæ.*
*Fons ibi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit,*
*Unde novem Dominas ſæpe bibiſſe ferunt.*

Alium non abſimilem aſſeri poteſt fuiſſe in Plinii domo juxta Suburam in Eſquiliis cum Orphei ſtatua, nec ob tam leves cauſas Suburæ ſitus, & magnitudo commutanda ſunt. Sed, ut veritas eluceſcat. *In fonte* S. Laurentii ædes nominata fuit, ob venerabilem fontem, qui adhuc perennat, in quo idem Sanctus, Lucilli, ſociorumque crimina cœleſti lavacro expiavit. Parum mea intereſt (exclamat Nardinus) in deſcriptione Regionum, quæ in utriuſque Imperii notitia legitur, Suburam in quarta Regione poſitam eſſe, cum mihi ſat ſit, Victorem, & Rufum diſſentiſſe, ac etiam Jovis ſtatoris Templum contra iſtorum aſſertionem extat; deinde ſic ſequitur.

Antiquam Suburam juxta Panvinivm fuiſſe inter Palatinum, & Cœlium Colles in illa intercapedine ab Eccleſia S. Gregorii uſque ad Conſtantini Arcum, dicendum eſt; ſed alitèr ipſe Nardinus exiſtimat, Varronis, & Feſti dicta examinans. *A Pago potiùs Sucuſano* (inquit Varro) *dictam puto Sucuſam; nunc ſcribitur tertiâ literâ B. non C. Pagus Sucuſanus, quod ſuccurrit Carinis*; ac Feſtus *Suburanam Tribum antea Sucuſanam per C. appellabant, ex nomine Regionis, nam partem imam illam quoque credunt fuiſſe dictam. Verrius autem ait, ſe miratum eſſe, cur non à nomine Pagi Sucuſani, in quo milites exercebantur*, & infra Verrius in alio libro. *Suburam à Pago Sucuſano dictam ait. Hoc verò maximè probat eorum auctoritate, qui ajunt; ita appellatam, & Regionem Urbis, & Tribum à ſtatiuo præſidio, quod ſolitum ſit ſuccurrere Eſquiliis, infeſtantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque eſſe, quod ea Tribus per C. literam non per B. ſcribitur*: Addit ad hæc: Vera aut adulterina ſit derivatio, credidiſſe ſufficiat Succuſanum Pagũ, à quo Subura nomen ſumpſiſſe fertur, eidem fuiſſe conjunctum. Exinde arguitur, eundem Pagum in Eſquiliis extitiſſe, ubi præſidium contra Gabinos, Urbem infeſtantes eaſdem Eſquilias ſuccurrere conſuevit, antequam tamen à Servio in Urbe includerentur; Poſtea verò non amplius Pagus, ſed Vicus, ac ob id inter Eſquilinæ Regionis Vicos connumeratur à Ruſo: Sed iſta Regio nunquam Conſtan-

ſtantini Arcum, neque Amphitheatrum, neque ædem Sancti Clementis attigit; cum ab Iſide, & Serapide pars illa occuparetur, imò neque ad Sanctum Petrum, & Marcellinum, quia illuc uſque, aut paulò ultra Iſidis, & Serapidis templa progrediebantur. Vicus ergo Succuſanus, qui in Eſquilina erat inter Sanctum Petrum,& Marcellinum, ac Portam Prænestinam, nunc Majorem, per illam viam, quæ Labicana fuiſſe creditur, ac per conſequens Subura, quæ exinde nomen deſumpſit, cùm Vico Succuſano conjuncta eſſet: quare inter Sanctum Petrum & Marcellinum, ac Amphitheatrum Subura extitit; ex præcitatis Feſti verbis argumentum corroboratur. *Stativo præſidio, quod ſolitum eſt ſuccurrere Eſquiliis infeſtantibus eam partem Urbis Gabinis*. Præſidium iſtius Pagi in Eſquiliarum contra Gabinos defenſionem ineptè inter Palatinum,& Cœlium ponitur, cum longè ab Eſquiliis, & Gabinis remotiſſimum extitiſſet; & è contra inter Sanctum Petrum, & Marcellinum, ac Prænestinam Portam locus defenſioni aptus fuit. Hinc addi poteſt Ivuenalis, qui differens de Tyberino piſce, ſic ait Satyr. 5. verſ. 105.

*Aut glacie aſperſus maculis Tyberinus & ipſe*
*Ternula riparum pinguis torrente Cloaca,*
*Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.*

Piſcibus facilis patebat adytus ad Cloacam maximam, ac in præcipua brachia, quæ in eam ſe exonerabant, quâ faciliùs poterant ſubtus permeare Suburam inter Cœlium, & Eſquilias; at quòd inter Palatinum, & Cœlium permeaſſent, conjectura non eſt, aut ſaltem facilitas, quæ id ſuadeat; ſed Plinii Secundi domus, quæ ipſomet teſte in epiſtola ultima lib. 3. in Eſquiliis erat: *Alloquitur Muſam, ut domum meam in Eſquiliis quærat*, ac, juxtà ſupracitati Martialis aſſertionem ibi erat annexa Subura, penitùs locum inter Cœlium, & Palatinum ſecludit, quò Eſquilias nunquam perveniſſe patet.

Nec momenti eſt, Varronem ſcripſiſſe Suburam, *quæ ſub muro terreo Carinarum, quia cum Cœlio conjunctæ Carinæ, ſed inter eas, quæ locum Cerolienſem appellatum apparet*: & inferius: *Cerolienſis à Carianarum junctu dictus Carinæ*. Carinarum nomen etiam Cerolienſi inſerviebat; qui erat ubi nunc eſt Titi Amphitheatrum, ad quod Suburæ caput pertingens,Succuſanus Pagus per eam uſque ad Carinas tranſire potuit; ſalvo tamen,antiquiſſimarum Carinarum partem non fuiſſe Suburam, antequam tale ſibi nomen aſciſceret.

Tandem Panvinius deceptus Junii dictis à Varrone relatis, nempe: *Subura ab eo quòd fuerit ſub antiqua Urbe, cui teſtimonium poteſt eſſe, quòd ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur*, ſub Palatino Romuli veram Civitatem ſitam fuiſſe credidit, ſed antiquâ Urbe, ſub qua Subura erat, & Succuſanus Pagus in Eſquiliarum defenſionem,antequam à Servio Tullio Romę includerentur,jam Cœlium ambiebat, ad quem aut à Romulo, aut à Servio jamdiù antea protenſa fuerat; ideo Cœlius,ut Eſquiliæ à Gabinis incurſionibus agitatus non erat; ex hoc murus terreus potius ſupra Cœlium, quàm ſupra Palatinum fuit. Succuſanus Vicus

cus Pagus denominari non potuiſſet, ſi inter duos non fuiſſet Montes, muris incluſos, ut Romuli, ac Hoſtilii temporibus; quia in Romæ centro extitiſſet, dum Eſquiliæ incurſionibus obnoxiæ alio Pago, aliove, quod eas tueretur, indigebant auxilio.

Nec infirmum argumentum, addit idem Nardinus, mihi videtur eſſe Plutarchi verba in Problemat. ubi de Equi capite Marti ſacrato differit. *De capite verò inter ſe decertant alii de Sacra via deſcendentes, alii de Subura adverſus eos impetum facientes*; cum oporteret, utraſque acies, uti ad invicem ſibi obviam euntes, ac inter ſe confligentes, ex oppoſitis diametraliter viis diſcedere.

Idem copiosè à Feſto narratur: *October* (inquit) *Equus appellatur, qui in Campo Martio menſe Octobri immolatur quotannis Marti bigarum Victricum dexterior, de cujus Capite non levis contentio ſolebat eſſe inter Suburanenſes, & Sacravienſes, ut hi in Regiæ pariete, illi ad Turrim Mamiliam id figerent*. Ex quibus deducitur, quòd ſicuti Regia, in cujus muro equi caput à Sacravienſibus figebatur in Via Sacra erat, ita etiam Turris Mamilia in Subura fuit. Si verò certius indagetur argumentum: in Baronio ad annum 795. nu. 29. legitur Eccleſia SS. Petri, & Marcellini *de Subura*, ac in libro Anniverſariorũ Sanctiſſimi Salvatoris Lateranenſis Martinellus refert, erratè legi *de Secura*. Et dicendum erit, alienam eſſe à S. Petro, & Marcellino, quæ adhuc extat juxtà S. Joannem Lateranen.? Sed quo ſpeciali jndicio, & quare? Solummodò ad ſuam tuendam ſententiam Eccleſiam S. Agathæ in Monte. *Balnea Pauli* vulgò *Magnanapoli*, ab antiqua S. Agathæ in Subura non diſcrepare ſubdit, licèt nec ſit in recenti Subura, ac ab Anaſtaſio diverſa exprimatur.

Demum, quòd una inclyta vetus regio locum permutaverit, ac non ſine magno intervallo, non erit difficilè judicatu illi, qui tot Barbarorum incurſiones, quas Urbs paſſa eſt, benè perpenderit, ac ſignanter, facillimèque exiſtimabit Gregorii VII. tempore, quando Roberti Guiſcardi exercitus Romam ingreſſus in Pontificis defenſionem, ac quicquid inter Capitolium, & Lateranum habitabile erat evertit, Suburæque Cultores in alteram Eſquiliarum partem ſe recepiſſe, ibique inhabitaſſe. Quare, cum Regio hæc in Suburanorum incolarum converſa eſſet, hinc fortè everſæ Suburæ nomen reviviſcere cæpit eo modo, quo Burgi Regio dicta, adhuc denominatur *Saxia*, quia Saxones eam inhabitarunt: antiquus Vicus Tuſcus à Tuſciæ populis nomen traxit, qui è Cœlio Monte, quem colebant, in illam Vallem translati fuere.

In Subura Luparia, ac Lupanaria fuere; quod præter Rufi, & Victoris, qui hìc ea locant, ex innumeris Poëtarum auctoritatibus probatur Horatii præcipuè ode 5. Epod. cum antiquo Scholiaſte, Propertii eleg. 7. lib. 4. Martialis diverſis in locis, & aliorum.

Ob Populi frequentiam, locique amænitatem inter præcipuas Urbis Regiones Subura connumerabatur. Quare Juvenal. Sat. 3. in Umbricii Sat. perſonam cecinit.

*Ego vel Prochytam præpono Suburæ.*
*Quare tanquam amœnum ambulacrum in eam*
*Meretricantes Mulieres confluebant.*

Eſcu-

Eſculentarium mercium frequens inibi emporium erat. Martialis Epig. 31. lib. 7.

*Raucæ Cortis aves, & ova matrum;*
*Et flavas medio vapore chias.*
*Et fœtum querulæ rudem capellæ,*
*Nec jam frigoribus pares olivas:*
*Et canum gelidis holus pruinis*
*De noſtro tibi rure miſſa credis?*
*O quam, Regule, diligenter erras!*
*Nil noſtri, niſi me ferunt agelli.*
*Quidquid villicus Umber aut Colonus,*
*Aut Tuſci tibi, Tuſculive mittunt,*
*Aut rus marmore tertio notatum,*
*Id totâ mihi naſcitur Suburâ.*

Et Epig. 94. lib. 10.

*Hæc igitur, mediâ quæ ſunt mihi nata Suburâ*
*Mittimus, Autumni cærea poma mei.*

Ibique etiam horâ Veſpertina furtivæ res vendebantur, ut ſcribunt Acro, & Porphyrius Horatii Scholiaſtes ad Satyram 7. lib. 1. Ibidemque flagellorum Officina, ac Tonſtricis, ut teſtatur idem Martialis Epigr. 17. lib. 2.

*Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis,*
*Cruenta pendent qua flagella Tortorum.*

Suetonius Cap. 46. Cœſarem Suburam coluiſſe narrat: *Habitavit primò in Subura modicis ædibus.*

Omnis planities igitur inter Cœliũ, & Eſquilias à S. Petro, & Marcellino uſque ad Amphitheatrum Subura denominata fuit, ac in Regione ſecunda Cœlimontana extitit. Animadvertendum tamen eſt, fines ſuos prope Amphiteatrum in Iſidis, & Serapidis Regione fuiſſe. Huc uſque Nardinus. Audiſtis igitur quas unuſquiſque ex præcitatis Auctoribus rationes afferat pro ſua de Suburæ ſitu tuenda ſententia. Supereſt modò, ut pro ipſis conciliandis (ſi fieri poteſt) meas afferam conjecturas, quæ licèt auctoritatibus careant, fortaſsè apud indagandæ veritatis ſtudioſos locum invenient.

Concordes Auctores ſunt ex Varronis auctoritate, quòd Subura dicta fuerit, quia ſub muro terreo, ac cum Martinello per locum iſtum aliquando dictum fuiſſe ſummœnium, quod idem eſt, ni fallor, ac Suburbanum, unde Subura, quare Suburæ etymon non à Pago Succuſano, ſed à Suburbano corruptè contrà Varronis, & aliorum ſententiam deſumi exiſtimo. Sed hìc ſtatim audio contra me clamantes Varronem, & alios Scriptores antiquiſſimos, ideoque illis fides non eſt deneganda; ſed increpantis pace reſpondeo: Varronem anno Urbis conditæ 726. videlicet ante Chriſti adventum 25. obiiſſe, ac ſcripſiſſe de Hiſtoriis à ſuo tempore valdè remotis nempe de Quirinali, Viminali, & Eſquiliarum Collibus intra Urbem incluſarum à Servio Tullio, qui præceſſit Varronem anno circiter 575. quare non abs re eſt, ipſum Varronem in hujus nominis Etymologia erraſſe, quod concisè forſitan etiam tempore Servii dictum fuit loco *Suburbii, Suburæ*: Neque nos poſſumus præcisè aſſerere, qualiſnam fuerit Latina lingua, tranſactis jam bis mille, ac tercentis annis. Si Junii dictum Varrone antiquioris perpendatur, meam fovet conjecturam: ille enim *Subura* ait, *quòd fuerit ſub antiqua Urbe*. Hunc locum videtur declaraſſe Iſidorus de Originibus lib. 15: cap. 2. ubi: *Suburbana* (inquit) *ſunt circumjecta Civitatis*

*ædi-*

*ædificia*. Hanc meam conjucturam aliâ quoque ratione ſuffulcio.

Si Subura eſt locus Suburbanus, & ſub muro terreo Carinarum; indagandum nunc eſt, quo nam loco fuerit; quod ita explico: Antequam Romana Civitas in decorem, & vetuſtatem redacta fuiſſet, ſeptem aderant colles, prout adhuc ſunt, quorum nonnulli inter ſe adeò conjuncti erant, ut ab ipſis effecta Vallis valde anguſta eſſet, quare ad illam amplificandam, ac planitiem eodem tempore formandam, perneceſsè fuit collis crepidines reſecare, ſicque illa pars reſecti collis remanſit, veluti murus terreus; ſi collis erat ex duro lapide, ſubſtructione non indigebat; ſi verò ex terra: indigebat ſubſtructione, ſcilicet lateritii, vel lapidei muri pro ſuſtentanda terra; ut pluribus Urbis in locis obſervari poteſt, præſertim ubi nunc dicitur *Muro Torto*; ubi expreſsè viſitur murus iſte ad Montis crepidines ſitus,tam ad ipſum Montem, quàm ad Vallem complanandam conſtructus. Ex hac conjectura aliam deduco, nempè omnibus in locis, in quos Suburæ nomen cadere poteſt, hujuſcemodi muros terreos olim fuiſſe, poſtea verò lapideos, vel lateritios, ac ut ulteriùs veritas appareat, eos recenſendos exiſtimo. Si Suburæ initium, ſive caput conſtituamur penes Eccleſiam S. Hadriani in Foro nunc Boario, in ipſo principio ſiniſtrorſum erat murus terreus, qui Capitolium ſuſtentabat: deinde ſi ulteriùs procedamus per forum Nervæ nunc Arcum (*De Pantani*) & per viam Baccinam divertamus, ibi erat alter murus terreus, qui ſuſtentabat crepidinem Quirinalis collis; ſi ulteriùs progrediamur ad S. Mariam in Montibus, ac flectamus ad ſiniſtram, non procul ab hac via ſiniſtrorſum inveniemus Eccleſiam S. Agathæ ad ejuſdem Quirinalis radices, quæ pariter ſub muro terreo ſita eſt: ſi retrocedamus,& iterum progrediamur per viam rectam ante Eccleſiam S. Mariæ ad Montes in plateam Suburæ perveniemus: ſi ad ſiniſtram tendimus intramus in Vicum olim Lateritium non procul à S. Laurentio in Pane & Perna,in quo viſuntur alii muri terrei: & ſi denuò retrocedamus ad plateam Suburæ, flectamuſque ad ſiniſtram,& aſcendamus per clivum novæ viæ denominatæ *Gratioſa*, quæ anno præterito 1684. reſerata fuit, ad ejus viæ medium ad dexteram invenitur alius vicus, qui ducit ad Monialium Monaſterium,vul. gò *le Torchine* noviter conſtructum. Prope igitur dicti Vici ingreſsũ in angulo inchoata nunc eſt domus D. DominiciCiampini mei germani,ubi dum ipſius fabricę effodiebantur fundamenta, repertus fuit antiquiſſimus murus reticulati operis, in quo adſunt tres magnæ concamerationes, & fortaſsè aliæ plures inventæ eſſent, ſi ulteriùs effodiſſent. Omnes tamen terrâ repletæ erant, ac Theatri formam, & proſpectum præſeferebant; ſunt autem retro, ac ſupra Eccleſiam S.Laurentii in Fonte,olim in Vico Lateritio: iſtæ magnæ concamerationes muſivis operibus ornatæ erant, ut nonnullæ demonſtrabant reliquiæ, & ad ſuſtentandam collis à tergo imminentis terram inſerviebant. Ante concamerationem in medio poſitam quadratus lapis ex marmore Pario ad inſtar columnæ baſis inventus fuit aliquantiſper acuminatus, in cujus medio foramen erat, ex quo in altum aqua erumpebat,

prout

prout plumbeus aquæ ductus ibi repertus teſtabatur. Una ex ipſis concamerationibus non ſolùm ſimplici terrâ repleta, verùm etiam Urnarum fragmentis, ac nonnullis cadaveribus brachiis extenſis more Gentilium, & non in modum Crucis more Chriſtianorum, magniſque tegulis incluſa erat. Ante concamerationem ſub dio, ac propè fontem tria ſtatuarum fragmenta adinventa fuere, interque unum Mulierem Bacchantem repreſentabat. Poſt hæc adinventa, præcitatum conſideravi Epigramma 3. lib. 12. Martialis, ubi ad ſuum librum loquens ait:

*Jure tuo veneranda novi pete limina Templi,*
*Reddita Pierio ſunt ubi templa Choro.*
*Vel, ſi malueris, primâ gradiere Suburâ;*
*Atria ſunt illic Conſulis alta mei.*
*Laurigeros habitat facundus Stella Penates,*
*Clarus Hyantheæ Stella ſtitor aquæ.*
*Fons ibi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit,*
*Unde novem Dominas ſæpe bibiſſe ferunt.*

Ac aliud Epigramma, ſcilicet 20. lib. 10. in quo librum ſuum mittit ad Plinium, ſicque ait:

*Nec dictum ſatis, & parum ſeverum*
*Sed non ruſticulum nimis libellum*
*Facundo mea Plinio Thalia*
*J perfer: brevis eſt labor peractæ*
*Illic Orphea protinus videbis*
*Altum vincere tramitem Suburæ*
*Udi vertice lubricum Theatri*
*Miranteſque feras: avemque Regis*
*Raptumq; Phryga pertulit Tonanti.*
*Illic parva tui domus Pedonis*
*Cælata eſt Aquilæ minore penna.*

Ex quibus coniicio, iſtic fuiſſe Suburanam viam, & Stellæ Poetæ domum, in qua atria, & fortaſſe Orphei ſtatua erant, poſterioribuſque ſeculis auctum hoc ædificium Orphei domum appellatam fuiſſe; de qua mentio fit à Benedicto Canonico in ſuo Cæremoniarum libro manuſcripto, occaſione qua Proceſſionem narrat, quæ fiebat in die Purificationis è Laterano ad Sanctam Mariam Majorem, in qua aderat ſtatio, ſic inquiens: *Pontifex cum aliis dicit Pſalmos, & procedens diſcalceatus ante arcum Nervæ, intrat per Forum Trajani, & exiens arcum Aureæ in porticu abſidata aſcendit, per domum juxta Eudoſiam, & tranſiens per Silicem iuxta domum Orphei aſcendit per titulum Sanctæ Praxedis uſque ad S. Mariam &c.*

Idem Benedictus Canonicus alteram deſcribens Proceſſionem, quem fiebat in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſic proſequitur: *Deinde tranſeunt juxta domum Orphei propter Baſiliſcum, qui tunc temporis latitabat ibi in caverna &c.* quę duo Benedicti Canonici loca una cum Bacchantis ſtatua, ibidem reperta proprium Orphei locum à Martiale deſcriptum, nobis indicant: Nam, ſi conſideremus ipſius Bacchantis ſtatuam, unam ex illis mulieribus, quæ Orpheum decoriarunt, repræſentare dicemus: unde ſi ulteriùs terra effoderetur, fortaſſe aliæ Bacchantium ſtatuæ, prout etiam illa ipſius Orphei, invenirentur: Quare exiſtimãdum eſt, locum iſtum ab eiſdem ſtatuis Orphei nomen deſumpſiſſe: Sed hìc liceat ab inſtituto ſermone aliquãtiſper deflectere: Diximus ſupra in

Cærimoniali Benedicti Canonici legi: *juxta domum Orphei propter Basiliscum; qui tunc temporis latitabat ibi in caverna*; de quo vide Bibliothecarium in Leonis IV. Vita.

Hinc ego coniicio, in illis magnis concamerationibus, seù cavernis subterraneis, cadaveribus repletis, olim forsitan Basilicum latitasse; unde processiones cogebantur ab eadẽ via deflectere, & aliam tenere, scilicet iuxta Ecclesiam Sanctæ Luciæ in Silice, quæ etiam in Orphea dicebatur, ac huic loco proxima, sed unde discesserat, oratio revertatur.

Istis suppositis, etiam in eodem loco domus Orphei, murum terreum fuisse, coniici facilè potest. Concludendum propterea esse judico, omnia supra relata loca ab initio muros habuisse terreos, deinde lapideos reticulati operis, ut sæpè in diversis locis animadvertitur.

Quare, cum extra Urbem essent ædificia, meritò suburbia, & corrupto vocabulo, Subura denominata fuere.

Pro majori meæ coniecturæ robore perpendendum est, quòd, ut supra narravimus, in Subura olim Emporium fuisse, in quo omnis generis merces vendebantur. Et non valde distans ab Ecclesia Sanctæ Luciæ in Silice, sive Orphea, quæ caput Suburæ existimatur, nunc est alia Ecclesia S. Viti in Macello: quid autem vox hæc *Macellum* denotet, ostendit Fuluius *De Antiquitatibus Urbis* lib. 2. *Cum Varia*, inquit, *est de Macello hoc Etymologia: Quidem id dictum putant Macellum Libiæ P. Victor scribit Macellum Liviani in 6. Urbis Regione, nec desunt, qui velint à Macello, idest cæde Martyrum derivatum. Plura fuerunt in Urbe Macella, sed duo præcipua; Macellum magnum in Cœlio monte, & Macellum Liviani in Esquiliis, de quo nunc agitur. Macellum propriè locus est, ubi venalia omnia ad usum humanum contrahuntur. Plautus in Aulularia, Venio ad Macellum, inquit, rogito pisces, indicant caros, Agninam caram, Bubulam, Vitulinam, Cetum, Porcinam, cara omnia. Macellum verò à Macello quodam Viro dictum, qui in Urbe latrocinium exercebat, quô damnatô, Censores Aemilius, & Fulujus statuerunt, ut, domo ejus diruta, obsonia ibi venderentur; redactis in Fiscum bonis. Aliqui tradunt, quòd ibi fuerint hortus, quem Lacedemonii Macellum vocant, ab eo Macellum in foro.* Hæc Fuluius: quare ambigi nõ posse autumo, locum istum fuisse illum, in quo variæ res vendebantur, ut innuit supracitatus Martialis. Hucusque de Subura propè Esquilias diximus.

Nunc perpendamus aliam Suburam in Quirinali, ad Pilam Tiburtinam, quæ secundùm laudati Martinelli sententiã, erat ad Circum Floræ, ubi nunc magnificum, ac celebre Barberinorum Palatium: ibi etiam erant muri terrei cum substructionibus.

Retrocedamus ad Amphitheatrum Titi, & observemus Suburam Nardini, sitam ab Amphitheatro usque ad Ecclesiam SS. Petri, & Marcellini, & inveniemus etiam ibidem murum terreum cum substructionibus, qui sustentat collem Esquiliarum.

Hinc convertamus nos ad aliam Suburam Panvinii ad Arcum Constantini usque ad Septizonium, quod ante Ecclesiam Sancti Gregorii situm

erat,

erat, & videbimus etiam duos muros, quorum unus imperiale Palatium, alter verò Eccleſiam, & vineam SS. Joannis,& Pauli ſuſtentant.

Tandem ad Theatrũ Marcelli procedamus, prope quod eſt Forum Piſcarium, ubi finis Vici Tuſci, ac Janus quadrifons: ibi etiam eſt murus terreus Capitolii prope Plateam Montanaram. Quare in hunc locum rectè applicatur Martialis Epigramma de Tonſtrice, ac Juvenalis dictum de Piſcibus, qui Suburã per Cloacam ſubintrabant, quæ quidem cloaca per eandem Plateam nunc etiam (ni fallor) tranſit, ac ante Viridarium Conventûs S. Bartholomæi in Inſula non procul à cloaca maxima in Tyberim ingenti gurgite ſe exonerat. Iis allatis coniecturis, aliam pro coronide affero,& eſt, quòd Martialis in præcitato Epigrammate de Libro ſuo ad Stellam Poetam ait.

*Vel, ſi malueris, primâ gradiere Suburâ.*

Ubi notandũ,hanc vocẽ *primâ*, quæ licèt à Domitio Scholiaſte interpretetur pro prima parte Suburæ, attamen cenſeo intelligi debere, vel ſaltem poſſe, quòd plures eſſent Suburæ, ac illa denominaretur prima, quæ fortaſſe eo tempore antiquior erat. Si igitur ex his conjecturis plures fuiſſe Suburas admitttatur, nulla erit inter præcitatos Auctores diſcrepantia,atque lis.

Intactam tamen relinquere nolo aliam à Varrone, tanquam propriam deductam nominis Ethymologiam, nempe: *à Pago Sucuſano Sucuſam* ac ſuo tempore per Litteram B.non C. Pagum Sucuſanum ſcribi conſueviſſe, quia ſuccurrebat Carinis. Hìc Lectorem rogo, ut iſtum locum attentè perpendat.Si igitur lit.C.in B.fuit commutata; ergo loco *Sucuſæ* dicendum erat *Subuſæ*, ſed vox iſta nil denotat. Quare autumo Amanuenſis errorem codicibus manuſcriptis irrepſiſſe, tam in tertia, quàm in quinta literis,nempe in tertia,quæ erat B.ut ſcribit Varro,in quinta verò R.quibus literis ſic reſtitutis,reſultat vox *Subura*. Voluit enim(ni fallor)Varro ſuã proferre ſententiã,Suburã à Pago Suburano (videlicet Suburbano) dictã fuiſſe, in quo aderat militum prẹſidiũ ad ſuccurrendũ Carinis.

Verrius autem citatus à Feſto, qui floruit ſub Tiberio, deſumpſit à Varrone, ſed illius dicta conturbavit:nempe,quod Subura à Pago Succuſano dicta fuerit, ac ita etiam appellata Regio, & Tribus à ſtativo præſidio,quod ſolebat ſuccurrere Eſquiliis, infeſtantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque eſſe, quòd adhuc ea Tribus per literam C, non per B ſcriberetur. Perpendatur etiam iſtius aſſertio, qui, tanquam Grammaticus ſtatim Orthographiam corrigit, addens unam literam, nempe C; ac ſcribens Succuſam,ad cõfirmandam ſententiam ſuã, quòd vox *Suburæ* derivet à verbo *Succurrere*.

Quintilianus etiam lib.1. cap.7. de hac eadem voce ſic ſcribit: *Subura cum tribus literis* notatur, *C. tertiam oſtendit*. Quid verò denotare voluerit Quintilianus, Lector judicet; obſervet tamen, quòd ille,tanquam Gramaticus voci Subura addidit unum R contra Inſcriptiones antiquas marmoreas, à Martinello relatas, quibus demonſtrat,unica litera R Suburam ſcribendam eſſe, ut ſupra retulimus.

Paulus verò Diaconus, qui vixit nono ſeculo à Feſto, deſumpſiſſe videtur, dum ſcripſit: *Subura Regio Ro-*

*mæ à Pago Succuſano vocabulum traxit, quod ei vicinum fuit.*

Omia, etiam minima indicare volui, ſuam Lector ſententiam certiùs promere poſſit, quæ ſi opinioni meæ adhæreat, nempe, plures fuiſſe Suburas, lis abſoluta eſt, ac pax inter Auctores inita.

Modò ad ſecundum argumentum à Nardino allatum accedamus; cum ad primum, Suburæ ſitum concernēs, pleno calamo iam reſponderimus. Nardini igitur ſententia eſt: *Noſtram Eccleſiam illam minimè eſſe, cujus meminit D. Gregorius: plures enim in honorem hujus Sanctæ Eccleſias dedicatas fuiſſe, quæ ad præſens non extant, aut alio nomine inſignitæ ſunt.*

Sed antequam Nardini objectionibus reſponſum demus, audiamus ipsũ Gregorium ſic in cap. 30 Dialog. lib. 3. loquentem: *Sed neque hoc ſileam, quod ad ejuſdem Arianæ hæreſeos damnationem in hac quoque* Urbe *ante biennium Pietas ſuperna monſtravit: ex his quippè quæ narro, aliud populus agnovit, aliud autem Sacerdos, & Cuſtodes Eccleſiæ ſe audiſſe, & vidiſſe teſtatur. Arianorum Eccleſia in Regione* Urbis *hujus, quæ Subura dicitur, cum clauſa uſque ante biennium remanſiſſet, placuit, ut in Fide Catholica introductis illic Beati Sebaſtiani, & Sanctæ Agathæ martyrum Reliquiis, dedicari debuiſſet: quod factum eſt: Nam cum magna populi multitudine venientes, atque Omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Eccleſiam ingreſſi ſumus. Cumque in ea jam miſſarum ſolemnia celebrarentur, & præ ejuſdem loci anguſtia populi ſe turba comprimeret, quidam ex his, qui extra Sacrarium ſtabant, porcum ſubitò intra ſuos pedes hùc illucque diſcurrere ſenſerunt: quem dum unuſquiſque ſentiret, & juxta ſe ſtantibus judicaret, idem porcus Eccleſiæ januas petiit, & omnes, per quos tranſiit, in admirationem movit: ſed videri à nullo potuit, quamvis ſentiri potuiſſet*: Iterum ipsũ audiamus in Epiſt. 16. lib. 3. indict. 12. ita diſſerentem: *Locorum venerabilium cura nos admonet de eorum utilitate per omnia cogitare: Quia ergo Eccleſia S. Agathæ ſita in Subura, quæ ſpelunca fuit aliquando pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ Fidei culturam, Deo propitiante, reducta eſt: Ideo hujus auctoritatis tenore commotus, penſiones omnium domorum in hac* Urbe *conſtitutarum, quas prædictam Eccleſiam temporibus habuiſſe Gothorum conſtiterit, annis ſingulis congregare non deſinas, & quantum in ſartis tectis, vel luminaribus, aliaque reparatione ejuſdem Eccleſiæ neceſſarium fuerit, erogare modis omnibus ſtudebis. Quidquid verò exuberare potuerit, fideliter te rationibus Eccleſiaſticis inferre præcipimus.* Ex præcitatis igitur locis clariſſimè deducitur, S. Gregorium de Eccleſia Arianorum, ſcilicet Gothorum, ſita in Subura, in honorem S. Agathæ dicata, diſſerere: His præmiſſis reſpondeo, noſtram Eccleſiam in Regione Suburę eſſe (ſcilicet in antiqua Subura, non autem in hodierna, quia aliter ipſa ſe habet) ut ſupra probavimus. Quòd etiam Arianorum eſſet Eccleſia, ipſa Inſcriptio patefacit, cum Fl. Ricimerus, ut infra oſtendam, Natione Gothus, & per conſequens Arianus eſſet, ac Gothorum Natio tum Arianiſmo polluta eſſet, ut oſtendit Baronius ad an. 370. num. 105.

Quod eſſet Natione Gothus, ſic

eum

eum deſcribit Sidonius *In Panegyrico ad Anthemium*.

*In Regnum duo regna vocant : nam*
*patre Suevus,*
*A Genitrice Gethes : ſimul & remi-*
*niſcitur illud,*
*Quòd Tarteſſiacis avus hujus Uval-*
*lia terris*
*Vandalicas turmas, & junctli Mar-*
*tis Alanos*
*Stravit &c.*

Sidonius ſequutus eſt Sigonium *De Occidentali Imperio* ad ann. 454. ubi ſic : *In ejus locum ſubſtitutus eſt Ricimer Suevus, ut inquit Sidonius nam alii Vandalum prodiderunt, qui genus maternum ad Valliam Gothorum Regem proximum referebat.*

Cum ergo Ricimerus ex materna proſapia deſcenderit à Vallia Gothorum Rege, qui Arianus fuit : ergo & ipſe Ricimerus, uti talis reputandus eſt, eò magis, quòd diverſi id aſſerant ſcriptores : etſi Arianus eſſet, etiam ipſam S. Agathę Eccleſiam ab ipſo muſivis operibus decoratam, Arianorum templum fuiſſe haud eſt ambigendum, atque adeo etiam illud eſſe, de quo S. Gregorius differit, cùm ſit in Regione Suburæ, ut eſt demonſtratum :

Nec ſubſiſtit Nardini aſſertio: Nempe Ricimerum Arianum fuiſſe minimè apparere, Sidoniumque in Panegyrico ad Anthemium Suevum appellare, ac Sueviam unà cum aliis occidentalibus Provinciis Valentiniano, & Gratiano Catholicis Principibus ſubeſſe, quare ita Catholicum exiſtimandum eſſe. Hæc Nardini aſſertio, tanquam frivola reiicienda eſt, cum nihil probet, quoniam Sueviæ duæ ſunt ; & ex quanam Suevia Ricimerus fuerit Nardinus non aſſerit. Unà enim illa eſt, quæ magnam illius Regionis partem, per quam Suevus labitur fluvius ; continet, nimirùm Provincias Mechelburgiam, Pomerianam, & Marchiam. Altera verò Suevia eſt, Provincia ampla Germaniæ, Bavariæque contermina, deque iſta locutum fuiſſe Nardinum judico, at de prima ſuam duxiſſe originem Ricimerum exiſtimo, eamque Sueviam tunc temporis Arianam fuiſſe: ſcio, probandum hic ad nos ſpectare, Sueviam à Gothis fuiſſe inhabitatam ; ſed difficillima admodum hujuſmodi redditur probatio, cum de Gothis, quinam ipſi fuerint, inter Scriptores valdè diſceptetur, ut fusè demonſtrat Cluverius in ſua *Germania antiqua* lib. 3. cap. 34. Ideo calamum, in hoc dilucidando dubio ſuſpendo, cum à brevitatis ſcopo nimiùm diſcederem. Admiſſo etiam, quòd Suevia fuerit Catholica, non per hoc ſequitur, quòd fuerit libera, & immunis ab omni hæreſi, quoniam inter Catholicos aliquando nõnullos Hæreticos intermixtos fuiſſe probatione minimè indiget, cùm meridianâ luce clarius ſit. Quare concludo, non ob id, quòd Suevia fuerit Catholica, etiam Ricimerus Suevus eſſe debuit Catholicus, cum potuerit eſſe Arianus. Fatetur ipſe Nardinus Herulorum tempore in quatuor tantùm Regionibus ex ſeptem Catholicos fuiſſe, in reliquis verò tribus Arianos habitaſſe. Quæro etiam ; omnes iſti Ariani, qui Romam colebant, erantnè Romani, vel ex unica tantùm Natione ? Reſpondendum puto, non ſolùm Romanos, ſed etiam alios cæterarum Nationum ſimili Arianiſmi labe inquinatos fuiſſe, inter quos fuerit prædictus Ricimerus.

Ad

Ad tertium Nardini Argumentum, Diaconiam nempe, de qua eſt ſermo, diverſam eſſe à Monaſterio S. Agathæ in Subura, facilis eſt reſponſio; Nam tota argumenti vis conſiſtit in aſſerendo, Anaſtaſium pluribus in locis ſimpliciter Diaconię S. Agatę mentionem feciſſe; quando verò de Monaſterio ſub ejuſdem Sanctæ denominatione, ipſe Anaſtaſius loquitur, Suburæ vocem addit.

Inſuper laudatus Nardinus ſic ſuam proſequitur orationem: illam Eccleſiam, quæ Monaſterium erat, minimè potuiſſe eodem tempore Diaconiam eſſe: Quibus Nardini conjecturis ſic reſpondeo. Nihil officit, quòd, quando narratur Monaſterium Suburæ, denominatio addita reperiatur: quoniam hanc adjectionem Bibliothecarius appoſuit ad alterius Monaſterii diſtinctionem, in ejuſdem Sanctæ honorem dicati, quod dicebatur *apud Affrici*.

Quare, cum vicina eſſet Diaconia ſub ejuſdem Sanctæ nomine, ideo illa nullâ indigebat diſtinctione. Quo verò ad alteram conjecturam, nempe, quòd Diaconia erat diverſa à Monaſterio, etiam reſpondeo, nos cum eodem Nardino unanimes eſſe, idque comprobamus ex relatis R. P. Mabillon.in ſuis Analectis Tom. 4. p. 407. ubi Diaconiam, prope Monaſterium fuiſſe demonſtratur. Si igitur Monaſterium erat in Subura, ergo etiam & Diaconia in eadem Regione fuiſſe aſſeri poſſe exiſtimo ob illius vicinitatem.

Quartum Nardini Argumentum deſumptum eſt ex Epiſtola 19. lib. 2. Indict. 11. S. Gregorii, qui Petro Subdiacono Campaniæ ſic ſcribit: *Cor noſtrum pia Divinitatis inſpiratione compungitur, loca quondam execrandis erroribus deputata in Catholica Religionis reverentiam dedicare. Quia igitur Eccleſiam poſitam juxta domum Merulanam Regione tertiâ, quam ſuperſtitio diu Ariana detinuit, in honorem S. Severini cupimus conſecrare, experientia tua Reliquias B. Severini ſummoperè debita cum veneratione tranſmittat: quatenus quæ noſtris animis perficienda decrevimus, implere Omnipotentis gratiâ ſuffragante poſſimus.* Ex hac epiſtola, ut ſupra narravimus, Nardinus deducit, nullam extare memoriam conſecrationis hujus Eccleſiæ S. Severini, ac abſque audaciæ nota aſſeri minimè poſſe, S. Gregorium duas Eccleſias conſecraſſe, unam S. Severino, alteram S. Agathæ. Sed quàm frivolum hoc argumentum ſit, nemo non videt.

Dixit enim Nardinus, tres ex Urbis Regionibus Arianiſmo coinquinatas fuiſſe, & vult quòd unica tantùm Eccleſia ab Arianorum labe expurgata fuerit; quomodo hoc veriſimile ſit quiſque dijudicet; ego autem puto, diverſas fuiſſe in ipſius Regionibus Eccleſias ſimili arianâ labe coinquinatas, ac à S. Gregorio, ut præfertur, expurgatas, ſed illarum memoriam periiſſe. In hac ferenda ſententia Nardinus oblitus eſt adagii: *deſtingue tempora, & concordabis Scripturas*. Supradicta enim epiſtola ad Petrum Subdiaconum Campaniæ ſcripta eſt Indict. XI. quæ incidit in annum 593. ac ipſius Epiſtolæ tenor reſpicit futurum, nempe quòd tranſmittat Reliquias, quare Eccleſiam conſecrare intendit; ſicque Eccleſiæ conſecratio, vel ipſo annos 593. vel ſequenti peracta fuit. Dialogorum autem liber à S. Gre-

S. Gregorio veriſimiliter compoſitus fuit eodem anno 593. ut ex ejus epiſtola 50. lib. 2. Indict. XI. quæ cadit in eundem annum : cujus epiſtolæ tenor eſt: *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de Miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere &c.* quando igitur D. Gregorius per hæc tempora Miracula ſcripſerit, animadvertendum eſt, ipſum in eodem lib. 3. *Dialog.* cap. 30. differere, quòd *ante biennium* Eccleſia in Subura fuerit ab Ariana hæreſi expurgata: ſic id accidiſſe colligitur anno 591. & ideo ante conſecrationem Eccleſiæ S. Severini; quod etiam aliâ conjecturâ firmatur, nam in lib. 3. Epiſtolarum Indict. XII. ſcilicet 594. Epiſt. 19. ſcribit idem Pontifex Leoni Acolyto, cui Eccleſiam S. Agathæ commendat: ex cujus Epiſtolæ lectione deducitur, jam antea ipſam Eccleſiam conſecratam fuiſſe.

In quinto Argumento Nardinus negat, Ricimerum Arianum fuiſſe. Cui argumento jam ſupra reſpondimus, quando de ſecundo differuimus.

Sextò aſſerit, tres Regiones integras fuiſſe Arianas. Hoc argumentum pugnat contra ſe ipſum, ut diximus in quarto.

Septimo colligit, quòd S. Gregorius in expurganda Arianorum Eccleſia, non reliquiſſet hæretici Ricimeri nomen in decentiori loco: ergo noſtra non fuit illa Gregorii. Cui argumento reſponderi poſſe autumo. Antiqui Pontifices, aliique Patres, non adeo proclives fuere in abolendis Gentilium memoriis, quando Catholicæ Fidei ipſæ non repugnabant. Nam uſque ad noſtra tempora vidimus in Baſilica Siciniana, de qua ſupra Cap. VII. & Cap. XXVII. differuimus, diverſas extitiſſe profanas figuras, quæ fidelium mentes à devotione avertebant: nihilominus cùm Eccleſiæ ornatum reſpicerent, illas reliquêre. Idem dicendum arbitror de nomine Ricimeri, relicto in muſivo opere, quod, cum non eſſet nomen anteſignani hæretici, ibi relictum fuerit, ne muſivum opus deturparetur. Aliam addi poſſe conjecturam judico, nempe Ricimeri nomen in Catholicorum exemplum relictum fuiſſe, ad eos docendos, qualiter ipſi ergaDivinum cultum Eccleſiarumque ornatum ſe exhibere deberēt, cùm & ipſi Hæretici hoc facerent.

Ad octavum diximus in Subura deſcribenda ſe diffundere; ſed de hac ſatis differuimus.

Nobis autem, ab enodando hoc diverſarum opinionum nodo tandem liberatis, ſupereſt, ut ad muſivi operis explicationem pro noſtro inſtituto deveniamus.

Hoc Muſivum opus, ſuâ vetuſtate conſumptum, ruit anno 1592. cujus memoria penitus periiſſet, niſi ſedula diligentia bo. mem. Franciſci Peſia Sacræ Rotæ Auditoris, illiuſque Decani, antiquorum monumentorum amantiſſimi occurriſſet, illudque antequam periret delineari juſſiſſet. Ejus exemplar nunc in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, à quo nos etiam aliud diagramma fieri curavimus in aliquo à prototypo immutatum, cùm in illo ſingulæ Apoſtolorum figuræ ſint ſeparatìm expreſſæ, ad altitudinem unius palmi Romani & ultra: Nos illas in unum colligi fecimus, ut veriſimiliter in ipſa Tribuna extabant, ut videre eſt in Tab. LXXVII. Quid figu-

guræ ipſæ repræſentent, ipſa epigraphe indicat; colores tantummodò deſcribere debemus, cum his impreſſoria ars deſtituatur.

Veſtium colores, ut in Vaticano exemplari cernuntur, ſic ſe habent. Chriſti tunica verſicolor eſt; nam ubi ex umbris obſcurior eſt, ceruleus, ubi verò clarior, albus color apparet. Stola crocei, Pallium coccinei, Monogramma itidem crocei, Sandaliorumque ligamina nigri coloris ſunt; Apoſtolorum veſtes in coloribus ab illa Chriſti minimè diſcrepant. Stolæ tamen cærulei, palliaque cinerici, monogrammata coccinei, ligamina ſandaliorum nigri coloris itidem ſunt. Hæc de coloribus. Modò ad alia animadverſione digna deſcendimus, ſcilicet ad figurarum explicationem. In medio eſt humani generis Salvator Chriſtus Dominus noſter globo inſidens, dexteramque pectori admotam, palmam verò expanſam habet, ac ſi benedicat. Siniſtrâ librum tenet. Pari modo eundem Redemptorem noſtrum expreſſum obſervo in Tribuna Muſivi operis coſtructa à Pelagio II. in Eccleſia S. Laurentii in Agro Verano,& in alia Tribuna Eccleſiæ S. Theodori, de quibus ſuô locô diſſeremus. In uno tantùm à præſenti differunt, nempè quòd loco libri haſtam cum parva Cruce in ſummitate tenet. Quid autem denotet globus ille, in quo Chriſtus ſedet, explicandum eſt. Priſci Chriſti fideles per globum illum orbem terrarum indicare voluerunt, Chriſtumque ſuper illum inſidentem, ſcilicet dominantem, necnon triumphantem, ut Crux demonſtrat, quæ trophæi nota dici poteſt, ob partam de diabolo victoriam.

Ad Chriſti lævam ſtat S. Petrus, in cujus figura duo notanda ſunt. Primum capillitium, tres in ordines, ſive circulos diſtinctum: quòd myſterii expers minimè eſt; nam aliam ſimilem Imaginem cum pari capillorum ordine Urbani V. tempore, ſcilicet circa annum 1362. depictam aſſervari in archivo Vaticanæ Baſilicæ narrat Turrigius in ſuis *Cryptis Vaticanis* pag. mihi 76. hocque hieroglyphicum explicat, nempe per hunc triplicem capillorum ordinem denotari triplex Regnum, de quo infra, occaſione qua de tribus clavibus diſſeremus, aliqua dicenda ſunt.

Secundum in D. Petri figura notandum eſt, quòd unicam tantùm clavem in manu tenet contra inveteratum morem appingendi cum duabus clavibus, ut demõſtravit Alemànus in ſuis *Lateranenſibus parietinis* Cap. IX. ubi plura affert numiſmata ſive ſigna, quorum duo tantùm adduco, cum reliqua apud præcitatum Auctorem videri poſſint.

Primum eſt Victoris II. qui floruit Anno 1054. Secundum vero Alexandri II. qui Victori Synchronus fuit. Eadem ſigna in eorundem Pontificum vitis à Ciaconio etiam relata ſunt: at, ne præcitatos Auctores adire cogaris ſub oculos pono in eadem Tabula LXXVI. figur. 1. & 3. ibi unica tantùm eſt clavis, ut in fig. 2. & tres claves ſimul annulo incluſas præ manibus S. Petrus habet. Huic Hieroglifico duo alia addere poſſem, quæ brevitatis gratiâ omitto, ac curioſum Lectorem ad laudatum Alemannum ablego.

Quid autem unica tantùm denotet clavis S. Ambroſii auctoritate ſuffultus

tus Petri fidem denotare autumo: quæ conjectura, Victoris II. numiſmatis allati inſcriptione, confirmari poteſt, nempe: *Tu pro me navem reliquiſti, ſuſcipe clavem*, ſcilicet: tanta fuit tua fides in relinquenda nave, unde accipe ſupremam auctoritatem, in fidelium animas: ut innuit Alexandri II. alterius numiſmatis etiam inſcriptio, ubi: *Quod nectes nectam, quod ſolves ipſe reſolvam*

Audiamus nunc ipſum Divum Ambroſium in fine ſermonis *De jejunio Eliæ* ſic loquentem: *Ecce video Cœlos apertos, & ſtantem Jeſum ad dexteram Dei. Ergo cui clauſi ſunt Cœli, agendum eſt, ut aperiantur illi, quatenus ſuper Cœlos Chriſtum poſſit aſpicere: Nam quamdiu clauſi ſunt homini, Chriſtum non poteſt videre regnantem. Quemadmodum autem clauſi cœli aperiendi ſunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe, niſi claves Petri Apoſtoli ſumpſerimus, quas Domino largiente ſuſcepit, ſicut ipſe dixit: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Immò rogemus Petrum, ut ipſe nobis tamquam bonus Janitor Regiæ Cœleſtis aperiat. Quæ autem iſta clavis ſit, diligentiùs requiramus. Clavem Petri, fidem eſſe dixerim Petri, per quam Cœlos apèruit, penetravit inferna ſecurus, maria calcavit intrepidus: Sancta enim Apoſtolicæ Fidei virtus eſt, ut cuncta illi elementa pareant, hoc eſt, non illæ Angelicæ claudantur januæ, non portæ prævaleant tartari, non aquarum fluenta ſubſidant. Iſta autem ipſa clavis quam fidem dicimus, videamus quemadmodum conſtet, & quemadmodum ſolida ſit: Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam: Duodecim enim Apoſtolorum Symbolo fides Sancta concepta eſt, velut periti Artifices in unum convenientes, clavem ſuo conſilio conflaverunt: Clavem enim quandam ipſum Symbolum dixerim, per quod reſerantur diaboli tenebræ, ut lux Chriſti adveniat: aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata, ut juſtitiæ fulgeant opera manifeſta. Igitur hæc clavis oſtendenda eſt fratribus noſtris, ut ipſi tanquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſerare, cœlos aperire conſueſcant.*

Altera verò unius clavis explicatio aſſignari poteſt: nempe denotari per illud Symbolum clavem illam David, de qua Divinitatis intimus haud par contemplator S. Joannes in *Apocalypſi* cap. 3. 7. loquitur ſic. *Qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Cujus Sacræ Scripturæ locum diverſorum Patrum, & Theologorum auctoritate ſic explanat Cornelius à Lapide. *Clavis David eſt reſeratio, & intelligentia Sacræ Scripturæ, & omnium Prophetarum, inter quos David genere, geſtis, regno, vaticinio eminuit, & ad vivum myſteria Chriſti expreſſit: ut qui Davidem intelligat, cæteros Prophetas facilè intelligere poſſit. Sic enim Luc. 2. 52. dixit Chriſtus Scribis: Tuliſti clavem ſcientiæ.* Hæc de unica clavi.

De duabus autem clavibus: alii propriùs, ac literali ſenſui Sacræ Scripturæ ſe accomodare volentes, nimirum ſupra citato loco Matthęi cap. 16. 19. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Duas appinxêre claves. Per unam enim dixerunt denotari

Scientiam, per alteram verò Poteſta-
tem claudendi, & aperiendi, ſcilicet
ligandi, & ſolvendi, ut tradit Magi-
ſter ſententiarum 3. diſt. 18. Quem
ſequutus eſt Theologorum Aquila
D. Aquinas *In 3. lib. Sentent. diſt.* 18.
*quæſt.* 1. *ubi De clavibus* ſic. *Claves*
*iſtæ ſunt non corporales, ſed ſpirituales, ſcilicet diſcernendi ſcientia, & potentia* judicandi, *ideſt, ligandi, & ſolvendi, qua dignos recipere, indignos debet excludere à Regno Eccleſiaſticus Judex. Qui ſicut habet* jus *ligandi, ita & ſolvendi.* Unde *Ambr. Dominus par jus ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit. Ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet.* Et infra. *Certum eſt quòd Eccleſiæ utrumque licet, hæreſis utrumque non habet. Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Rectè ergo Eccleſia hoc ſibi vendicat, quæ veros Sacerdotes habet. Hæreſis vendicare non poteſt, quæ veros Sacerdotes non habet.* Hæc breviter de duabus clavibus; modò de tribus explanatio.

Laudatus Alemannus in dicto cap. 10. tres claves ſic exponit: *Triplici ergo clave cùm ampliſſimam Petri poteſtatem majores adnotaverint, quid præter geminum illud ligandi, ſolvendique jus, ulterius innuerunt? ſcilicet ſenſerunt poteſtatem illam, quæ ad continendam in Officio Chriſtianorum Rempublicam Petro conceſſa eſt, jure ſuo longè latèque manare, extendique cum opus eſt, ad civilem quoque ſtatum temperandum, qui tum optimè temperatus, ordinatuſque putatur, cum ne latum quidem unguem à pietate diſcedit, qua una & uno animorum bono civile omne negotium metitur Chriſtiana Religio. Tertiæ igitur claſſis munus eſt illud, quod ex ligandi, atque ſolvendi jure conſequitur, nempe ſæcularia ad Spiritualia dirigendi auctoritas.* Earundem trium clavium alteram nobis ſuggerit explicationem eruditiſſimus Raynaudus in ſuo tractatu *De Corona Romani Pontificis, ac prænotione* 4. §. *Et juxta*, ubi fusè noſtras confirmat aſſertiones, nimirum: *Ad clavem primam pertinet reſeratio, ſive propoſitio veræ doctrinæ. Eam quippe propoſitionem Chriſtus ipſe Lucæ* 11. *expreſſit nomine clavis Scientiæ, cum dixit, ve vobis Phariſæi, qui accepiſtis clavem Scientiæ, ideſt quibus in veſtro ſupremo capite data eſt poteſtas directiva, ſeu legislativa, & conſequenter correctiva delinquentium. Ad clavem tertiam pertinent functiones aliæ in rectione adæquata incluſæ, quibus & diſpenſationes, & Sacramentorum adminiſtrationes, ac hujuſmodi alia continentur. Et juxta hoc, ut ſignificaretur omnes has inadæquatas poteſtates integraſſe unam plenam Sancti Petri poteſtatem in univerſam Eccleſiam, olim (ſeclusâ etiam clave inferorum, quam Eccleſiæ preter claves vitæ tribuit creditus Auguſtinus homil. 2. in Apocal. ea, inquam, clave ſeclusâ, quæ à Deo non eſt collata, ſed ab unoquoque ſibi perversè fabrefacta;) ternæ claves S. Petri appingi ſolebant. Paſſim tamen nonniſi binæ claves S. Petro appinguntur, & quidem una aurea, alia argentea, ut ex multis Eccleſiis Romanis, & portis variarum Italiæ Civitatum, ac inſignibus Pontificum notat Molanus lib. 3. de Imag. cap. 21. auream referens ad poteſtatem judiciariam in foro pœnitentiæ, argenteam verò ad poteſtatem vibrandi excommunicationem. Dixerim potiùs hoc clavium binario, exprimi-*

*duo*

*duo illa vulgata membra, clavium ſcientiæ, & potentiæ; comprehendo ſub potentia Juriſdictionem, & omnia ad eam paulò ante reducta.* Et infrà: *Eſt verò longè manifeſtiſſimum, quomodo claves adæquatè ſumptæ, ac ut comprehendentes functionem reſerandi infallibiliter myſteria Fidei, ſivè docendi Veritates revelatas, ſpecialiter ſolo Petro, ejuſque Succeſſoribus ſint commiſſæ.* Et paulò inferiùs: *Tametſi enim alibi, datus legitur cæteris quoque Apoſtolis, & ſequentibus illos Sacerdotibus, clavium uſus; non tamen in ea plenitudine, ac excellentia, qua datus eſt Petro; ita ſcilicet, ut claves extendantur ad omnes functiones ſupremæ poteſtatis fidelium rectricis, & nominatim ad poteſtatem ordinariã irretractabiliter tradendi doctrinam Fidei.* Hæc de clavibus. Modò ad alias earundem figurarum explanationem devenimus.

Inter alias figuras notãdus eſt S. Philippus, qui in capite tonſuram habet, quam primo aſpectu calvitiem eſſe putabam, ſed oſtensâ figurâ R.P. Joſepho Mariæ Tomaſio ſæpè citato, ipſe indicavit mihi Baronii locum ad ann. 394. num. 4. ubi Theodoſii Senioris numiſma refertur, cujus in una facie Bipſius Imperatoris Imago eſt, in altera verò (ut ipſe Baronius aſſerit) S. Joannes, & S. Philippus ambo Apoſtoli, ambo tonſurati cernuntur, qui tamen potiùs Arcadius & Honorius ipſius Theodoſii filii ab aliquibus eſſe putantur. Hujus numiſmatis exemplar, ne Baronium adire cogaris, habes hic:

Notandæ etiam ſunt in muſivis figuris literæ, ſive characteres, aut ſigna in veſtibus. At de his diſſeruimus ſupra in cap. XIV. *de Monogramm.* L. &c.

Pariter obſervatione digna videntur volumina, quæ omnes Apoſtoli præ manibus tenent. Sed de his etiam diſſeruimus in cap. XVI. *De Evangeliorum volumine &c.*

Pro hujus igitur antiquæ Eccleſiæ Diſſertationis corona vetuſtam admodum inſcriptionem, in ea olim extantem, à Martinello primùm, ac poſtea ab Aringhio in ſua *Roma Subterranea* lib. 1. cap. 26. relatam addere libet, in qua plura eruditus Lector obſervatione digna notare poterit; cujus inſcriptionis tenor ſic ſe habet.

IC REQVIESCIT IN PACE DOMNA BONVSA QVÆ VIXIT ANNOS XXXX. ET D. MENNA QVI VIXIT ANN. ..... E ABEAT ANATHEMA A IVDA, SI QVIS ALTERVM OMNE SVPER ME POSVER... ANATHEMA ABEAS. .... DA TRICENTI DECEM ET OCTO PATRIARCHÆ, QVI CANONES EXPOSVERVNT, ET DA SANCTA CHRISTI QVATTVOR EVGVANGELIA,

Li-

Licet aliqua notatu digna exponere omiſerim ad finem properaturus, nolo ſub ſilentio præterire Canon. II. Capitularis incerti anni à Baluzio in ſuis Capitularibus Reg. Francor. Tom. 1. pag. 153. relat. ubi pariter mortuum ſuper mortuum ponere interdicitur.

Accipe benigne Lector has meas lucubrationes, quas, ſi tibi gratas inveneris, non mihi, ſed omnipotenti Deo, Patrique Luminum, ac bonorum omnium Datori grates rependere debes, utpotè qui ſua infinita bonitate mentem meam illuminare, ac vitam, bonamque valetudinem, opeſq; in lucem edendas concedere dignatus eſt. Vale.

# FINIS.

# INDEX RERUM,

## ET VERBORUM OMNIUM

### IN HOC OPERE CONTENTORUM;

*Ubi numerus primus paginam deſignat; ſecundus columnam denotat, literæ verò A.B.C.D. quæ in impreſſione omiſſæ fuere, mente concipiendæ ſunt; exemplum habes in penultima pagina, ſcilicet 274. ubi quælibet litera undecim linearum ſpatium ſingularum columnarum in ſe continet.*


A

AEt Ω. Chriſti nomen ſignificant 303. 2. D.

A ☧ ω. Hieroglyphicum 225. 2. C. 226. 1. B.

Abbas Bartholomæus Piazza laudatur 183. 1. A.

Abel & Cain Deo munera primi obtulerunt 2. 1. A.

Abraham Deo Aram conſtruxit 2. 1. A. Ejuſdem hiſtoria, quum tres Angelos hoſpitio excepit 212. 2. A.

Abſida cum B. nè vel P. ſcribendum ſit 8. 2. A.

Abſida ideſt lucida 8. 2. A. idem ac Tribuna. Ibid. 1. D.

Acceptris caput vide Oſiris.

Achan lapidatio 221. 1. A.

Ædiculam in ſepulchris fuiſſe ex antiqua inſcriptione colligitur 172. 1. D.

Ædificia lateritia antiqua, Romæ adhuc extantia 69. 2. B.

Ædificiorum conſtructionis tempus ex cæmentis quomodò argui poſſit 65. 2. A. Eorundem diviſio apud Romanos 2. 2. D.

Egyptiorum pompæ 58. 1. D.

Eorundem Sepulchra 163. 2. C.

Eoſdem aquas adoraſſe Firmicus affirmat 60. 1. B.

Æternitas denotata per Phœnicem, ſivè Pavonem radiatum 115. 2. C.

Æthiopum Jacobitarum unio cum Eccleſia Romana 45. 2. A. Eorundem Legatorum in Urbem ingreſſus 45. 1. C.

S. Agathæ majoris Eccleſiæ Ravennæ deſcriptio 184. 2. A.

Agni in Arcu triumphali S. Mariæ Majoris figuris expreſſi 209. 1. D. 211. 1. C.

Agni Symbola Apoſtolorum 225 1. D.

Agnus Chriſtum Dominum repræſentans, quo tempore depingi cœperit 28. 2. B.

Agnus ſupra rupem caput habens diadematum Symbolum Chriſti 225. 1. D. Cruce inſignitus Symbolum Chriſti Crucifixi eſt 27. 1. B. Symbolum Chriſti 240. 2. D.

Albanus lapis in duritie differt à Gabino 5. 1. C.

Alexander Magnus diademate uſus eſt 111. 1. A.

Alexander VII. è nobili Chiſiorum familia laudatur 34. 2. C. Valdè ſolicitus de Urbis magnificentia 169. 1. A.

Altare Deo Moyſes erexit. 2. 1. A.

Altare Domino Noë ædificavit 2. 1. A.

# INDEX RERUM.


Altare incenſi 207. 1. B.
Altare majus in Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin 182. 1. D.
Altaria, Confeſſiones appellata 178. A. Memoriæ Martyrum 180. 1. B.
Ambo marmoreus in Eccleſia. 18. 1. C. 22. 2. D. duplex 23. 1. A.
Ambonis vocis origo 18. 1. D.
Ambroſius Spetia laudatur 84. 1. A.
Amerina Corona 108. 1. B.
Ammianus Marcellinus Auctor veridicus 245. 2. D.
ANACTACIC, ideſt, revocatio ad vitam. 38. 1. D.
Anaxenor Citharœdus 53. 1. D.
Andreas de Aquino olim Epiſcopus Tricaricenſis laudatur 235. 1. D.
Angeli Capite diademate redimiti. 212. 2. D. Cur baculos manu teneant. 125. 2. C.
Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanen laudatur 19. 2. B. 84. 1. B. 135. 1. C.
Animalia diverſa in Eccleſiarum Januis ad ornatum inſculpta. 35. 1. B. in Eccleſiis appingendi vetus mos 243. 2. D. & ſeqq. Evangeliſtas repreſentantia ubique ordo eorundem non obſervatur 193. 2. D.
Anna profetiſſa depicta in Arcu Sanctæ Mariæ Majoris 209. 2. C.
Annulli ferrei in januis Eccleſiarum pro ſuſpendendis velis 12. 2. A. 14. 1. C.
Annuntiatio B. M. V. expreſſa in Arcu S. Mariæ Majoris 207. 2. B. in altari Majori S. Mariæ in Coſmedin 183. 1. A.
Antinoja Corona 107. 2. D.
Antis quæ 6. 1. A.
Antonius Triumvir primus, qui Leones jugo ſubmiſerit 52. 2. B.
Anubin ideſt Cynocephalus apud Ægyptios cum capite canis deſignatus, apud Græcos idem ac Mercurius 59. 1. A. & ſeqq.
Apii Corona. 108. 1. B.
Apoſtoli nudato capite depicti, & cur 231. 2. D. 232. 1. A. ubique Sacras Synaxes celebrabant 138. 1. D.
Apoſtolorum XII. imagines depictæ in tholo Baptiſterii S. Joannis Ravennaten. 235. 2. D.
Aqua ictu virgę è petra erupit 219. 2. A.
Aquæductus Marciæ ex lapidibus quadratis cloaca maxima itidem 66. 1. C. ejuſdem aquæ origo, & ductus, ibid. 1. D.
Aquila in Epiſtilio Januæ Eccleſiæ Sancti Laurentii in agro Verano 29. 2. B. In Epiſtilio januæ Eccleſiæ SS. Joannis, & Pauli deſcriptio, & Symbolum 30. 1. D. 33. 2. D.
Arabicum opus quale 197. 1. C.
Aræ in Sepulchris 173. 1. C.
Archiſubdiaconus à Secretario Evangelium deferebat 128. 2. C.
Aramacea Corona 108. 2. A.
Arcus Aure ubi 265. 2. B.
Arcus muſivo opere ornatus in Baſilica S. Pauli. 229. 1. B.
in Arcu S. Mariæ Majoris Annuntiatio B. M. V. expreſſa 207. 2. B. Bethleem Urbs in eodem 211. 1. B.
Arcus Conſtantini conſtructus ex ruinis Arci Trajani 13. 2. B.
Arcus major, ſivè Triumphalis Baſilicæ Liberianæ 197. 2. D. Nervæ ubi 265. 2. B.
Arcus Triumphales Eccleſiarum adhuc extantes 199. 2. D.
*Arco de' Pantani* 264. 1. D.
Argiletum, ubi olim 254. 1. A.
Argonautarum cœna. 62. 1. B.
Argentariorum Baſilica 8. 1. C.
Arii Codices Conſtantini Magni juſſu combuſti 227. 2. A.
Artes bonæ Romæ olim deperditæ 13. 1. C.
Arundo Symbolum fluminis. 235. 2. A.
Aſcenſionis Domini figuræ explicatio 49. 2. A.
Aſſumptio B. Mariæ Virginis 50. 1. C.
Auctoris opinio de coronarum inventoribus 107. 1. A.
Ejuſdem conjectura de veſtibus literatis 100. 2. B. & ſeqq.
S. Auguſtinus Rethoricam docuit in Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin 12. 1. D. Ejuſdem locus illuſtratus uſque ad Canes Epiſcopales 202. 2. B.
Ex Auro primo ab India advecto deauratum fuit laquear S. Mariæ Majoris 197. 2. C.
Aurum Symbolum munditiei, ac lætitiæ 232. 2. A.

# INDEX RERUM.

## B


BAcchus & Janus idem eſt 107. 1. C. Coronarum inventor 107. 1. B.

Baculi 116. 2. D. Antiquitus deponebantur in lectione Evangelii 117. 2. B.

Baculorum Epiſcopalium forma 122. 1. D. Fractio 121. 1. D. Ligneorum antiquiſſimus uſus 121. 2. D. Eorundem uſus quando ceſſavit 119. 1. A. Uſus in quibus Eccleſiis remanſit 119. 1. C. Uſus apud Abbates 121. 1. 1. A. Uſus hodie apud diverſas perſonas 119. 2. D.

Baculus S. Auguſtini ubi ſervatur 124. 1. D. Gubernium ſignificat 124. 2. D. S. Hermagoræ ac S. Vedaſti 124. 1. D. S. Iſidori 124. 1. D. E' Sambuco 122. 1. A. B. S. Saturnini 122. 2. B. Paſtoralis quid denotet 122. 2. C. S. Petri ubi ſervatur 124. 1. C. Regius aureus 124. 2. B. C.

Baculus vnde dicatur 116. 1. D. Idem ac Virga paſtoralis, Pedum, Ferula, Capuita 121. 2. A.

Baptiſterii Lateranenſis deſcriptio 238. 1. D.

Baptiſmum per aſperſionem, & immerſionem 235. 1. C.

Barbam Antiochenſes & Syri averſabantur 249. 1. D. Prolixam Julius II. primus geſtavit 249. 2. A. Raſam antiqui Pontifices geſtavere, & cur 249. 1. D. Reſectam poſtmodum prolixam Clemens VII. geſtavit, & cur 249. 2. A.

*Barbetti* qui ſint 120. 2. A.

S. Barnabæ Apoſtoli corpus inventum cum Evangelio 132. 1 A.

Baſilicæ ætymon 7. 1. D. 9. 1. B. Baſilicæ ſeu Baſiliculę forma ſepulchrorũ 183 2. A. Argentariorum 8. 1. C. Liberiana 196. 2. C. S. Mariæ Majoris cur ita vocata 196. 2. C. S. Pauli in via oſtienſi conſtructa à Conſtantino Magno 228. 1. D.

Baſilica S. Pauli à Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio in nobiliorem formam reducta, ac à Salluſtio Urbis Præfecto abſoluta 228. 2. C. A Galla Placidia muſivo opere ornata, ibid. Eiuſdem Ichnographia 10. 1. C. Orthographia 11. 1. B.

Baſilica iuxta Macellum Liviæ 196. 1. B. S. Mariæ ad præſepe 196. 2. B.

Baſilica Siciniana eadem ac S. Andræ in Barbara 245. 2. A. Eſt in foro Eſquilino 245. 1. A. Ejuſdem Baſilicæ denominationes variæ 245. 2. B. Ichnographia & Orthographia 9. 1. C. Eadem ad Macellum Liviæ 242. 2. C. Ejuſdem conſtructio 243. 1. D. olim Dianæ templum, ibid. C. 2. Ejuſdem ornamentorum deſcriptio 52. 1. A. In eadem pugna 244. 2. C.

Baſilicæ Seſſorianæ Ichnographia, & Orthographia 9. 2. A.

Baſilicę cur à viris Romanis ædificatæ 7. 2. A. Romæ novemdecim fuere 8. 1. D. Earundem forma 7. 2. A. 8. 2. C. De Baſilicis qui ſcripſere 7. 1. C. In jis quid peragebatur 7. 2. B. 8. 1. A. In jiſdem porticus duplex 7. 2. D.

Baſilicæ vox quid denotet 183. 2. D.

Baſiliſcus olim latitabat in caverna iuxta domum Orphei 265. 2. C. 266. 1. A.

Belphegor, vide Phegor.

Benedictus Cardinalis Pamphilius laudatur 77. 2. A.

Beniamin tumulus 165. 2. D.

Bethleem & Hieruſalem cur in Muſivis expreſſæ 189. 1. C.

Bethleem Urbs depicta in opere muſivo Arcus S. Mariæ Majoris 211. 1. B.

Biretum ducale 114. 2. D. Eodem Præfectus Urbis inſignitus, ibid.

Boetii locus de literis P·T.Θ. 97. 1. A.


## C


CAdavera coronandi antiquus uſus 109. 2. C. Procerum purpureis velaminibus contigi conſueta 179. 2. B.

Gentiles extenſis brachiis ſepeliebant 265. 1. A.

Cæleſtius hæreticus abjuratus in Eccleſia S. Clementis 11. 2. A.

Cæmentorum ſpecies quo tempore immutatæ 70. 2. C.

Cæmeteria diebus natalitiis Sanctorum frequentari ſolita 150. 2. A. Diu habitare non permittitur 147. 1. C. In

jis missæ & Concilia celebrata 151. 1. B. Eorundem amplitudo & vastitas 141. 2. B. Descripta à S. Hieronymo 147. 2. B. Eorundem habitatio quomodo intelligendum 149. 1. C. & seqq.
Cæmeterii janua obruta, tempore quò multi Christiani intus aderant 150. 2. C.
Cæsar Pronti laudatur 184. 1. C.
Cæsar Vacchi Musivarius 88. 1. A.
de Caffarellis nobilis familia 66. 2. C.
Calices lignei 122. 1. D.
Calyptra quid? 45. 1. A.
Cambuta quid sit 121. 2. A.
Camillus Cardinalis de Maximis antiquitatum amantissimus 58. 1. B.
Cantharum quid sit 27. 2. A.
Canum capita cur expressa in Throni summitate 202. 2. B.
Capita canum in Thronis 202. 2. B.
Capisuccæ familiæ insignia 181. 2. C.
*Capo di Bove* 721. 2. A.
Capuita ideſt Baculus Pastoralis 121. 2. A.
Carmina in atrio Ecclesiæ S. Pauli 233. 1. C.
Carmina in libris Evangeliorum 137. 1. A.
Carolus Antonius à Puteo Eques laudatur 58. 1. C. 83. 1. B.
Carolus Cardinalis Barbarinus laudatur 82. 2. C.
Carolus Bartholomæus Piazza laudatur 12. 2. B.
Carolus Magnus Imperator primus qui Canonicus S. Petri creatus fuerit 134. 2. B.
Carpentum quid sit, 55. 1. D.
Caryatides in fabricis cur appositæ 52 1. A.
Cassandra cum circulo, sive diademate in capite 114. 1. C.
Catabarbara vox quid denotet 246. 2. B.
Catalogus persecutionum Christianorum 150. 1. C.
Cathedra Episcopalis in Ecclesiis 18. 1. A. Siue thronus expressus in fastigio Basilicæ Liberianæ 202. 1. B.
Cathecumenis exponebantur contenta in Evangeliis. 1301. C. Eorundem & pœnitentium stationes in Ecclesiis 18. 2. C
Cencius Cardinalis Camerarius construxit valvas æneas Oratorii S. Ioannis Lateranen. 239. 1. C.
Cereostata in pavimento posita 19. 1. A.
Cerimoniæ variæ antè lectionem Evangelii 129. 1. A.
Chaldæorum, & Maronitarum cum Ecclesia Romana unio 45. 2. C.
Characteres, scilicet literæ cur adinventæ 126. 2. C.
Chorus marmoreus in Ecclesia ubi 18. 1. C.
Christiani primitivæ Ecclesiæ variis coronis utebantur 109. 1. D.
Christi nomen significant literæ A. Ω 203. 2. D.
Christi Symbolum Agnus 240. 2. D.
Supra rupem caput habens diadematum 225. 1. D.
Crucifixi symbolum est Agnus Cruce insignitus 27. 1. B. Disputatio cum Doctoribus expressa in arcu triumphali S. Mariæ Majoris 210. 1. A. Tunica inconsutilis 103. 2. C. Infans in solio sedens cur sic expressus 208. 1. D.
Chori Ecclesiæ S. Clementis Orthographia 19. 1. C
Ciborium quid sit 19. 1. D. Ciborii vox quid denotet 180. 2. C.
Ciceronis caput detruncatum in Comitiis Marco Antonio exhibitum 55. 2. D. Ciceronis locus à Victorio emendatus, sed male, 53. 1. A.
Cinocæphalus 58. 2. D. Idem ac Anubin, ibid.
Circus, ideſt Diadema 115. 1. A.
Circus extra portam Capenam à quo constructus 70. 2. C.
Cifratæ vestes 99. 1. A.
Civitates in musivis operibus Bethleem, & Hierusalem demostrant 189. 1. C.
Clavatæ vestes 95. 2. D.
Claves duæ, insignia Romanorum Pontificum quid denotent 44. 1. D. Una, duæ, ac tres, Depictæ in manu S. Petri quid significent 272. 2. A. & seqq.
Clerici Romæ antiquitus educabantur in Patriarchio Lateranensi, aut Monasteriis Urbis 187. 1. D.
Cloaca maxima ubi 267 1. B.
Codex Evangeliorum pulcherrimus, & anti-

antiquiſſimus in Bibliotheca Cottoniana 132. 2. C. Antiquiſſimus Sacram Scripturam continens, in quo Regis Francorum imago depicta conſervatur Romæ in Cœnobio Monachorum Caſinenſium 135. 1. B. Virgilianus celeber in Vaticana Bibliotheca 127. 2. B.
Codex unde dictus 127. 2. A.
Codicis & voluminis differentia 128. 1. D.
Codices Arii combuſti juſſu Conſtantini Magni 227. 2. A. Neſtorius combuſti juſſu Theodoſii Imperatoris 227. 1. D.
Cœleſtini III. Papæ figuræ explicatio 239. 2. C.
Cœnacula in ſuperiori ædis parte antiquitus erant 138. 2. D.
Color violaceus lugubris nota eſt 120. 1. C. Viridis infauſtus 120. 1. D.
Columbæ quid denotent 191. 2. A. Symbolum Chriſtifidelium 225. 2. C.
Columbaria quæ erant 173. 2. D. Innumera in Via Appia 174. 1. D.
Columna ante Eccleſiam Sancti Pauli 25. 1. A. Pro cereo paſchali uſa 22. 2. D. 23. 2. D. 24. 2. D.
Columnæ in Baſilica S. Pauli deſumptæ ex Mole Hadriana 10. 2. C.
Columnæ Marci Aurelii Antonini 170. 1. A. Trajanæ 169. 2. C. Pro ſepulchris adhibitæ 175. 1. C.
Comes quis dicatur 54. 1. B.
Concilia Martyrum appellata ſepulchra 177. 2. C.
Confeſſio locus in Eccleſia, & quid denotet 19. 2. A.
Confeſſiones quandoque Altaria 178. 1. A. Quandoque Sepulchra Martyrum appellata 177. 2. C.
Conſtantinus Pogonatus miſit Evangelia aurea gemmiſque ornata ad S. Petrum 132. 1. B. Imperator vigiliam Paſchatis lucernæ ſplendore celebrabat 190. 1. B. Magnus erat Eccleſiæ liberalis 142. 1. A.
Conſtructiones ex lapidibus quadratis antiquiſſimæ 66. 1. C.
Conſulatus tempus Felicis, & Rufini ignoratur 80. 1. C.
Conſules Teodoſius Aug. & Romoridus V. C. 174. 2. D.
Conventicula ideſt Eccleſiarum ædificia 144. 2. C.
Coræ & Sociorum contra Moſen & Aaron ſeditio 220. 1. A.
Corniculi opus reticulatum ex marmore tiburtino 68. 2. B.
Coronæ cur inventæ 107. 2. A. Coronarum inventor 107. 1. C. Earundem uſu Antiquiſſimus ubi moris tempore, ibid.
Corona Amerina 108. 1. B. Antinoia 107. 2. D. Apii 108. 1. B. Aramacea 108. 2. A. Arundinea 61. 2. A. Caſtrenſis 109. 1. A. Convivalis 107. 2. B. ejuſdem Ethimon 106. 1. C. gemmat. 201. 2. D. graminea 109. 1. B. Hederacea 107. 2. C. Hypoglottis 107. 2. D. Hypothymis 108. 1. A. Imperatoris 111. 2. C. Laurea 108. 2. A. Laurea circa agnum 241. 1. A. Lotina 107. 2. D. mortuorum 109. 2. C. muralis 109. 1. A. Myrtea 107. 2. C. Navalis 109. 1. A. Obſidionalis 109. 1. B. Ovalis 109. 1. B. Querna 108. 2. D. Roſacea 107. 2. D. Roſtrata 109. 1. A. Triumphalis ibid. 1. B. Violacea 108. 2. A. Vallaris 109 1. A.
Corona turrita in capite Virginis quid denotet 27. 1. C.
Coronæ ſtellarum, Poetarum figmenta 112. 1. D. Quid denotent 232. 1. D.
Coronandi cadavera uſus antiquus, 109. 2. C. Ab antiquis Chriſtianis reprobatus 110. 1. A.
Coturnicum pluvia 219. 1. C.
Craticula in muſivo expreſſa quid 227. 1. D.
Cruſtumii rudera ubi 67. 3. A.
Crux duplex in diademate 114. 2. B.
Crux Signum Pontificię Majeſtatis 179. 2. D.
Curia Calabra ex lapidibus quadratis 66. 2. D.
Cuſtodiæ Sacrorum Lipſanorum 181. 1. B. Plurimæ Romæ, ibidem. In Eccleſia S. Maria in Campitelio 183. 2. A.

D

DEiparæ titulus Beatiſſimæ Virginis 205. 1. D.
Delongarii qui 120. 2. D.

Delubra quæ 5. 1. D.
Delubri exemplar 5. 2. B.
Deorum templum Alexandriæ extructum à Severo Imperatore 145. 1. B.
Deus eſt Circulus ſeu Sphæra intelligibilis, cujus centrum eſt ubique circumferentia nuſquam 115. 2. B.
Deuteronomii voluminis traditio Levitis facta à Moſe 221. 1. D.
Diaconia S. Agatha diverſa à Monaſterio 258. 2. B. 270. 1. C.
Diadema Aurelianus Imperator primus adhibuit 110. 1. D.
Diadema in capite Herodis 209. 1. C. 210. 2. D. Faſcia candida ſubtilis, capitisque vinculum 110. 2. D.
Diadema Chriſti cum duplici cruce 210. 1. A.
Diadema cur Chriſtiani imaginibus appoſuerint 115. 1. B. In capite Angelorum 212. 2. D. Inſigne Principis eſt 223. 1. C. Dicitur etiam ſphærula ſive circulus, aut nimbus 115. 1. A. Non ſolum hominibus, ſed etiam animalibus antiquitus dabatur 115. 2. C. Eo Alexander Magnus uſus eſt 111. 1. A. Ejuſdem ac Coronæ diſcrimen 111. 1. D. Ejuſdem capitibus ſtatuarum impoſiti Henrici Salmuth ſentẽtia impugnatur 115. 1. D.
Diademata ſive Circuli in Sanctorum capitibus cur poſita 113. 1. D. Etiam in capitibus Imperatorum, ibidem. Umbellæ non fuerunt adinventæ ad avium ſtercora ſubmovenda 115. 1. D. Jiſdem ornandi capita heroum mos per plura ſæcula duravit 114. 2. C.
Diis templa quibus in locis Sacrabant Romani 4. 1. B.
Didoron 68. 2. D.
Dipteros quid 6. 2. B.
Diſputatio Chriſti cum Doctoribus in Arcu Triumphali S. Mariæ Majoris expreſſa 210. 1. A.
Diviſio ædificiorum apud Romanos 2. 2. D.
Dominicum idem ac Eccleſia 144. 1. D.
Dominicus Cardinalis Pinellus inſtaurator Liberianæ Eccleſiæ 197. 2. C.
Domus Merulana 259. 1. B. Orationis ideſt Eccleſia 144. 2. D. Stellæ Poëtæ ubi 260. 1. B. Juxta Eudoſia ubi 265. 2. C.
Dormitio B. Mariæ Virginis 50. 2. B.
Dromus ideſt curſus 3. 2. B.
Drungarii qui 120. 2. D.
Ductus Aquæ Marciæ ex lapidibus quadratis 66. 1. C.

E

Eccleſiarum in tribus primis Eccleſiæ ſæculis per univerſum orbem à fidelibus extructarum Elenchus 154. 2. C.
Eccleſias non Cryptas, aut ſpeluncas habuiſſe priſcos fideles demonſtratur 141. 2. A. 142. 2. C. Eaſdem ſuper cæmeteriis fuiſſe oſtenditur 148. 1. C. & ſeq. Eaſdem alicubi ſemper fuiſſe indicatur 140. 2. C. Eaſdem fuiſſe tribus primis Eccleſiæ ſæculis contendunt Hæretici 138. 1. A. Eaſdem recuperandi facultas data Chriſtianis 146. 2. B.
Eccleſiæ erectæ in Æthiopia ſæculo 1. 156. 1. B. In Aſia ſæc. 1. 155. 1. D. In Gallia ſæc. 1. 159. 1. D. In Hiſpaniis ſæc. 1. 159. 2. C. Apud Humos ſæc. 1. 158. 1. C. In Perſide ſæc. 1. 159. 1. B. In Scytia ſæc. 1. 155. 2. B. Apud Tungros ſæc. 1. 160. 2. A.
Eccleſiæ erectæ Agenni ſæculo 1. 157. 1. A. Alexandriæ ſæc. 1. 157. 1. D. Altinæ ſæc. 1. 157. 2. A. Antiochiæ ſæc. 1. 155. 2. A. Arelati ſæc. 1. 160. 1. D. Aſyli Caſtri ſæc. 1. 157. 2. C. Averniæ ſæc. 157. 1. B. Biturgi ſæc. 1. 156. 2. B. 157. 2. A. Bononiæ ſæc. 3. 161. 1. B. Burdegaliæ ſæc. 1. 156. 2. D. Cæſarauguſtę ſęc. 1. 155. 2. C. Cangranori ſęc. 1. 156. 1. B. Carnoti ſæculo 1. 158. 1. D. Cataniæ ſęculo 1. 155. 2. D. Cherſonæ ſęculo 1. 160. 1. B. Coloniæ ſæculo 1. 157. 2. D. Compoſtellæ ſæculo 1. 155. 2. C. Crotonæ ſæculo 2. 160. 2. B. Diovanti ſæculo 1. 158. 1. C. Epheſi ſęc. 1. 160. 1. B. Fulginei ſęc. 2. 160. 2. D. ſęc. 3. 161. 1. A. Hieropoli ſæc. 1. 158. 1. A. Hieroſolyma prima fundata in domo S. Joannis Evangeliſtæ ſæc. 1. 155. 1. C. Interamnæ ſęc. 3. 161. 1. C. Lemovici ſęc. 1. 156. 1. D. 158. 1. D. Lucæ ſęc. 1. 156. 1. D. Mantuæ ſęc. 1. 157. 1. C. ſęc. 3. 161. 1. A. Mediolani ſæc. 1. 160. 1. C. ſæc. 2. ibid. 2. C. Metis ſæc. 1.

fæc. 1. 157. 2. B. Prope Moshaim ſec. 1. 157. 2. D. Mutinæ ſec. 2. 160. 2. B. Narbonæ fæc. 1. 159. 2. D. Natoober ſec. 1. 159. 1. C. Paduæ ſec. 1. 157. 1. D. 160. 1. C. Papiæ ſec. 1. 156. 2. A. 158. 2. B. Pariſiis ſec. 1. 159. 2. B. D. Peruſiæ ſec. 2. 160. 2. C. Puteoli ſec. 1. 158. 2. A. Ravennæ ſec 1. 160. 2. A. Remis ſec. 1. 158. 1. B. 2. D. Romæ ſec. 1. 156. 1. C. Senonæ ſec. 1. 158. 1. B. Soræ ſec. 3. 161. 1. C. Syracuſæ ſec. 3. 160. 2. D. Traviſi ſec. 1. 159. 2. A. Thebaidæ ſec. 1. 159. 1. C. Tholoſæ ſec. 1. 157. 1. B. Trajecti ſec. 1. 160. 1. D. Treveri fæc. 1. 157. 2. C. 158. 2. B. Vaſati ſec. 1. 155. 2. D.

Eccleſia S. Agathæ major Ravennæ 184. 2. A. Ejuſdem deſcriptio, ibid. Ejuſdem Sanctæ Romæ in Subura 268. 1. C. Ejuſdem deſcriptio 250. 1. A. Eadem quo anno expurgata ab Ariana labe 271. 1. B. Dedicata à S. Gregorio magno 257. 1. A. 258. 2. C. Hoc negat Nardinus 258. 1. A. Ejuſdem Sanctæ diverſæ Eccleſię in Urbe 258. 1. C.

S. Anaſtaſiæ in Urbe 15. 2. B. Ejuſdem navium magnitudo, ibid. 1. D.

S. Andreæ in Barbara 52. 1. D. Ejuſdem diverſa nomina 246. 1. D.

SS. Celſi & Nazarii Ravennæ à quo conſtructa 224. 2. D. Ejuſdem encomia, ibid. 2. A. Ejus ornatus & forma, ibidem.

S. Clementis de Urbe antiquiſſima ac titularis Cardinalis 11. 1. D. Ejuſdem deſcriptio, ibid. 1. D. 2. A. 13. 1. B 14. 2. B. Ejuſdem geographica tabula 11. 1. C. Ejus ſchnographia 14. 1. C

S. Joannis Baptiſtæ in fonte Ravennæ à quo reſtaurata 178. 2. B. Muſivum opus in eadem extans, ibidem 2. C.

S. Luciæ in Scilice ſeu in Orphea creditur caput Suburæ 266. 1. D.

Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin 12. 1. D. Ejuſdem Ichnographia, ibid.

S. Mariæ trans Tyberim in Urbe antiquiſſima 140. 1. D.

S. Michaëlis in Burgo Piſarum 16. 2. D. Ejuſdem navium magnitudo, ibid.

Narni 17. 1. A. Ejuſdem navium magnitudo, ibid.

SS. Nazarii & Celſi Ravennæ à quo conſtructa 224. 2. D.

Otriculi 16. 2. D. Ejuſdem navium magnitudo, ibid.

S. Pancratii olim Monaſterium Monachorum S. Benedicti 24. 2. A.

S. Pauli ad Rippam Arni Piſarum 16 1. D. Ejuſdem navium magnitudo, ibid.

S. Perini Piſarum 16. 2. B. Navium magnitudo, ibid.

S. Petri in Arce Veronæ 16. 2. C. Navium magnitudo, ibid.

SS. Petri & Marcellini de Subura, ſeu de Secura 262. 1. D.

Primitialis Piſarum 15. 2. D. Ejuſdem deſcriptio, ibid.

S. Pudentianę de Urbe antiquiſſima 140. 1. B.

S. Sabinæ reſtaurata à Leone III. 188. 1. D. Eadem picturis ornata ab Eugenio II. ibid. 2. A. Quale ędificium olim fuerit 186. 1. D. Ejuſdem navium magnitudo 188. 2. C.

S. Severini tempore S. Gregorii Magni 258. 2. D.

S. Xiſti Piſarum 16. 1. C. Navium magnitudo, ibid.

Eccleſiæ dirutæ tempore Severi Imperatoris 145. 1. A.

Eccleſiæ Imperatorum Gentilium tempore extantes ſæculo 2. 145. 1. C.

Patriarchales V. in Urbe 196. 2. C.

Tituli appellatæ tempore Evariſti Papę 141. 1. B.

Eccleſię vox non ſolum pro fidelium cœtu, verùm etiam pro ipſo ædificio ſumpta, 143. 1. C.

Eccleſiæ ex Circumciſione imago 195. 1. A.

Ex Gentibus Icon, ibid.

Emanuel à Schelſtrat 174. 1. A. Idem laudatur 4. 2. C.

Emor, & Sichem, Dinæque hiſtoria 215. 2. C.

Epiſtola Hadriani PP. ad Carolum magnum de muſivis operibus Romæ extantibus citata 211. 1. D.

Equimmolatio in Campo Martio 262. 1. B.

Eſau benedictus à Patre Jacob 213. 1. D.

Effendum vehiculi genus 54. 2. C.
Evangelia in Altaris quatuor angulis deportabantur 130. 1. B.
Sub S. Barnabæ Apoſtoli corpus inventa 132. 1. A.
Cathecumenis exponebantur 130. 1. C.
In Conciliis ac ſublimiori loco poſita 133. 1. B.
Deoſculandi conſuetudo 129. 2. B.
A Judicibus pro tribunali ponebantur 133. 2. C.
Maridemerſa triduo poſt pulchriora reperta 132. 2. A.
Obvoluta & ſignata Archiſubdiaconus è Secretario deferebat 128. 2. C.
Ante Pontificem deferebantur 129 2. D.
In ſcriniis aſſervata 227. 2. B.
Sepulchris impoſita 135. 1. A.
Sigillo obſignata & cur 130. 2. C.
In veneratione magna habita 131. 2. C.
Evangelii ante lectionem cerimoniæ variæ 129. 1. A.
In lectione Auditores tam maſculi quàm fœminę olim ſtabant M. Magiſter Equitum Hieroſolymitanorum in die Nativitatis B. Mariæ Virginis evaginat enſem 137. 1. B.
Poloni gladium ſtringunt 137. 1. B.
Evangeliorum Codex cur antiquitus ornaretur 132. 2. D.
Gemmis ornatus à Conſtantino Pogonato ad S. Petrum miſſus 132. 1. B.
Gemmis ornatus à Leo III. 132. 1. B.
Itidem à Paſchale.
Evangeliſtarum ſymbola quatuor animalium quid denotent 191. 2. C.
Evangeliſtæ quatuor in forma animalium expreſſi in arcûs ſummitate S. Mariæ Majoris 203. 1. D.
Supra januam Eccleſiæ S. Sabinæ 191. 2. C.
In Oratorio Lateranenſi S. Joannis Baptiſtæ 242. 1. B.
Evangelium collo vel in pectore pendulum priſci fideles deferebant 134. 2. D.
Evariſti Papæ tempore Eccleſiæ tituli denominatæ 141. 1. B.
Eugenii IV. effigies genuflexi ante imaginem Divi Petri 45. 1. A.
Europæ fabula muſivo ſpeciei minimę expreſſa 82. 2. B.

F

Fœminæ in Eccleſiis ſeorſim à viris ſtabant 19. 1. A.
Facere verbum, aliquando dedicare ſolummodo denotat 244. 1. D.
Familiæ Capiſuccæ inſignia 181. 2. C.
Fana quæ fuerint 3. 1. A 2. B.
Fani vox quando ceſſavit 5. 2. D.
Fanon quid ſit 239. 2. D.
Fanum Phogor Numen Moabitarum & Madianitarum 2. 1. D.
Faſcia idem ac Diadema 111. 1. B.
Fauſtini & Marcellini Presbyteri libellus ad Imperatorem Valentinianum 245. 2. D.
Februarii menſis die 2. quæ feſta agebant Gentiles 163. 1. B.
Chriſtiani in pium ritum illa commutarunt, ibid.
Feneſtræ Baſilicæ Seſſorianæ cur magnæ 75. 1. C.
Sicinianæ cur magnæ 75. 1. C.
Vaticanæ, ibid. 2. A.
Veronenſis cur parvæ 77. 2. A.
Eccleſiarum cur magnæ, & cur parvæ 77. 1. B.
Eccleſiæ S. Sabinæ cur magnæ 75. 1. C.
SS. Coſmæ & Damiani, ibidem 1. D.
S. Gregorii Turonenſis, ibidem 2. C.
SS. Joannis & Pauli, ibid. 1. A.
S. Pauli, ibid. 1. A.
S. Sabinæ, ibid. 1. B.
S. Simphoroſæ, ibid. 2. A.
SS. Coſmæ & Damiani in Vico aureo cur parvæ 77. 2. B.
S. Gregorii in Clivio ſcauri, ibid. 2. A.
S. Priſcæ, ibid. 2. A
S. Sabbæ, ibid. 2. B.
SS. Vincentii & Anaſtaſii ad aquas ſalvias, ibid. 2. B.
Ferula ideſt baculus Paſtoralis 121. 2. A.

Feſtum Lucernarum 62. 1. A.
Fictile opus encauſtô pictum non durabile 86. 1. A.
Fideles antiquitus in ædificiis imitatores Gentilium erant 9. 1. A.
Antiquitus vigiliam Paſchatis maximâ cereorum copiâ celebrabant 190. 1. C.
Figlinum opus encauſtô pictum 79. 2. A. Noſtro tempore revocatum 81. 1. D.
Figura orbicularis in majoris arcûs Baſilicæ Liberianæ ſummitate explicata 200. 2. D.
Flagellorum officina in Subura 263. 1. C.
Flavius Cardinalis Chiſius laudatur 83. 1. A.
Fl. Ricimer Arianus minimè fuit 259. 1. B. & 268. 2. D. & ſeqq.
Flumina paradiſi Terreſtris quatuor, eorumque nomina 248. 1. A. & ſeqq. Quatuor quid denotent 247. 2. C. 248. 2. B.
Fluminum imagines cur arundinibus depingi 135. 2. A.
Fons Baptiſimalis Ravennæ 233. 2. D.
Fons ſymbolum Chriſti 225. 2. B.
Forum Trajani ubi 265. 2. B.
Franciſcus Barberinus laudatur 212. 1. A.
Franciſcus Cardinalis Nerlius laudatur 58. 1. B.
Franciſcus Blanchinus laudatur 4. 2. C. 16. 2. C. D.
Brandi laudatur 184. 1. C.
Cavallo laudatur 234. 1. C.
Maria Granchi veſtis inconſutilis Artifex 105. 1. C.
Maria Lancianus laudatur 68. 2. C.
Negri laudatur 227. 1. B.
Eſchinardi Soc. Jeſu laudatur 70. 1. B.
Penna laudatur 271. 2. C.
Furtivæ res in Subura horâ veſpertinâ vendebantur 263. 1. C.

G

Litera in veſtibus 98. 1. D. 99. 1. A. & ſeqq.
Gabinius lapis qualis 5. 1. A.
Differt ab Albano, ibid. 1. C.
Gabriel à Puteo Eques laudatur 83. 2. B.
Gallæ Placidiæ Sacra monimenta 224. 1. D.
Sepulchrum 226. 2. C.
Caſu combuſtum, ibid.
Gammadia erat veſtis ſacra 98. 1. C. 99. 1. A.
Gammadiæ veſtes 90. 2. A.
Gaſpar del Torto laudatur 15. 2. B. 46. 2. C.
Geniorum apud Romanos infinitus numerus 171. 1. D.
Genius populi Romani in Nummo Diocletiani expreſſus 172. 2. A.
SS. Gervaſii & Protaſii Eccleſia Ravennæ 226. 2. C.
Gibellinorum, & Guelforum origo 29. 2. D.
Globus in manu potentium appingi ſolitus, quid denotet 240. 1. D.
Super quo Chriſtus ſedet, quid ſignificet 272. 1. D.
Gluten indicat tempus conſtructionis muſivi operis 87. 2. D. Pro muſivo opere quale 86. 1. B. Quanto tempore tractabile 87. 2. B. Ut muro adhæreat, quid faciendum 87. 1. B.
Gothi quinam fuerit inter Scriptores diſceptatur 269. 2. B.
Graduale locus quid ſit, & ubi Graduale cantetur 21. 1. B.
Græci ab Hebræis, Hebræi ab Ægyptiis multa deſumpsêre 2. 2. B.
Græcorum ſepulchra qualia 167. 1. A.
Grando lapidea in Amorrhæos 223. 2. C.
S. Gregorius Magnus Homilias in Eccleſia S. Clementis recitavit 11. 2. D.
Ejuſdem mentio de Eccleſia S. Agathæ 268. 1. C.
Guelforum, & Giubellinorum origo ex Germania 29. 2. D.

H

Litera in veſtibus 99. 1. A. 2. B. & ſeqq.
Hederacea Corona 107. 2. C.
Hæreſi laborantes, inordinatè fratres dicuntur 137. 2. B.
Hæretici ſacras literas adulterãt 131. 1. G.

Harpocrates, ſilentium denotans 60. 1. C.
In templorum veſtibulis poſitus, & cur 60. 1. C.
Hebræi in ſepulchris ſepeliebantur 166. 1. C.
Eorundem ſepulchra varia 165. 2. A. & ſeqq.
Heliogabalus primus, qui Diademate uſus eſt 110. 2. A.
Herodes depictus cum circulo capiti circumducto 114. 1. D.
Ejuſdem figura diademate inſignis 209. 1. C. 210. 2. D.
Herodiadis hiſtoria opere muſivo expreſſa in Arcu S. Mariæ Majoris 210. 2. B.
Hierichi Urbis excidium, & clangẽtibus tubis mœnia collabuntur 223. 1. D.
Ejuſdem expugnatio, ibid.
Ejuſdem obſidio, ibid.
Hieroglyphicum A ☧ Ω 225. 2. C. 226. 1. B.
Leonum 30. 2. C.
Hieruſalem Urbs depicta in muſivo opere Arcûs S. Mariæ Majoris 210. 2. B.
In Eccleſia S. Sabinæ 189. 1. A.
Hieruſalem, & Bethleem in muſivis operibus cur expreſſæ 189. 1. C.
Hilaria ibi defuncta, ubi Eccleſia edificata 148. 1. D.
Hilarus Papa fundavit Oratorium S. Joannis Baptiſtæ 241. 1. D.
Hilarus Papa ædificavit Oratorium S. Joannis Evangeliſtæ Romæ 238. 2. D.
Hippocentauri imago in Baſilica Siciniana 56. 1. B.
An detur, ibid.
Hiſtoria Abrahæ quando tres Angelos hoſpitio excepit 212. 2. A.
Honorii Imperatoris ſepulchrum 225. 1. B. 2. D.
Horrea Babylonis Joſeph ex quadratis lapidibus ædificavit 67. 1. C.
Horus, ideſt mundus 58. 2. C.
Hoſpiniani Lapſus Chronologicis detegitur 155. 2. C.
Hoſpitale Epirotarum Eccleſia SS. Sergii & Bacchi 252. 1. D.
Hylæ fabula marmore inſculpta 60. 2. C. 62. 1. C. 63. 1. D.
Hypethros quid 6. 2. C.
Hypoglottis Corona 107. 2. D.
Hypothymis Corona 108. 1. A.

I

JAcobi benedictio loco Eſau fratris, expreſſa in corona Eccleſiæ S. Mariæ Majoris 213. 1. D.
Ejuſdem hiſtoria de nuntiis miſſis ad Eſau 215. 1. D.
Ejuſdem hiſtoria, quæ exprimit ipſum Jacobum objurgare filios 216. 1. D.
Ejuſdem continuatio, ibidem 2. B.
Ejuſdem hiſtoria de Virgis decorticatis, appoſitiſque in aquis 215. 1. C.
Jacobi, & Laban, necnon Rachaëlis hiſtoria, expreſſa in eadem corona Sanctæ Mariæ Majoris 214. 1. C. & ſeqq.
Jacobitarum Æthiopum unio cum Eccleſia Romana 45. 2. A.
Janua clauſa ſymbolum virginitatis 208 1. A.
Eccleſiæ S. Pudentianæ quo tempore extructa 28. 2. A.
Ejuſdem januæ deſcriptio 26. 2. B.
Janus & Bacchus idem ſunt 107. 1. C.
Quis fuerit 161. 2. D.
A Gentilibus pro Deo habitus, ibid. & ſeqq.
Jao Deus Gnoſticorum 59. 2. D.
Idem ac Sol, ibid.
Ichnographia Eccleſiæ S. Clementis 14. 1. B. 18. 1. B.
Idolorum templa quando devaſtata 71. 1. C.
Ildeprandi Monachi, & Archidiaconi mentio in Valvis æneis Eccleſiæ Sancti Pauli 42. 1. D. & ſeqq.
Imagines cur radiatæ 112. 2. A. D.
Sceptrum manu tenentes 125. 1. C.
Imperatoris Paleologi Ferrariam pro unione Græcorum cum Latinis acceſſus 44. 2. A.
Ejuſdem ad pedes Pontificis genuflexio 44. 2. C.
Itidem Seſſio in Concilio Florentino, ibid.
Imperatores, ac Reges Romam venientes

tes Canonici S. Petri creantur 134. 2. A.
Imperatoribus lampades præferebantur 230. 2. D.
Innocentium ſtrages, muſivo opere expreſſa in Arcus ſummitate S. Mariæ Majoris 209. 1. B.
Inſcriptio antiqua Muſivi operis 80. 1. A.
In baſi columnæ ante Eccleſiam S. Pauli 25. 1. A.
In Aſtragulo 25. 2. B.
FL. Ricimer in muſivo S. Agathæ 259. 1. C.
Sepulchralis antiqua, & barbara olim in Eccleſia S. Agathæ 276. 1. A.
In valvis æneis Eccleſiæ S. Pauli errata contra Baronii aſſertionem 42. 2. A.
Inſcriptiones familiæ Capiſuccæ 182. 1. C. 2. A.
Inſignia conceſſa Guelfis, & Gibellinis 30. 1. A. D.
Gentilitia Eugenii IV. in valvis Vaticanæ Baſilicæ 44. 1. D.
Intervallum, ſive ſpatium inter ædificia privata quantum olim erat 65. 1. A.
Jovannes Baptiſta Callandra Muſivarius 88. 1. B.
S. Joannis Baptiſtæ ortus ab Angelo Zachariæ denunciatus in arcus S. Mariæ Majoris expreſſus 206. 2. D.
Joannes Dominicus Ricciardi laudatur 172. 2. A.
Joannes Matthæus Naironus Bibliothecæ Vaticanę Orientalium linguarum Scriptor, & Interpres laudatur 42. 1. A.
Joannes Paſtricius laudatur 104. 2. C.
Joannes Petrus Bellorius laudatur 169. 2. C.
S. Joannes Theologus apud Græcos idem ac apud Latinos, ac Evangeliſta 37. 1. B.
Joſeph Maria Thomaſius laudatur 21. 2. A.
Joſeph Ponthia laudatur 205. 1. D.
Joſue cum Amalechitis pugna 219. 2. B. D.
Ex præcepto ſolvit ſibi calceamenta ſua 223. 1. C.
In locum demortui Moſis ſuffectus 222. 1. B.
Solem ſtare jubet 223. 2. D.
Jovis Capitolini areæ ſubſtructiones ex lapidibus quadratis 66. 2. B.
Iris coloribus expreſſa retro Salvatoris caput in ſummitate arcus Baſilicæ S. Pauli 230. 1. D.
Iſai patris David ſepulchrum 165. 2. B.
Iſaiæ Prophetæ tumulus 165. 2. B.
Iſidis fabula 58. 2. B.
Eadem ac Luna, ibid. D.
Simulacrum quando everſum 34. 2. B.
Ubi effoſum 34. 2. C.
Iſidis, & Serapidis Templum olim erat, ubi nunc Eccleſia S. Mariæ ſopra Minervam 34. 2. A.
Judæi velato capite orant 232. 1. A.

K

KAlendæ Januarii potiùs cavendæ antiquius dicendæ erant 161. 2. D.
Celebres apud Gentiles 161. 2. C.
Kalendis Januarii priſci fideles jejuniabant 162. 2. D

L

LLitera eſt gamma græcum inverſum 100. 2. A. & ſeqq.
Lampas accenſa in manu Virginis quid ſignificet 27. 1. D. 2. C.
Lampades inter Principatus inſignia connumerabantur, ac Imperatoribus præferebantur 230. 2. D.
In portis Civitatum quid denotent 190. 1. A.
*Lance ſpezzate* qui ſint 120. 2. A.
Lapidatio Achon 221. 2. A.
Lapides duodecim, è medio Jordani petiti 222. 1. D.
Lapidibus quadratis antiquitus mœnia fiebant 64. 1. D.
ex Lapidibus quadratis Cloaca maxima 66. 1. D.
A quo conſtructa, ibid.
Lapidum proprietas circa duritiem 5. 1. C.
Lapis Albanus 5. 1. C.
Gabinus 5. 1. A.
*Peperinus* 5. 1. B.
Lateranenſis regio ab exercitu Roberti

Guiſcardi everſa 262. 2. B.
Lateritia ædificia perpulchra 69. 2. B.
Antiqua Romæ adhuc extantia 29. 2. B.
Lateritium opus cur ſumptuoſum 70. 2. A.
Lateritium tectorium opus è Græcia Romam allatum, & quo tempore 69. 1. D.
Laterum copia quando cœpit 68. 1. D. 2. C.
Eorundem differentiæ 68. 2. D.
Laurea Corona 108. 2. A.
Laurentius Zacagna laudatur 174. 1. A.
Legatorum Æthiopum ingreſſus in Urbem 45. 1. C.
Legile marmoreum 21. 1. A.
S. Leo Magnus ſuadet Gallæ Placidiæ, ut muſivo opere arcum Eccleſiæ S. Pauli ornet 229. 1. A.
Leo Taurum dilanians in Baſilica Siciniana 56. 1. D.
Leones in baſi Obeliſci Vaticani antiquitus erant 32. 1. D.
Cur illorum Fontana Architectus, & Mercatus hiſtoricus non meminerint, ibid. 2. D.
In Fontibus 31. 1. D.
In janua Eccleſiæ SS. Joannis, & Pauli 33. 2. C.
Eorundem deſcriptio, ibid.
In janua Eccleſiæ B. Mariæ Purificationis 34. 1. A.
In janua Eccleſiæ S. Laurentii in Agro Verano 29. 2. B. 33. 1. B.
Eorum ſymbolum, & deſcriptio, ibid.
In janua S. Laurentii in Lucina 34. 1. A.
In janua Patriarchii Lateranenſis 34. 1. B.
Ad pedes Capitolii, ubi antiquitus ſtabant 34. 1. D.
In porticu Eccleſiæ S. Sabæ 34. 1. A.
In ſepulchris 31. 2. C.
Qui ſtantes ad fontes prope Thermas Diocletianas, ubi antiquitus ſiti erant 34. 1. B.
Eorum deſcriptio, ibid.
Trahentes currum in tabula marmorea inſculpti 52. 2. A.
In throno Conſulis Romani 31. 1. D.
In throno Salomonis 31. 1. C.
Leonum Hieroglyphicum 30. 2. C.
Leonini verſus quo tempore inventi 28 2. C.
Leopardus, Cervum devorans, expreſſus in Baſilica Siciniana 56. 1. D.
Liber quid ſit 128. 1. D.
Lingua latina qualis fuerit à bis mille & 300. annis, difficilè eſt aſſerere 265. 2. D.
Litera T. Crucem Salvatoris denotat 96. 2. D.
Litera in veſtibus non nomen alicujus, ſed ad arbitrium texta 100. 1. C.
Literæ, ſcilicet characteres cur adinventi 126. 2. C.
Literatæ veſtes 90. 2. A.
In diverſis figuris Eccleſiarum Urbis 101. 2. B.
Literatæ ac cifratæ veſtes 99. 1. A.
Literæ in Laciniis Palliorum 91. 1. D.
In veſtibus Chriſtianorum peculiare quoddam myſterium denotant 96. 2. D.
Symbola ſive teſſeræ appellatæ 90. 2. A.
Non niſi Artificis nomen, ſeu officinarum inſignia denotabant 105. 2. D.
Erant occultæ notæ 99. 1. D.
Literæ P. T. Θ. in Philoſophiæ veſte inſcriptæ 97. 1. A.
Lithoſtrata quid 79. 1. A. & ſeqq.
Loth, & Abraham hiſtoria depicta muſivo opere in corona Eccleſiæ S. Mariæ Majoris 213. 1. B.
Lotina Corona 107. 2. A.
Lucernæ, ſive lampades in portis Civitatum expreſſæ quid ſignificent 190. 1. A.
Earundem accenſio ab Ægyptiis defluxit 191. 1. C.
Earundem Feſtum 62. 1. A.
Luciani teſtimonium priſcos Fideles habuiſſe 141. 2. C.
Ludovici Imperatoris imago cum Diademate 114. 2. D.
Lumina antiquitus nocte accendebantur 190. 1. A. & ſeqq.
Lupanaria ubi olim 253. 1. C.
Luparia, ac Lupanaria in Subura erant 262. 2. C.
λυχνοκαΐν 62. 1. A.

# INDEX RERUM.

M


MAcelli vox quid denotet 266. 1. D.
Marci opinio de literis in veſtibus 98. 1. D.
M. Magiſter Religionis Hieroſolymitan. in die Nativitatis B. Mariæ Virginis, quando legitur Evangelium, evaginat enſem 137. 1. C.
Magorum Regum adoratio, expreſſa in ſummitate arcûs S. Mariæ Majoris 108. 1. C.
Majorenſes qui 120. 2. D.
Manus, è Cælo erumpens quid denotet 194. 2. D.
Marcellus Severolus laudatur 92. 2. D. 98. 2. D.
Marcus Antonius ex Herculis proſapia 56. 2. B.
Ejuſdem triumphus de Artabazo 57. 1. A.
Marcus Scaurus marmore obduxit parietes 79. 2. B.
B. MARIA Virgo, an aſſumpta cum corpore, nec ne? 50. 1. C.
S. Mariæ in Coſmedin Eccleſiæ Ichnographia 11. 1. D.
S. Mariæ Magdalenæ domus, in Eccleſiam converſa 155. 1. D.
Maris rubei Iſraëlitarum tranſitus 218. 2. C.
*Marmorata* 86. 1. C. 87. 1. A.
Marmore parietes primus obduxit Marcus Saurus 79. 2. B.
Marmorearum cruſtarum copia vnde prodierit 71. 1. B.
Maronitarum, & Chaldæorum unio cum Eccleſia Romana 45. 2. C.
Martyrum memoriæ Altaria 180. 1. B.
Eorundem ſepulchrorum orthographia demonſtratur 178. 2. D.
Materiæ plures ad ſcribendum adinventæ 126. 2. D.
Matronæum quid & ubi 18. 2. B. & ſeqq.
Mauſolea etiam Hebræi conſtruxere, 165. 1. A.
Regum ſepulchra erant 164. 2. C.
Mauſoleum Artemiſię inter ſeptẽ mundi miracula annumeratum 163. 2. D.
Hadriani Imperatoris 168. 2. C.
Octaviani Cæſaris Auguſti in Campo Martio 167. 2. D.
Primum quale fuerit 163. 2. D.
de Maximis Cardinalis Antiquitatum amantiſſimus 58. 1. B.
Melchiſedech hiſtoria muſivo opere expreſſa in coronide Eccleſiæ S. Mariæ Majoris 212. 1. B.
Memoriæ erant ſepulchra 176. 1. A.
Mevania olim Civitas 83. 1. C.
Michaël Baudrand laudatur 3. 1. B. & ſeqq.
Mima Cytheris quæ? 52. 2. C. & ſeqq.
Mœnia antiquitus ex lapidibus quadratis fiebant 64. 1. D.
Monachi Benedictini olim degebant in Eccleſia S. Pancratii 24. 2. A.
Monachorum locus in Eccleſiis 18. 2. D.
Monaſteria Benedictinorum olim erant quinquagintaduomillia 78. 1. A.
Monaſterium S. Agathæ Ravennaten. 185. 1. A.
Monaſterium S. Agnetis in via Nomentana quo tempore conſtructum 72. 1. D.
Monaſterium Monialium *le Torchine* denominatarum ubi 264. 2. C.
Monialium, ſiue Virginum locus in Eccleſiis 18. 2. D.
Monimenta ſepulchralia Magiſtrorum Gallæ Placidiæ filiorum 224. 2. D.
Monogramma quid 90. 2. B.
Monogramma A. & ω. Chriſti nomen exprimens 227. 2. D.
Monogramma I. in Chriſti veſte 227. 1. D.
Idem in fimbriis veſtis cujuſdam viri 227. 2. C.
Monogramma in arcu S. Joannis in Fonte, Ravennæ explicatur 237. 1. C.
In ſummitate arcûs S. Mariæ Majoris Chriſti nomen denotat. 203. 2. B.
In Eccleſia S. Clementis, contra opinionem Ugonii Alemanni, & du Cange explicatum 12. 1. A.
In veſte Chriſti Eccleſia S. Agathæ Ravennaten. 185. 1. D.
Monogrammata varia in veſtium fimbriis 210. 2. A.
In veſtibus Apoſtolorum 249. 1. A.
Monogrammata veſtes 90. 2. A.
Monogrammaticum erat inſigne Patriæ, vel Gentis 100. 2. B.
Monoptera quid 6. 2. D.

Mons Balena Pauli, ſeu *Magnanapoli* 262. 2. D.
Montis Teſtacei incrementi Auctoris opinio 175. 1. D.
Moſes Deo Altare erexit 2. 1. A.
Legem promulgat 218. 2. A.
Supra montem orans durante bello contra Amalechitas 219. 2. D.
Virgam præſeferens 217. 2. D.
Moſis, & Aaron ad Tabernaculum fuga 220. 1. D.
Moſis hiſtoria, muſivo opere expreſſa in corona Eccleſiæ S. Mariæ Majoris 216. 2. D. & ſeqq.
Ejuſdem Levitis voluminis Deuteronomii traditio 221. 1. D.
Ejuſdem obitus, & humatio 221. 2. D.
Moſi duo Comites à Pictore dati, ſcilicet cum muſivo expreſſi 220. 2. C.
Mulier ſedens, dum Evangelium legebatur vocem audivit, quòd ſurgere deberet 137. 1. A.
Multioculus, ſive Oſiris, ideſt Sol 58. 2. B.
Sub accipitris forma 59. 1. C.
Munera Deo primi obtulerunt Abel, & Cain 2. 1. A.
Muralis corona ex auro 109. 1. A.
*Muro torto* ubi 68. 1. A.
Murus terreus ad Capitolium 203. 1. A.
Ad Eccleſiam SS. Petri, & Marcellini 266. 2. D.
Ad Imperiale Palatium, & Eccleſiam SS. Joannis & Pauli 267. 1. A.
Ubi nunc Barbarinorum Palatium 266. 2. C.
Olim ubi erat Domus Orphei 266. 2. B.
Muſiva opera, in Baſilica Liberiana conſtructa à Xyſto I. Papa 158. 1. A.
Ex qua materia componantur, & quomodo formentur 84. 2. C. & ſeqq.
Muſivarii Artifices, Conſtantinopoli evocati 84. 1. C.
Muſivi operis antiqua inſcriptio 80. 1. A.
In Eccleſia S. Agathæ deſcriptio 271. 2. D.
In Eccleſia S. Andreæ in Barbara deſcriptio 247. 1. B.
Romæ pretium laboris quantum olim, & quantum hodie 88. 2. A.
in Muſivo opere vitanda figurarum copia 89. 2. A.
Muſivorum origo 78. 2. C.
Varia nomina . 1. A.
Sub Sillia incepere 79. 2. B.
Eorundem diverſę ſpecies; alię majores, aliæ minores, ſeu mediæ, aliæ minimæ 81. 2. D.
Majores 82. 1. A.
Mediæ ſive minores 82. 2. B.
Eorum exemplum, ibid.
Minorum exemplum, ibid. 1. C. & 2. C.
Muſivum opus ad hoc, ut pulchrum ſit, quid requiratur 88. 2. C.
In Baſilica Siciniana conſtructum à Simplicio Papa 242. 2. D.
In Eccleſia S. Agathæ 259. 1. C.
S. Agathæ Ravennaten., ejuſque deſcriptio 185. 1. B.
Immortale eſt 89. 1. B.
Lugduni 81. 1. C.
Mevaniæ 83. 1. C.
Minimum, ac mirabile 88. 1. D.
Oratorii SS. Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ conſtructum ab Hilaro Papa 242. 1. C.
Perennitate ſuâ ſuperat picturam 89. 1. C.
Prænestæ in Palatio Exc. Principis Barberini 81. 1. A.
Aliud, ibid. C.
Romæ quo tempore ceſſaverit 84. 2. A.
Eccleſiæ S. Sabinæ, ejusque deſcriptio 188. 2. D.
In tholo Baptiſterii S. Joannis Ravennaten. 235. 1. A.
Myrtea Corona 107. 2. C.
Eâ qui primus uſus fuerit 109. 1. C.

N

NArdini opiniones de Eccleſia Sanctæ Agathæ ſummatim relatæ, 256. 1. A. & ſeqq.
Nationes finitimæ ad invicem ritus, ac mores mutuant 161. 2. B. 163. 2. B.
Navalis Corona 109. 1. A.
Naves Eccleſiarum diſparis latitudinis erant, & cur 14. 2. D.
Neſtorius auctor Neſtorianæ hæreſeos 205. 1. D.

Ejuſdem Codices, juſſu Theodoſii Imperatoris combuſti 227. 1. D.
Nicolaus V. Obeliſcum Vaticanum trãſferre in mente habuit 32. 2. A.
Nimbus, ideſt Diadema 115. 1. A.
Noë Altare Domino ædificavit 2. 1. A.
Nomen, in veſtibus expreſſum 95. 1. D. 2. D.
Numiſma à Baronio relatum potiùs filios Theodoſii Imperatoris, quam SS. Joannem, & Philippum repræſentat 275. 2. C.

O

OBeliſcus parvus, erectus ab Alexandro VII. ante Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam 34. 2. C.
Obſidionalis Corona 109. 1. B.
Octavianus Roboretus laudatur, 77. 2. D.
Opus tumultuarium quando cœperit 72. 2. C.
Oratorium S. Joannis Baptiſtæ fundatum ab Hilaro Papa 241. 1. C.
Orbiculi in veſtibus quid 92. 1. B.
Ornamenta templorum, propria cuilibet Deitati 4. 1. C.
Ornamentorum Baſilicæ Sicinianæ deſcriptio 52. 1. A.
Orphei denominatio 159. 2. D.
Orphei domus ubi 265. 2. A.
Orthographia ambonum 23. 2. D. 24. 1. C.
Chori Eccleſiæ S. Clementis, 19. 1. C.
Oſiris frater Iſidis 58. 2. B.
Multioculus, ibid.
Sub accipitris forma 59. 1. C.
Deus Gnoſticorum, ibid. 2. D.
Dictus eſt Sol, ibid.
Ovalis Corona 109. 1. B.
Oves circa Chriſtum ſtantes quid denotent 228. 1. B.

P

PAgus Succuſanus 267. 1. D. & ſeqq.
Palma ſymbolum Victoriæ & Juſtitiæ 225. 1. A.
Pannus pulvinar tegens expreſſus in ſummitate arcus S. Mariæ Majoris Chriſti ſyndonem denotat 203. 1. B.
Pantaleo Conſul Auctor Valvarum Eccleſiæ S. Pauli 40. 1. D. 42. 1. A. D.
Papæ Cæleſtini III. figuræ deſcriptio 239. 2. C.
Parietes privatarum ædium ultra ſesquipedem craſſæ olim non erant 69. 1. A.
Paſchalis vigilia à Fidelibus cereorum copia celebrabatur 190. 1. C.
S. Paſtoris imago 28. 1. A.
Patera boni ominis nota eſt 62. 2. C.
Patriarchæ XII. Hebræorum velato capite expreſſi 231. 2. C.
Patriarchales Eccleſiæ quinque in Urbe 196. 2. C.
S. Pauli Baſilicæ Icnographia 10. 1. C.
Ortographia 11. 1. B.
Ejuſdem decollatio ubi facta 46. 1. A.
Eundem Romæ fuiſſe oſtenditur 139. 1. C.
Eundem cum S. Petro Romæ prædicaſſe, ac paſſos fuiſſe demonſtratur 67. 1. C.
Pavo radiatus æternitates ſymbolum 115. 2. C.
Pedum, ideſt Baculus Paſtoralis 121. 2. A.
Pentadoron 68. 2. D.
Peperinus lapis qualis 5. 1. B.
Periptera quid 5. 2. D.
Peripteros quid 6. 1. D.
Perſecutionum Chriſtianorum Catalogus 250. 1. C.
Petrus Cardinalis fundator Eccleſiæ S. Sabinæ 186. 2. C.
S. Petrus, depictus cum triplici ordine Capillorum 272. 2. A.
Et cum unica clave, ac cum duabus, & tribus, ibid. & ſeqq.
Ejuſdem crucifixio ubi facta 46. 1. C.
Eundem Romæ fuiſſe demonſtratur 139. 1. D.
Idem à læva, & S. Paulus à dextris 203. 1. C.
Eoſdem Apoſtolos Romæ prædicaſſe, ac paſſos fuiſſe oſtenditur 65. 1. C.
Eorundem effigies, in arcu majori in Eccleſia S. Pauli expreſſa 232. 2. C.
Philippus Bonarota laudatur 58. 1. C.
Philippum Imperatorem fuiſſe Chriſtianum

ſtianum demonſtratur 145. 2. A.
Phœnix radiata æternitatem denotat, 115. 2. C.
Pictura antiqua in Baſilica Siciniana, 64. 1. B.
Picturæ antiquæ ut plurimùm deſumptæ ex Apocalypſi 201. 2. C.
Pila tiburtina ad Circum Floræ 252. 2. D.
Piſarum Eccleſiæ Primitialis deſcriptio 15. 2. D.
Plebs Dei vox quid denotet 204. 1. A.
Sæpius à Pontificibus uſitata, ibid.
Plinius 119. annis deceſſit poſt Ciceronem 53. 1. C.
Ejusdem domus juxta Suburam, 260. 1. C.
Pluvia Coturnicum 219. 1. C.
Pœnitentium locus in Porticu 14. 2. C.
Eorundem, & Cathecumenorum ſtationes in Eccleſiis 18. 2. C.
Poloni in lectione Evangelii gladium ſtringunt 137. 1. B.
Pontifex Romanus an utatur Baculo, 122. 2. D. 123. 1. A.
Pontifices quo tempore ceſſaverint deferre baculos 123. 2. D.
Eorundem ſepulchrorum orthographia oſtenditur 179. 1. C.
Porticus duplex in Baſilicis 7. 2. D.
Et aliquibus in Eccleſiis cur, 17. 1. D.
Poſthumius Tubertus primus myrteâ corona uſus fuit 109. 1. C.
Præfecti Navales qui 120. 2. C.
Præfectus Urbis cum Biretto 114. 2. D.
Præſentatio Pueri Jesu in templo opere muſivo expreſſa in arcu S. Mariæ Majoris 209. 2. A.
S. Praxedis imago 27. 2. D.
Presbyterium, ſive confeſſus Presbyterorum ubi in Eccleſia 18. 1. B.
Liberianæ Baſilicæ cur altum conſtructum fuerit 197. 1. D.
Priamus depictus cum circulo capiti circumducto 114. 1. C.
Primatus Romani Pontificis tempore Celeſtini demonſtratur 187. 2. A.
Proceſſio in die Purificationis antiquitus fiebat è Laterano ad S. Mariam Majorem 65. 2. B.
Pronai vox quid denotet 3. 2. A.
Proſtylos quid 6. 1. B.
Pſeudipteros quid 6. 2. A.
S. Pudentianæ Eccleſiæ januæ deſcriptio 26. 2. B.
Ejuſdem imago 27. 1. D.
S. Pudentis imago 28. 1. C.
Puteus Probæ ubi 252. 1. D.
Pyramis ad Portam Oſtienſem 169, 1. A.
Scipionis 169. 1. D.
Pyramidis Scipionis Affricani imago. 46. 1. C.
Pyramides apud Ægyptios in uſu 164. 1. C.
Hebræi etiam fabricarunt 165. 1. B.
Diverſarum adhuc Memphis extantium orthographia 164. 1. D.

## Q

QUercina Corona 108. 2. B.

## R

P. T. ☉. Literæ in Philoſophiæ veſte, 97. 1. A.
Raab meretrix Exploratores è feneſtra per funem demittit 222. 2. D.
Radiatus vultus Moſis 112. 2. B.
Radii in capitibus Cæſarum 112. 1. A.
Raphaël Fabrettus laudatur 4. 2. C. 135. 1. D. 169. 2. D. 200. 1. D.
Libellorum ſupplicum à Secretis à Summo Pontifice Alexandro VIII. declaratus 245. 1. D.
Ravenna antiquiſſima Urbis Romæ æmula 184. 1. A. B.
S. Agathæ majoris Eccleſiæ deſcriptio, ibid. 2. A.
Raymundus Cardinalis Capiſuccus laudatur 181. 2. A.
Reges, ac Imperatores Romam venientes Canonici S. Petri creantur 134. 2. A.
Reges quinque, à Joſue victi, deque ejus juſſu è ſpelunca extracti 224. 1. A.
Regiones Urbis tantũ quatuor ex ſeptẽ erant Catholicæ tempore S. Gregorii 259. 2. B.
Religio Chriſtiana quomodo antiquitus repræſentata 195. 2. A.
Reſtauratio murorum Urbis facta à Beliſario 71. 2. C.

Facta à Carolo Magno 72. 1. A.
Reticulatum certum opus 67. 2. D. 68. 1. B.
Incertum opus 67. 1. D.
Rhedarum varia nomina 55. 2. B.
Fl. Ricimer Arianus minimè fuit 259. 1. C.
Idem natione Gothus, & Arianus dicitur 268. 2. D. & seqq.
Ritus in Evangelii lectione 22. 1. B. 23. 1. B.
Romani à Græco fonte nonnulla hausêre 2. 2. C.
Rosacea Corona 107. 2. D.
Rosæ in vestibus 102. 1. D.
Rostrata Corona 109. 1. A.

S

de Sabellis familia laudatur, 183. 1. D.
Sacrificia in monimentis fieri docet antiqua inscriptio 172. 1. C.
Sacrificium Boni eventus 62. 2. A.
Salaria antiqua ubi 66. 2. D.
Salmuti sententia impugnatur quo ad diadema, impositum capitibus statuarum 115. 1. D.
Salomon templum Domino ædificavit 2. 1. B.
Salvatoris imago, crucem manu gerens 230. 2. B.
Quid denotet, ibid.
Salvatoris imago, depicta in summitate arcus Basilicæ S. Pauli, illiusque explicatio 230. 1. C.
Sanctuarium ubi in Ecclesia 18. 1. B.
Sandalia Apostoli gestabant ex Domini præcepto 249. 2. D.
Saturnus, coronarum inventor 107. 1. C.
Saxa, in agris jacentia, in restauratione Urbis concessa 71. 2. B.
Saxia, à Saxonibus dicta 262. 2. C.
Scaligeri sententia impugnantur quo ad diadema impositum capitibus statuarum 115. 1. D.
Scarabæus radiatus Solem denotat 115. 2. D.
Sceptrum manu tenentes diversæ imagines 125. 1. C.
Supremæ dignitatis, & dominationis est nota 124. 2. D.
Schola stimulatorum quæ 120. 2. D.
Scipio Provenzalis Musivarius 88. 1. A.
ad Scribendum materiæ plures adinventæ 126. 2. D.
Scrinium librorum in musivo expressum 227. 1. D.
Sectile opus quale 80. 2. B.
Sedes Apostolica Avinionem translata adduxit secum Urbis decorem 72. 2. B.
Sedes appellata sepulchra 177. 2. A.
Sedes Episcopalis, sive Faldistorium; expressum in tholo baptisterii S. Joannis Ravennaten. 236. 1. C.
Senatorium quid, & ubi 18. 2. B.
Seniores XXIV. expressi in arcu Basilicæ S. Pauli 230. 2. D.
Sepulchra Ægiptiorum quæ 163. 2. C.
Apud Athenienses lege fuerunt moderata 167. 2. A.
Columnis ornata 175. 1. C.
Ad Basilicæ formam 183. 2. A.
Ad Confessiones, sive Confessionis formam 183. 1. D.
Gallæ Placidiæ 226. 2. D.
Honorii Imperatoris 225. 1. B.
Metellæ 72. 2. A.
Valentiniani III. Imperatoris 225. 1. B.
Magistrorum Gallæ Placidiæ filiorum 224. 2. D.
Græcorum qualia 167. 1. A.
Lateritia mirificè elaborata 170. 1. D.
Martyrum, &c. expressa in tholo Baptisterii S. Joannis Ravennatensis 236. 1. D.
Memoriæ dicta 176. 1. B.
Regum domus David 165. 2. C.
in Sepulchris ædiculas fuisse docet antiqua inscriptio 172. 1. D.
Sepulchrorum internarum partium descriptio 170. 2. A.
in Sepulchris ædiculæ Genii familiæ erant 170. 2. D.
Servius Tullius Romanorum Rex, natus ex nobili fœmina Corniculana 68. 2. B.
Ejusdem Palatium Corniculi olim erat, ibid.
Sessorianæ Basilicæ ichnographia, & ortho-

ortographia 9. 2. A.
Severus Imperator templum Deorum Alexandriæ extruxit 145. 1. B.
Siciniana Basilica ad Macellum Liviæ 242. 2. C.
Ejus constructio 243. 1. D.
Olim Dianæ templum, ibid.
Ejusdem ichnographia, & orthographia 9. 1. C.
Ejusdem ornamentorum descriptio 52. 1. A.
Sigillo cur Evangeliorum volumina obsignarentur 130. 2. C.
Signa in vestibus quomodo ab Auctore explicata 102. D. & seqq.
Silicum, marmorearum crustarum, ac tophorum ædificia quo tempore facta 70. 2. D.
σημεῖα quæ? 91. 1. C.
Simeonis Justi sepulchrum 165. 2. C.
Simeonis, & Levi fratrum Dinę historia 216. 1. B.
Simplicius Papa construxit musivum opus in Basilica Siciniana 242. 2. D.
Sol ab Ægyptiis dictus multioculus 58. 2. B.
Sol denotatus per Scarabęum radiatum 115. 2. D.
Solis statio jussu Josue 223. 2. D.
Somni imago, musivo opere expressa 82. 2. A.
Spatium, sive intervallum inter ædificia privata quantum olim erat 65. 1. A.
Speluncæ Hebræis pro sepulchris inserviebant 164. 1. D.
Spherula, idest diadema 115. 1. A.
Sphinges lapideæ erant in fanis, 3. 2. C.
Stellæ in capitibus Cæsarum, 112. 1 B.
Stellæ Poëtæ domus ubi 260. 1. B. 265. 2. A.
Stemma Congregationis Casinensis 25. 1. A.
Stephanus Fantonus laudatur, 82. 2. D.
Suaresii opinio de literis in vestibus 97. 2. C.
Suburæ vox correcta 297. 2. A.
Ejusdem initium 257. 1. D. 260. 2. B. 261. 1. B.
Subura, an intra, vel extra Pomerium 251. 1. A. 253. 2. B.
Unico R. scribenda 250. 2. D.
Unde dicta 250. 2. A. & seqq.
Dicta quia sub muro terreo 263. 2. B. 264. 1. A.
A pago Sucusano dicta 260. 2. B. 263. 2. C.
Hominum multitudine abundabat 254. 2. D
In ea venalium rerum copia erat 255. 1. A.
Clamoribus plena 255. 1. B.
A Spectatissimis Viris inhabitata, 255. 1. C.
Ad S. Luciam in Silice 266. 1. B.
Inter præcipuas Urbis regiones connumerata 262. 2. D.
In quirinali ubi 266. 2. C.
Olim Emporium fuit 266. 1. D.
Suburæ plures fuere, 263. 2. A. cum seqq.
in Subura officina Flagellorum, ac Tonstricis erat 263. 1. C.
Inibi furtivæ res hora vespertina vendebantur, ibid.
Suburana via ubi 265. 2. A.
Sucusanus Pagus unde dictus, 260. 2. B.
Olim per B. scribebatur, 267. 1. D.
Sueviæ duæ 269. 2. A.
Symboli Apostolici articulus: *descendit ad inferos* explicatus 49. 1. B.
Symbola Apostolorum Agni, 225. 1. D.

T

TLitera Crucem Salvatoris denotat 96. 2. D.
Tabellæ quadratæ in vestibus quæ? 91. 2. D.
Tabernacula duo erant in Templo 207. 1. C.
Tabularium ex lapidibus quadratis 66. 2. D.
Templa, & Ecclesias priscos fideles habuisse demostratur 152. 1. D.
Templa unde dicta 4. 1. D
Antiquitus absq; tecto erant, ibid. 2. C.

Vel habebant in ſummitate magnum foramen 4.2.D.
Quibus diis antiquitus locis ſacrabant Romani 4. 1. B.
Prope ſepulchra 170. 2. D.
Eorundem partes quatuor erant 4. 2. B.
Forma 6. 1. A.
In jis ſepeliendi cadavera ritus 171. 1. C.
Templi antiqui forma reperta, 4. 2. C.
Templum Iſidis, & Serapidis olim erat, ubi nunc Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam 34. 2. A.
Deorum Alexandriæ extructum à Severo Imperatore 145. 1. B.
Domino Salomon ædificavit, 2. 1. B.
Tempus conſtructionis ædificiorum quomodo ex cæmentis argui poſſit, 65. 2. A.
Teſſelatæ veſtes 95. 2. B.
Teſſellatum opus quid ſit 80. 1. C.
Teſſeræ in veſtibus quæ? 91. 2. D.
Tetradoron 68. 2. D.
Texendi genera duo apud veteres 104. 1. B.
Theagenes Thaſius in Olympicis excellentiſſimus lucratur mille & ducentas coronas 108. 2. B.
Thronus Caroli Calvi qualis, 203. 1. A.
Conſulis Romani 202. 1. D.
Salomonis qualis 202. 1. C.
Thronus, ſive Cathedra expreſſus in ſummitate arcûs Liberianæ Baſilicæ 292. 1. B.
Tituli Romæ tempore Cornelii Papæ quot fuere 141. 1. C. 146. 1. D.
Tonſura in capite S. Philippi Apoſtoli expreſſa 275. 2. B.
Tophorum quadrilaterum ædificia quo tempore facta 72. 1. B.
Tophorum, & Laterum inſimul, 70. 2. C.
Tranſennæ ubi erant, & quid denotabant 19. 2. D.
Tranſitus Beatæ MARIÆ Virginis, 50. 2. B.
Tribuna à Tribunali nomen ſortita eſt 8. 1. D.
Tribuna etiam Abſida dicitur, ibid.
Tribus Urbanæ quatuor 257. 1. D.
Triumphalis nomẽ quare Arcubus majoribus Eccleſiarum inditum, 198. 2. C.
Triumphalis Corona 109. 1. C.
in Triumphis victimæ humanæ cæſæ 57. 2. B.
Triumphus de Artabazo M. Antonini 57. 1. A.
Τεθριαμφόρος Arcus cur denominatus, 199. 2. B.
Tumultuarium opus quando cœperit 72. 2. C.
Turris Mamilia 262. 1. C.
Tuſci ædificabant ex lapidibus quadratis 67. 1. A.
Typhon 58. 2. C.

V

VAlentiniani III. Imperatoris ſepulchrum 225. 1. B.
Vallaris Corona 109. 1. A.
Valvæ æneæ in Eccleſia S. Pauli, earumve deſcriptio 35. 2. A.
Earundem conſtrutionis tempus, 42. 1. D.
Vaticanæ Baſilicæ, ab Eugenio IV. conſtructæ 43. 2. D.
Earumve altitudo, & latitudo 44. 1. A.
Tempus duodecim annorum, in earundem fabrica conſumptum 44. 1. A.
A Paulo V. reſtauratæ, ibid.
Verſus qui olim apud eas ſtabant, ibid.
Earundem icon, ibid.
Earundem deſcriptio 43. 1. B.
Piſarum quo tempore, & è quonam loco in illam Urbem adductæ, 46. 2. D.
Eædem ante milleſimum conflatæ, earundem in Eccleſia primitiali deſcriptio 47. 1. A.
Valvas æneas conſtruxit Honorius III. Papa in Oratorio S. Joannis Lateranen. 239. 1. C.
Valvæ argenteæ olim in Vaticana Baſilica, & quando direptæ 43. 1. D.
Quando denuo etiam argenteæ refectæ,

fectæ, 43. 2. B.
Conſtruxit Hilarus Papa in Oratorio S. Joannis Lateranenſis, 239. 1. C.
Vander Linden Decanus Eccleſiæ Aquiſ. granenſis laudatur 7. 2. D.
Varro obiit anno ante Chriſti nativit. XXV. 263. 2. C.
Vas, expreſſum ad pedes imaginis Sancti Pauli quid denotet 45. 1. B.
Vela in foribus Palatii Imperatoris antiquitus erant 64. 2. B.
Velum purpureum, in ſepulchro magnatum olim poſitum 179. 1. D.
Vermiculatum opus 81. 2. B.
Verrius floruit ſub Tiberio 267. 2. B.
Verſus in arcu S. Pauli mutili, ac à Baronio ſuppleti 229. 1. D.
Alio modo ab Auctore, ibid.
In baſi columnæ ante Eccleſiam S. Pauli 25. 1. D. 2. A.
In epiſtylio januæ S. Pudentianæ 26. 2. D.
In libris Evangeliorum 137. 1. A.
Inſcripti circa peripheriam Agni cruce inſigniti 27. 1. B.
Circa peripheriam imaginis S. Paſtoris 28. 1. A.
Circa peripheriam imaginis S. Praxedis 27. 2. D.
Circa peripheriam imaginis S. Pudentianæ 27. 2. B.
Circa peripheriam S. Pudentis 28. 1. C.
Leonini quo tempore inventi 28. 2. C.
Mutili in arcu Baſilicæ S. Pauli, 229. 1. C.
Integri à Grutero relati, ibid. 1. D.
Inſculpti in valvis æneis Eccleſiæ S. Pauli 37. 2. C. 40. 1. D.
Qui erant in tribuna Baſilicæ Sicinianæ 243. 1. A.
Veſtes antiquitus inconſutiles, 103. 2. C.
Gammadiæ 90. 2. A.
Candidæ, ac Coronæ quid denotent 232. 1. D.
Literatæ 90. 2. A.
Variis figuris depictæ 93. 2. A. 94. 2. C.
Pretioſæ Virginis quid denotent, 27. 1. C.
Inconſutiles noſtro ævo revocatæ 104. 1. D.
Veſtis empta pretio centum viginti talentorum 94. 2. C.
Inconſutilis; Artifex Franciſcus Guiot 105. 1. D.
Via *Gratioſa* 264. 2. B.
Victimæ humanæ cæſæ in triumphis 57. 2. B.
Vincentius Cardinalis Urſinus laudatur 35. 1. C.
Violacea Corona 108. 2. A.
Virga juſtitiam denotat 124. 2. D.
Paſtoralis, ideſt Baculus, 121. 2. A.
Ejus ictu aqua erupit 219. 2. A.
Virginum ſepulchrorum ortographia extenditur 179. 1. B.
Viridarium Excell. Familiæ Aldobrandinorum ante Eccleſiam S. Agathæ in Subura 257. 1. C.
Vitreum opus 81. 2. A.
Vituli aurei adoratio 218. 1. C.
Ulyſſis tunica variegata animalium figuris 92. 2. B.
Umbellæ, in ſtatuarum capitibus poſitæ pro tegumento, nè ab avibus conſpurcarentur 115. 1. D.
Unio Chaldæorum, & Maronitarum cum Eccleſia Romana 45. 2. C.
Jacobitarum Æthiopum cum Eccleſia Romana 45. 2. A.
Volumen in Chriſti manu quid denotet 247. 1. D
Evangeliorum obvolutum, & ſignatum 128. 2. C.
Idem cur ſigillo obſignatum 130. 2. B.
In magna veneratione habitum, 131. 2. D.
Septem ſigillis obſignatum, ac expreſſum in arcu Triumphali Baſilicæ Liberianæ quid denotet 201. 2. A. 2. B.
Voluminis, & Codicis differentiæ 128. 1. D.
Volumina unde dicta 127. 1. D.
In Apoſtolorum manibus quid ſignificent 247. 2. B.

# INDEX RERUM.


X

XLitera in veſtibus 100. 1. C.
Xyſtus III. Papa muſivis operibus ornavit Baſilicam Liberianam, 196. 1. A.

Z

ZAccharię Profetæ ſepulchrum, 165. 2. C.
Zeno Imperator Evangelium S. Barnabæ repoſuit in ſuo Palatio, 132. 1. A.


# FINIS.

# *ERRATA SIC RESTITUANTUR.*

Pag. 11. col. 1. lin. 13. lege VII. Pag. 21. 2. l. 17. lege verò. Pag. 34. 2. l. 17. parvus obeliſcus. Pag. 56. 2. l. 39. triumphum. Pag. 62. 2. l. 3. fig. 9. Pag. 97. 1. l. 5. P. Π. T. Pag. 109. l. 1. fig. 9. l. 35. Pirimigenios. pag. 111. 2. l. 31. lege 225. Pag. 114. 2. l. 16. fig. 1. l. 19. fig. 2 Pag. 115. 2. l. 1. l. excogitare. Pag. 136. 2. l. vlt. contracta. Pag. 137. 1. l. 7. Theodoricum. Pag. 165. 2. l. 11. ortographiam, & l. 30. non enim. Pag. 169. 2. l. 26. Republica. pag. 161. 14. l. ad. Pag. 184. 1. l. 28. l. Prandi. Pag. 206. 2. l. 17. præcitataque. Pag. 210. 2. l. 6. duabus. Pag. 216. 2. l. 25. Cappellæ. Pag. 217. 1. l. 37. viri. Pag. 221. 1. l. 3. lapidationem. Pag. 224. 1. l. 6. nè in victorum. Pag. 224. 13. l. Imperatoris. Pag. 230. 2. l. 8. arbitror. Pag. 232. 2. l. 17. imminent. Pag. 238. 1. l. 38. lævigatæ columnæ. Pag. 242. 1. l. 35. Simplicio. Pag. 245. 2. l. 8. viciniam. Pag. 254. 1. l. 1. Tuſci, & col. 2. l. 1. eſquiliis.

## *COMMISSA IN TABULIS.*

Tab. XLIV. fig. 3. lege: Hoc opus fecit Magiſter Deodatus.